

Revd. P. Joseph Bijou

ALMA COLLEGE
FATHERS LIBRARY
ST. JOSEPH CHURCH
LIBRARY
Alma, California
SAN JOSE, CAL.

CODEX

PRO POSTULATORIBUS

CAUSARUM

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

CODEX

PRO POSTULATORIBUS

CAUSARUM BEATIFICATIONIS

ET

CANONIZATIONIS

IN II VOLUMINA DIGESTUM

Alorsio Lauri auctore

VOLUMEN I.

Vol 2 of hip 100

ALMA COLLEGE
348.54
LIBRARY
L 373
Alma, California

ROMAE
TYPIS FRATRUM MONALDI
ad Tres Ollas, 5

A. MDCCCLXXIX

4997



DOMINICO . BARTOLINIO

PRESB . CARDINALI . TITVLO . MARCIANO

SACRI . CONSILII

LEGITIMIS . RITIBVS . COGNOSCENDIS . PRAEFECTO

DOCTRINA . SCRIPTIS . BENIGNITATE . CLARISSIMO

CODICEM

AD . CVRATORVM . SACRARVM . CAVSARVM . VSVM

ORDINATVM

EXIGVVM . QVIDEM . OPVS

IMPAR . TANTI . VIRI . DIGNITATI

NON . IMPAR . COMITATI

ALOISIVS . LAVRI

OBSEQVENS . DEDICAT

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/codexpropostulat0001vari

PRAEFATIO

Codicem scripsi ut desideriis obsecundarem Reverendissimi P. Vincentii a Iennis sodalium Franciscalium Reformatorum romanae provinciae Praepositi, Causarum *Beatificationis et Canonizationis* quae ab illo Ordine pertractantur Postulatoris, qui, sollertissimus ut est, omni ope curat ut successoribus suis faciliorem reddat muneris perfunctionem.

Dum scriptioni incumbembam compertum fuit Neapoli vulgatum esse *Manuale Theorico-practicum pro conficiendis Processibus sive Ordinariis sive Apostolicis* in eiusmodi Causis *ad usum Archiepiscopalis Curiae Neapolitanae, cura et studio* IANUARII TRAMA, quem praeclarum virum nuper e vivis ereptum summopere dolemus. Incepto tamen opere minime destiti, nam non eadem est Codicis huius et Manualis illius ratio. Manuale ad rite instruendas inquisitiones normam praebet tantummodo; Codex vero ad Causas initiandas, et ad Canonizationis usque solemnia procurandas.

Minutiora, neque tamen, puto, superflua, exposui: Actorum formulas quod attinet, eas et ad strictioris iuris tramites descripsi, et ad disciplinam, quae heic in Urbe maxime obtinetur, ubi et Promotor Fidei et Sub-promotor peritissimi Acta moderantur.

Ne vero quis me audaciae insimulet, quod Codicem non modo Postulatoribus, ad quorum usum ordinavi, sed iis etiam quibus in sacro Congregationis Rituum foro Ius exercere placeat, haud inutilem fore existimem.

ALOISIUS LAURI
Canonicus ad Aedem Rotundam
ad S. R. Congregationem Advocatus

CODEX

PRO POSTULATORIBUS

CAUSARUM BEATIFICATIONIS

ET

CANONIZATIONIS

Quamquam quae ad tractationem pertinent Causarum Beatificationis et Canonizationis, omnia ferme a Summo Pontifice Benedicto XIV in suo Opere — *De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione* — descripta sint, atque in eodem Opere quid Causarum istarum Postulatoribus sit agendum quisque legere potest; tamen, ne laborem haud ita levem ferre debeant ea volumina perlegendi, atque ex eorum innumeris dissitisque locis colligendi quidquid ad Postulatoris munus refertur; opportunum visum est veluti Codicem concinnare tum ex iis quae in illo Opere continentur, tum ex iis quae praxis atque experientia docuit; qui Codex Postulatoribus praesto sit ab initio Causarum usque ad finem.

Causae vero pertractantur, vel Confessorum, vel Martyrum: tum, vel eorum qui nullum adhuc publicum cultum obtinuerunt, et dicuntur Causae *procedere per viam Non cultus;* vel eorum qui publico iam cultu honorantur, et dicuntur *procedere per viam Casus ex-*

cepti; scilicet quia Urbanus VIII Decretis suis latis anno 1625, confirmatis anno 1634 vetuit publico cultu honorari Servos Dei non *beatificatos* et non *canonizatos;* eos autem excepit qui cultum iam antea nonnullis sub conditionibus obtinuissent.

Causae quae procedunt per viam Non cultus, aliae introducuntur post memorata Urbani VIII Decreta: aliae antequam Decreta illa vulgarentur introductae iam fuerant. Idem dicas de Causis quae procedunt per viam Casus excepti.

Demum a Beatificatione, sive solemni, sive aequipollenti quae scilicet locum habet in Casu excepto, Causae procedunt ad solemnem Canonizationem.

Itaque Codicis huius sex erunt Tituli: 1. *De Causis Confessorum procedentibus per viam Non cultus:* 2. *De Causis Martyrum per eandem viam procedentibus:* 3. *De Causis tum Confessorum, tum Martyrum procedentibus per viam Casus excepti:* 4. *de Causis quae ante Urbaniana Decreta iam fuerant introductae:* 5. *De Causis procedentibus ad Canonizationem:* 6. *De solemniis Beatificationis et Canonizationis.*

Adiicientur etiam Appendices quaedam, sive *Instructiones* ad rite valideque conficiendos Processus, ut quid in inquisitionibus cavendum, quid agendum, quid omitti aut admitti possit quin Processus validitas inficiatur, facile Postulatores percipiant; et etiam Decreta Generalia de quibus passim mentio fiet. Sic igitur Codex iste duobus constabit Voluminibus, quorum alterum Appendices illas et Decreta exhibebit.

TITULUS I.

DE CAUSIS CONFESSORUM PROCEDENTIBUS PER VIAM NON CULTUS.

Haud brevis est Actorum series Causarum eiusmodi, antequam solemnia Beatificationis celebrari possint. Dicendum 1° de *Iudicio super Introductione Causae*, eaque addemus quae respiciunt *perquisitionem scriptorum* Servorum Dei, et *Processum Apostolicum Inchoativum*, sive *ne pereant probationes*; 2° de *Iudicio super Non cultu*; 3° de *Iudicio super Fama in genere:* 4° de *Iudicio super validitate Processuum:* 5° de *Iudicio super Virtutibus:* 6° de *Iudicio super Miraculis:* 7° de *Iudicio* quod *super Tuto* vulgo dicitur, idest *an tuto procedi possit ad solemnem Beatificationem.*

Caput I.

De Iudicio super Introductione Causae, scriptis, et de Processu ne pereant probationes.

1. Sacra Rituum Congregatio edocta per Processus ab Ordinariis locorum confectos qui *Informativi* dicuntur de fama sanctitatis, virtutum et miraculorum alicuius Servi Dei, rebus mature perpensis Summo Pontifici proponit ut, si ei placuerit, committat Sacrae ipsi Congregationi Causam Beatificationis illius Servi Dei, ut eadem Congregatio delegare Iudices possit ad inquirendum de virtutibus ac miraculis. Summus Pontifex folio quod scripta continet argumenta quae ad Causam committendam suadent, apponit sua manu — *Placet.* Dicitur tunc *signata Commissio Introductionis Causae*, ac Ordinarii nil aliud in ipsa Causa peragere possunt

nisi ex mandato Apostolicae Sedis. Uti patet, Processus Informativi ab Ordinariis conficiuntur: at plura prius Postulatori disponenda ut Processus confici possint. De iis agendum: sed primum quidquam dicendum de Postulatoribus.

2. Postulator Causae, idem est ac Actor. Ipse constituitur per legitimum *Procurationis Mandatum* a familia, a coetu, a societate quae Causam promovet. Instat apud Iudices vel Ordinarios vel Apostolicos, idest a Sede Apostolica delegatos, pro confectione Processuum, et in Urbe apud Sacrorum Rituum Congregationem pro eorumdem Processuum examine et Causae expeditione. Si vero in Urbe vel ubi Processus conficiuntur degere ipse nequeat, ex facultate sibi tributa, quae in eo quod diximus Procurationis Mandato exprimi conceptis verbis debet, Vicarios sive Vice-Postulatores constituit qui agunt iuxta potestatem quam iis ipse facit.

3. Ordines Regulares quorum Curia in Urbe est, praesertim quod plures promoveant Causas, aliquem ex sodalibus Postulatorem Generalem Causarum omnium sui Ordinis constituunt, facta, inter ceteras, facultate Vice-Postulatores substituendi. Postulatores isti Generales authenticum exemplar sui Procurationis Mandati Cancellario S. R. Congregationis exhibent, qui illud in tabulario servat.

4. Postulator (quo nomine etiam Vice-Postulator heic intelligitur) legitime constitutus, ante omnia perpendere mature debet utrum ille cuius Causa pertractanda proponitur, non solum cum sanctitatis fama decesserit, sed etiam utrum eam duxerit vitae rationem, iis refulserit christianis virtutibus, iisque a Deo fuerit donis insignitus, ut fama illa merita sit, et probabilis videatur bonus exitus Causae quae ad severioris iuris normam a Sacrorum Rituum Congregatione diiudicabitur. Fama enim quae in primis requiritur, ex Benedicto XIV qui

in hisce Causis pertractandis Magister habetur, « nihil « aliud est quam existimatio, seu communis opinio de « puritate et integritate vitae, et de virtutibus non ut- « cumque, sed per continuatos actus, data occasione, « exercitos supra communem operandi modum aliorum « proborum virorum aut mulierum ab aliquo Servo vel « Serva Dei iam defunctis, nec non de miraculis eorum « intercessione a Deo patratis; ita ut concepta in uno « vel pluribus locis erga eos devotione, a plerisque in « suis necessitatibus invocentur, et plurium graviorum « virorum iudicio digni existimentur ut per Sedem Apo- « stolicam referantur in Album Sanctorum vel Beato- « rum » *(De Canoniz. Sanct. Lib. II, Cap. 39, n. 7)*.

5. Quaerat igitur Postulator necesse est notitias omnes de tota illius Servi Dei vita, de virtutibus eius, de donis ac miraculis. Quo vero facilius id assequi possit, vel per se vel per alium eas notitias ab iis hauriet, qui Servo Dei amicitia vel familiaritate coniuncti fuerint.

6. Notitiae istae vel a Postulatore vel ab iis ipsis qui eas perhibent describentur, omnino vero privatim, scilicet absque forma aliqua legali aut iudiciali; non alia enim de causa requiruntur, nisi ut Postulator comperiat utrum ea Causa sit quae tractari in S. Congregatione possit utiliter.

7. En vero quae potissimum notitiae requirantur oportet:

« Quando Dei Servus natus, et ubi, qui parentes eius, quomodo educatus: an praebuerit indicia sanctitatis vel a teneris annis. » Haec omnia hauriri etiam possunt a testibus de auditu, vel a publica voce et fama.

« Quaenam eius agendi ratio in prima iuventute, quae fuerit vocationis origo ad Regulare Institutum capessendum (si de viro Regulari agatur). Quomodo se gesserit in exercitio virtutum omnium in genere quae conditionis suae essent propriae; an virtutes tam *theo-*

logales quam *cardinales* in gradu heroico exercuerit, scilicet praeter communem operandi modum. »

Quod attinet ad virtutem *Fidei*, « an Deo gratias saepius ageret quod in gremio catholicae Ecclesiae natus fuerit; an firmum semper assensum suum singulis Fidei articulis ac mysteriis praebuerit: quo fervore praecipue coleret mysteria sanctissimae Trinitatis, Incarnationis Verbi, et Augustissimi Altaris Sacramenti, et quomodo cultum hunc monstraverit. Item requiratur an cultum Beatissimae Virginis adamaverit et propagandum curaverit et quomodo; an ad Augustissimum Altaris Sacramentum diu ac frequenter oraverit; an et quanto spiritus fervore Sanctam Missam celebraret, qua praeparatione, qua animi applicatione, et an apparuerint in celebratione externa Fidei signa. Requiratur an devotum se ostenderit Passioni Christi Iesus, an eam saepe animo recoleret, quo fervore, qua pietate; an in aliis eam pietatem excitare studuerit. Requiratur an D. S. peculiari honore prosequutus fuerit sanctos Caelites: quos ex iis patronos sibi elegerit: quae in eos ostenderet cultus indicia. Requiratur an desiderio arderet propagationis Catholicae Fidei; an rudes homines vel pueros docuerit christianam catechesim; an conciones habuerit; an Sacras Scripturas veneratus fuerit. Requiratur an Ecclesiae legibus, atque Praesulum iussis obsequium praestiterit; an Summum Pontificem, omnesque Dei ministros honore prosequutus fuerit. Requiratur an Deum oraverit pro infidelium conversione; an pro fide mori optaverit; an gauderet cum quis infidelis ad catholicae Ecclesiae sinum se reduceret, an moerore affectus fuerit cum damnum aliquod vel persecutionem pateretur Ecclesia; an decus et ornamentum domus Dei cordi ipsi fuerit, nec non observantia sacrarum coeremoniarum. Requiratur denique an D. S. diligenter custodiverit praecepta Dei et Ecclesiae, an desiderium habuerit lucrandi indulgen-

tias; an frequenter ad poenitentiae tribunal et ad sacram mensam accesserit. An singulari aliqua gratia aut prodigio Deus fidem eius illustraverit. »

Ad *Spei* virtutem quod attinet, requiratur in primis « an firmiter ex Christi Domini meritis salutem aeternam speraverit, et qua fiducia bona opera egerit; an hanc fiduciam in aliis excitaverit. Requiratur item an mundana omnia contempserit, et quomodo contemptum ostenderit. An in rebus arduis unice in Deo fiduciam suam collocaverit atque ad orationem confugerit. An desideria, omnesque actiones suas ad Deum direxerit tamquam ultimum finem; an hilariter adversitates tulerit et persecutiones; an austeritatem libenter tulerit religiosae vitae, necnon onera sui ministerii; an spem suam ostenderit ardentibus ac piis exclamationibus. Item requiratur an dissolvi et esse cum Christo cuperet; an infirmitates et dolores laeto semper animo perferret; an verbis vel operibus voluntatem demonstraverit patiendi propter aeternam beatitudinem; an morti proximus gaudio affectus fuerit. An denique spem eius singulari aliqua gratia vel prodigio Deus illustraverit. »

Quod attinet ad *Charitatem in Deum* requiratur « an D. S. diligenter custodiverit legem divinam et ecclesiasticam, necnon sui Instituti regulas; an peccatum oderit; an omnem operam impenderit ut immunem sese servaret a quolibet vel leviori defectu; an precatione, frequenti Sacramentorum susceptione ab imperfectionibus se emendare studuerit. Requiratur an S. D. Confessarii conscientiae eius puritatem admirati fuerint, ita ut in ipso absolutionis materiam haud invenirent. An mentem habuerit semper in Deum intentam; an frequenter de Deo loqueretur; an extraordinariis signis amoris sui vim ostenderit. Requiratur an, si sacerdos, quotidie Missam celebravit, et quo fervore; an eius oratio continua fuerit, et fervida. Item requiratur an

coram Altaris Sacramento diu in oratione perstiterit; an unquam in extasim raptus fuerit: quomodo se gesserit cum forte blasphemiam aliquam audivisset; an aliorum animos charitate erga Deum inflammare studuerit, et quomodo; an ieiuniis, aliisque afflictationibus carnem suam subegerit ut Deo magis placeret; an infirmitates, contradictiones, contemptum desideravit, et quomodo pertulerit. Requiratur an Christi Passionem saepe meditatus fuerit, et quibus actibus in eam suam pietatem ostenderit; an et quibus actibus erga Beatissimam Virginem amorem suum commonstraverit. Requiratur an totis viribus curaverit ut omnes ad laudandam divinam bonitatem excitarentur. »

De Charitate in proximum circa *spiritualia,* requiratur in primis « an pro peccatorum conversione oraverit; an, et quo fervore et assiduitate, et efficacia, si sacerdos, sacro ministerio perfunctus fuerit; an et quos labores exantlaverit pro animarum salute procuranda; an Deo ipse pro peccatoribus satisfacere studuerit; quo fervore et pietate et frequentia pro animabus defunctorum preces fuderit. Requiratur item quomodo se gesserit erga suos inimicos et persecutores; an iis veniam dederit; an benigne illos exceperit, et bonum pro malo reddiderit; an denique pro iis oraverit. Requiratur an totam operam impenderit in amovendis discordiis; an cordi habuerit bonam aliorum famam. »

Circa *corporalia* vero, requiratur « an pauperes dilexerit, an iis prouti potuit auxilio fuerit, an ad eos diligendos et iuvandos alios excitaverit. Requiratur quomodo se gesserit in aegrotantes, an eorum animis et corporibus medendis operam dederit, et quam. Requiratur an aegrotos inopes et foediores magis dilexerit; an carceribus detentos visitaverit ac sublevaverit. »

De virtutibus cardinalibus etiam quaerendum, et primo de *Prudentia* « an omnes actiones direxerit ad con-

sequendam aeternam gloriam tanquam ultimum finem; an ad id selegerit media necessaria et opportuna, an suae conscientiae puritatem custodiverit, et sanctum Dei timorem; quam impenderit efficacem curam ut immunem sese servaret a peccato. Item requiratur an simplicitatem dilexerit, an sincerus corde et ore fuerit, simulationem ac mendacium oderit; an omnes actiones eius semper rectae fuerint; an eius exquirerentur consilia, et quam opportuna ipse praebuerit. Requiratur an otium vitiorum fontem pro viribus oderit, an ad solitudinem et ad meditationem inclinaverit animum; an denique in exercitio sui ministerii prudentiam suam ostenderit. »

De *Iustitia* requiratur primum « an et quomodo debitum obsequium et cultum Deo reddiderit. Item an debitum cultum praestiterit Sanctis, et quibus actionibus devotionem suam erga Beatissimam Virginem, Angelum suum custodem, aliosque Sanctos quos sibi patronos elegerat ostenderit. An Sanctorum lypsana veneratione prosequutus fuerit; an Summorum Pontificum decreta in honore habuerit; an sacros ritus, coeremoniasque ab Ecclesia praescriptas exacte impleverit; an divini Officii recitationem quotidie et quo fervore absolverit. Requiratur item an divini cultus promovendi studio flagraverit; an omnem curam impenderit pro festorum sanctificatione. Requiratur an suis superioribus subiectus fuerit; an erga alios affabilis; an cuique ius suum tribuerit; an iis a quibus beneficia accepit se gratum praebuerit, aliosque ad hocce grati animi officium hortatus sit. Requiratur an commissa sibi officia iuste adimpleverit, an sese absque ulla personarum acceptatione semper gesserit. Demum requiratur an veritatem corde et ore semper praesetulerit: an erga omnes liberalis et officiosus ita se gesserit, ut nemo de ipso umquam iuste conquestus fuerit. »

De *Temperantia* requiratur primum « an iracundiae et concupiscentiae motus refrenaverit; an mansuetus semper et patiens tulerit persecutiones, si quae in ipsum motae sunt; an in hisce occasionibus turbatus unquam apparuerit. Requiratur an suae sententiae tenax fuerit. Requiratur an parsimoniam adhibuerit in cibo, et in potu; an ieiunia ab Ecclesia et ab Instituti regulis praescripta observaverit: quo cibo vesceretur et quanto, an brevi indulgeret somno, an humi cubaret; si in lectulo, an aspero et incommodo. Requiratur an parcus fuerit in vestitu; an cubiculi sui vel cellulae simplicitatem dilexerit; an vitae commoditates neglexerit. Requiratur an carnem cohibuerit extraordinariis ieiuniis, ciliciis; an alios corporis sensus subegerit; an silentium et solitudo ei cordi fuerint. An denique temperans apparuerit in sermone aliisque actionibus. »

De *Fortitudine* requiratur primum « an invicto animo superaverit obstacula pro Dei gloria promovenda, vel animarum salute procuranda; an patiens fuerit in infirmitatibus, persecutionibus, iniuriis, calumniis, animi angustiis, vel spiritus ariditatibus; an haec laeto animo pertulerit; an constans sibi semper fuerit tam in prosperis, quam in adversis; an honores, divitias, mundi oblectamenta spreverit. Requiratur an perseverans fuerit in exercitio virtutum. Item requiratur an daemonis vexationes passus sit; an humanos respectus vicerit: an denique in postremo morbo eius fortitudo apparuerit. »

Cum agitur de viro aut femina Regulari, inquirendum etiam de *Votorum Observantia*, scilicet de voto *Obedientiae, Paupertatis, Castitatis*. Requiratur igitur, circa *Obedientiam* « an diligenter sui Instituti praecepta et constitutiones servaverit: an a praesidum voluntate in omnibus suis actionibus penderet: an quidquid agebat obedientiae merito instructus agebat: quae fuerit eius obedientia erga suae conscientiae moderatores. An pa-

ribus suis ac etiam inferioribus obtemperaret: an propriae voluntati omnino nuncium miserit. »

De *Paupertate* requiratur « an ex huius voti observantia contentus vixerit iis solummodo quae ad vitae usum strictim necessaria sunt; an vestibus detritis ac vilioribus uteretur; an eius cellula misera; an supellex exigua; an recusaverit accipere vel detinere omne quod contrarium esset paupertatis voto; quo modo se in pecuniae usu gesserit; an denique paupertatem valde adamaret, atque ad eam adamandam sodales suos allexerit. »

De *Castitate* requiratur « an ieiuniis, ciliciis, aliisquae eiusmodi puritatem mentis et corporis custodiverit; an admirabilis eius esset modestia; an sensus arcta tenuerit custodia: an feminarum consortium evitaverit; an otium fugerit; an denique aliis signis hanc virtutem ostenderit. »

Quod si non agatur de homine Regulari sed laico; quae de Paupertate, Obedientia, Castitate, seu de votorum observantia dicta heic sunt, ad Iustitiam et Temperantiam referri possunt.

De *Humilitate* requiratur in primis « an se inutilem existimaverit, ac nulla consideratione dignum; an peccatorem se esse duxerit; an laetatus fuerit cum ab aliis negligeretur, atque irrideretur; an sui contemptum procuraverit; an suae vitae sanctimoniam, suasque virtutes abscondere studuerit absque ulla affectatione; an aliorum aestimationem, laudesque evitaverit. Requiratur an eius agendi ratio humilis atque affabilis fuit, ita ut etiam erga inferiores ac subditos humaniter comiterque se haberet; an aliorum sententiae docilem se praebuerit, propriamque opinionem spreverit. An denique vilioribus officiis libenter fungeretur; et an aliis signis humilitatem suam demonstraverit. »

De *Donis supernis* requiratur « an D. S. a Deo cumulatus fuerit donis gratis datis, et quaenam haec fue-

rint: an futura praedixerit; an infirmos sanaverit; an humana corda scrutatus fuerit; an in extasim unquam raperetur. »

De *Fama sanctitatis in vita* requiratur « quaenam opinio de S. D. fuerit cum in vivis degeret; an a probis, piisque hominibus *Sanctus* existimaretur; an opinio isthaec constans fuerit, et ex eius virtutibus, atque gratiis exorta quibus a Deo ornabatur: an in aliorum infortuniis, vel infirmitatibus D. S. frequenter arcessitus fuerit; an populus eum honoribus prosequeretur; an denique haec sanctitatis opinio in vita S. D. aliis signis fuerit demonstrata. »

De pretiosa morte S. D. requiratur « an ex signis antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus perspectum fuerit pretiosam eius mortem in conspectu Domini fuisse. Et primum circa *antecedentia*, requiratur an proprium obitum praedixerit, et quomodo; quinam fuerit postremus eius morbus; an in hoc laetus visus fuerit; an patienter et divinae voluntati penitus submissus morbi dolores pertulerit; an medicorum praescriptionibus obtemperavit; an in decursu morbi virtutum mirabiles eliceret actus, fervidasque preces ingeminaret: an Ecclesiae Sacramenta petierit et qua pietate acceperit. »

Circa *concomitantia* requiratur « an nuntio imminentis mortis gavisus fuerit; an vehementi desiderio aeternae vitae exarserit; an precibus sacerdotis delectatus sit; an luctam aliquam cum inferno hoste sustinuerit; an alia extraordinaria signa hoc tempore supervenerint; an denique spiritum placide exhalaverit, quo die, mense et anno. »

Circa *subsequentia* requiratur « an statim post S. D. obitum fama pervolitaverit mortis viri sancti; an populi concursus adfuerit ad eius funera; an populi pietas erga eum sese manifestaverit, et quomodo; an denique

aliquod prodigiosum signum evenerit, quo Deus sanctitatem Servi sui ostenderit. »

De *Fama sanctitatis post obitum* requiratur « an propter hanc sanctitatis opinionem cadaver eius conditum fuerit distincto in loco ; an inscriptio aliqua ad eius sepulcrum apposita. Requiratur an fideles ad S. D. sepulcrum accurrant ad eius intercessionem advocandam; an imagines eius ac reliquias requirant ; an oblationes ferant ; an ipsum Altarium honoribus dignum existiment; an uti *Sanctum* habeant ; an putent piacularibus flammis ipsum non detineri : an eius gesta pio memorent animo ; an eius intercessio apud Deum efficax existimetur. »

De *Miraculis post obitum* requiratur « an post S. D. mortem quis, eo invocato, sanationem aut quidquam aliud a Deo assequutus fuerit quod prodigio sit tribuendum ; an Deus efficacem apud se illius esse intercessionem portentis demonstrarit ; an cadaver eius incorrumptum manserit ; an ex eo manaverit odor, sanguis; et haec describantur cum omnibus rerum adiunctis. »

8. Hoc veluti specimen est notitiarum quas Postulator requirat necesse est : alias etiam opportuniores requiret iuxta conditionem et statum Servi Dei. Advertat autem de virtutibus potissimum notitias sibi esse quaerendas : de miraculis enim Sacra Rituum Congregatio non fert iudicium nisi postquam a Summo Pontifice decretum latum fuerit de *Virtutibus in gradu heroico*. Verum si qua miracula patrata ferantur quae videantur utiliter suo tempore proponi posse ad obtinendam Beatificationem ; de iis notitias vel minutissimas requiret, ne fiat, quod saepe factum est, ut eorum pereat memoria. Advertat etiam non a singulis singulas quas diximus notitias hauriri posse : ac satis esse si alter de ortu Servi Dei referat, alter de Fide, aut aliquo Fidei actu, alter de Spe aut aliquo actu Spei, et ita porro. Tum etiam

non solum quaerendum de iis quae in Dei Servi laudem cedant, sed etiam si quidquam sit in eius vita et actionibus redarguendum, ne Causa promoveatur, quae deinde in Sacra Rituum Congregatione obstaculum *peremptorium* offendat.

9. Quoniam vero si Dei Servus scripta exaraverit (sive sua manu conscripserit, sive dictaverit), severo illa examine in S. Rituum Congregatione expenduntur; idcirco Postulator diligenter quaerat an eius extent scripta cuius Causam pertractare aggreditur, et cuiusmodi sint; ne forte accidat ut cum ea scripta, si extent, expendentur, peremptorium ex iis obstaculum Causae exurgat, et Postulator frustra labores et impensas tulerit.

10. Cum notitias has omnes Postulator acceperit, mature perpendat an virtutes Dei Servi heroicae dici possint, an scilicet eas ille supra communem piorum hominum modum, an constanter, an alacriter, an delectabiliter exercuerit, et an de eiusmodi exercitio constare possit per iteratos Servi Dei actus, ad quos enarrandos praesto sint plures testes fide digni. Expendat etiam an prudenter putari possit nihil esse in scriptis quod inexsuperabile obstaculum constituat: quod quidem accidere potest praesertim in scriptis feminarum, quae vel visiones, vel revelationes, vel vitam omnem suam scripto tradiderint.

11. Si ex horum omnium maturo examine Postulator sibi suaserit prudenter posse Causam illius Servi Dei pertractari, ipse Articulos conscribet; idest quidquid de Dei Servo novit, vel eum egisse facile opinari potest, Articulis distinguet, qui deinde testibus proponentur ut super iis examinentur. Articuli enim exhibent intentionem Postulatoris, qui scilicet affirmat Dei Servum hos et illos virtutum actus elicuisse, haec et illa dixisse: et quod ipse affirmat, per testes quos inducit probare intendit, aut etiam per authentica documenta.

12. Plerumque Articuli conscribuntur vel ab Advocatis, vel a Procuratoribus Causarum Beatificationis et Canonizationis. Hoc autem fit ex voluntate et etiam ex commoditate Postulatorum. At vero Postulatorum est Articulos suo nomine exhibere; ac propterea si quis Postulator Articulos ipse conscribit, suo iure utitur. Quamobrem expedit heic de Articulis dicere ad Postulatorum commodum.

13. Eodem Titulorum ordine Articuli conscribentur quo superius notitiae quaerendae digestae sunt. Saepe autem fit ut novi Tituli sint adiungendi pro conditione Servi Dei, ex. gr. — *De Officiis quibus perfunctus est* — *De fundatione alicuius Instituti*, etc.

14. Articuli affirmationem Postulatoris, non autem eius opinionem exhibere debent: quamobrem numquam scribet Postulator — *credo, puto, Dei Servum hoc vel illud egisse* — sed — *hoc et illud egit.* — Testium erit vel confirmare vel denegare vel in dubitationem adducere quod ille asserit. Neque in Articulos inserantur rethoricae declamationes, aut commenta, aut quidquam aliud quod extrarium sit simplici affirmationi.

15. Si quid a Dei Servo factum sit quod primo intuitu heroico virtutum exercitio refragari videatur, quod tamen explicari et enucleari possit; Postulator explicationem aliquam proponat: quo fiet ut testes, qui caeteroquin ad necessitatem illius explicationis non attenderent, sic veluti moniti, diligentius res et facta in memoriam revocent, et vel illam, quam protulit Postulator, explicationem confirment, siquidem veritati consona sit, vel aliam afferant sibi notam. Advertat Postulator oportet Articulos esse Processus fundamentum, ideoque maxime esse accurandos, per eos enim, quibus minutim Dei Servi gesta describuntur, testium memoria iuvatur, qui facilius quidquid viderint vel audierint de Dei Servo recolent.

16. Exemplum Articulorum, et modi quo conscribi solent heic ponitur: latine quidem, sed ad testium intelligentiam vulgari ipsorum idiomate scribi etiam possunt.

« Positiones et Articulos infrascriptos dat, facit exhibet atque producit N. N. Postulator in Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N. ad docendum de fama sanctitatis, virtutum, et miraculorum eiusdem Dei Servi: » (Si agatur de Processu super *Non cultu*, dicetur — *ad docendum de Non cultu, seu de obedientia praestita Decretis sa. me. Urbani Papae VIII super cultu Dei Servis non exhibendo*; — si de Processu super *Fama in genere*, dicetur — *ad docendum de fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in genere et non in specie:* — et ita porro) « et petit illas sive illos ad probandum admitti, necnon testes inducendos super iis vel super aliquo ex iis, recipi et examinari, reservata sibi facultate alios quoque Articulos, si opus fuerit, exhibendi. Non autem intendit se adstringere ad onus superfluae probationis, de quo solemniter protestatur, non modo praemisso, sed et omni alio meliori modo etc.

« Itaque ponit et probare vult et intendit:

« De ortu, patria, adolescentia et prima iuventute Servi Dei:

« 1.° Qualiter veritas fuit et est Dei Servum ortum duxisse in... dioecesis... die... mense... anno... a piis et honestis parentibus NN. et NN... quorum prima cura fuit ut infans sacro regenerationis lavacro ablueretur die... in Ecclesia... atque ei nomen imponeretur... Pietatis ac Religionis sensus vel ab incunabulis in cor filioli parentes ingerere solerti cura coeperunt. Idoneo autem tempore munitus fuit Sacramento Confirmationis. — Quod omne probabitur a testibus bene scientibus, qui suae scientiae causam afferent, vel quia viderint, vel quia audierint: et

« constat ex traditione, et fama, et est publicum et « notorium.

« 2.° Item, quod traditae catholicae institutioni a « parentibus, optime respondit puerulus Dei Servus, cum « piis operibus assidue vacaverit. A iuvenilibus solatiis « prorsus alienus, Dei et Sanctorum cultui incumbebat, « et de rebus divinis loqui et audire delectabatur; quod « confirmabitur a testibus bene scentibus etc. et con- « stat etc. et est publicum et notorium. »

17. In hunc modum caeteri omnes Articuli scribentur, quorum numerus maior aut minor erit pro copia gestorum, virtutum actuum, et donorum Servi Dei. In fine autem Articulorum ponantur haec verba: « Hos pro « nunc etc. salvo semper iure alios exhibendi, si etc. « non se tamen adstringens ad onus superfluae proba- « tionis, de quo iterum protestatur etc. » Tandem apponatur subscriptio Postulatoris.

18. Articulis exaratis, de testibus inducendis cogitabit Postulator. Illi autem eligendi a quibus notitiae de Servi Dei vita traditae sunt, vel quos Postulator novit plura habere quae testentur, sive quod suis ipsi oculis ea viderint, sive quod ab aliis fide dignis audierint. Potiores autem esse qui suis viderint oculis compertum est. Testes sint oportet puberes, qui paschale praeceptum impleverint, nulla illaqueati ecclesiastica censura; qui sint fide digni et omni exceptione maiores. Qui a testimonio ferendo in aliis iudiciis repelluntur, multo magis repelluntur in iudicio de Beatificatione. Admittuntur feminae, et in necessitate, ex. gr. ad probandum miraculum, etiam Medici acatholici. Testimonium ferre nequeunt Postulator, Advocatus, Procurator Causae. Utile quidem erit, si haberi possit, testimonium Confessarii Servi Dei. Quando agitur de Dei Servo Regulari, non utile modo, sed necessarium est testimonium sodalium qui de eius vita et observantia regulari testentur.

19. Testium numerus, neque sit exiguus, neque immodicus: ac advertat Postulator tot ad examen vocandos esse, ex communi norma, quot ipse induxerit, ne suspicio oriatur nonnullos ex inductis idcirco omissos esse, quia contrarium quidquam Causae fuissent prolaturi.

20. Testibus quos inducere statuit legendos tradet Articulos Postulator, atque ita comperiet quos ad omnes comprobandos Articulos, quos ad plures, quos ad unum alterumve inducere poterit. Quamquam haec selectio in desuetudinem ferme abiit, ii enim nunc inducuntur testes, qui ad omnes, aut plerosque Articulos respondeant. Haec autem Articulorum lectio non obest quin testis interrogatus deinde a Iudicibus « *an edoctus a quopiam fuerit quid aut quomodo respondere debeat?* » asserat edoctum se minime fuisse: non enim ex Articulis notitias haurit testis: sed eos perlegendo, notitias quas iam accepit, in memoriam reducit.

21. Hisce sic dispositis curabit Postulator ut ab Ordinario loci in quo Dei Servus obiit, Processui Informativo conficiendo manus admoveatur. Processum eo loco confici necesse est tum quia de pretioso Servi Dei obitu constare debet; tum quia probanda est fama sanctitatis post obitum, nec potiora haberi possunt testimonia quam ubi Dei Servus mortuus est; tum etiam quia cum fiet Processus Apostolicus super virtutibus et miraculis in specie, exhumandum erit et recognoscendum cadaver Servi Dei. Fieri vero poterit ut Dei Servus paullum temporis eo loco vitam suam traduxerit, et ideo testimonia plena de eius vita ibi haberi nequeant. Tum vero Postulator vel illuc vocabit testes alibi degentes quibus Dei Servi vita et virtutes notae sunt; vel eo loco ubi testes isti degunt Processum alterum conficiendum curabit. Saepe accidit ut plures fieri debeant Processus ad plenam habendam probationem, cum pluribus in locis multi degant qui splendida de Dei Servo ferre possint testimonia, quia

diu ipse iis in locis commoratus est. Quod si pauci testes sint pluribus in locis, ad parcendum expensis Postulator rogabit Ordinarium loci ubi primo Processus inceptus est, ut eorum locorum Ordinarios deleget ad inquisitionem ibi habendam, missis Interrogatoriis Promotoris Fiscalis suae Curiae, et Articulis Postulatoris. Noverit tandem Postulator ibi Processus fieri debere, ubi potiora haberi possunt probationum momenta.

22. Ordinarii autem heic intelliguntur illi qui ordinaria potiuntur ecclesiastica iurisdictione in dioecesim ad quam locus pertinet ubi Processus conficiendus est: ac propterea Episcopi, Vicarii Capitulares, Abbates qui dicuntur *Nullius*. Addendi etiam Vicarii Apostolici et Administratores dioeceseos. Superfluum est dicere nullum hominem laicum in Processibus istis Iudicis munere fungi posse.

23. Quoniam vero Processus etiam fit actore Vice-Postulatore, idcirco quidquid ad eum rite conficiendum attinet vel aliquo modo refertur, legitur in Appendicibus ad hunc Codicem sive Instructionibus pro conficiendis Processibus, quae habentur in Vol. II: quae quidem Instructiones non Postulatoribus modo sed etiam Vice-Postulatoribus accomodae sunt, qui, praesertim cum agitur de Dei Servo qui in regularem Ordinem adscriptus fuit, ac extra Urbem occubuit, curam plerumque ipsi habent de Processus constructione: in hoc autem Codice sermo est de iis tantum quae Postulatoris propria sunt.

24. Dum Ordinaria inquisitio habetur de qua dictum est, Postulator curabit ut perquirantur scripta Dei Servi, quae ad iuris tramites examinanda prius sunt quam de Causae Introductione agatur.

25. Igitur per supplicem libellum Procuratoris quem ad Causam in Sacrorum Rituum Congregatione tractandam elegerit, Summum Pontificem rogabit ut per eandem S. Congregationem demandet Ordinariis locorum in qui-

bus notum est scripta Dei Servi extare (et haec loca designanda sunt) ut ea diligenter perquirant ad normam instructionis Fidei Promotoris; et cum collecta fuerint, Romam ad S. R. Congregationem mittant. Aliquando opportunum erit, (cum scilicet certa loca designari nequeunt praeter illum in quo fit Processus, et alioquin notum aut credibile sit alibi etiam scripta extare) ut petatur fieri perquisitionem scriptorum iis in locis quae ipse Fidei Promotor pro sua prudentia designanda putabit. Hoc accepto supplici libello, a S. Congregatione editur Decretum minime tamen typis vulgandum. Decretum Promotori Fidei traditur qui suas scribit instructiones ad Ordinarios. Nihil heic dicitur de modo in scriptorum perquisitione servando, quia pendet ab instructione Promotoris Fidei, quam adamussim sequi debent Ordinarii. Pro hac instructione merces a Postulatore solvenda est tum Promotori Fidei, tum Sub-promotori.

26. Instructiones istas Secretaria S. R. Congregationis suis litteris includit ad Ordinarios quibus perquisitio committitur directis, quas deinde clausas et obsignatas Postulatori tradit ut ad eos Ordinarios mittat. Nonnihil etiam pro hisce litteris Secretariae solvendum est. In Urbe vero Card. Vicarius scripta perquirit absque Promotoris instructione.

27. Processus qui fit ad inquirenda ea scripta, nuncupatur vulgo *Processiculus diligentiarum*, scilicet quia multa adhibetur diligentia ut ea scripta inveniri possint. Cum autem Ordinarius, ad normam instructionis Promotoris Fidei, scripta collegerit, Romam ea mittit ad S. R. Congregationem, quae cum ea receperit, Postulatorem de hoc monet. Eligendus tunc Cardinalis Causae Relator, si electus iam non fuerit, cuius est scripta ad trutinam revocare.

28. Cardinalis Causae Relator sive Ponens, a Summo Pontifice designatur, atque eligitur ex iis tantummodo

Patribus Cardinalibus, qui sacris tuendis ritibus sunt praepositi. Conceditur tamen Postulatoribus ut quem ipsi exoptant in Causae Relatorem deputari, manifestent. Verum de illius assensu certiores antea fieri debent. Postulator per Causae Procuratorem Summum Pontificem rogabit ut Cardinalem Relatorem eligere dignetur: ac R. P. D. Secretario S. R. Congregationis, qui supplicem hunc libellum Summo Pontifici subiicere debet, eum ex Patribus Cardinalibus indicabit quem ipse Relatorem designari exoptat, et qui ad id munus obeundum paratum se praebuit.

29. Edito deinde Decreto quo Cardinalis Relator deputatus est, Postulator Decreti exemplar ad ipsum deferet. Postea altero supplici libello a Procuratore conscripto (omnes enim supplices libelli quibus invocantur Rescripta aut Decreta quae Causae Acta respiciunt, a Procuratoribus conscribi debent) Summum Pontificem rogabit ut Cardinali Relatori facultatem tribuat deputandi *Revisores* qui, arcani lege devincti, scripta illa scrutentur. Hac facultate per alterum Decretum impetrata, Postulator Decreti exemplar Cardinali Relatori exhibeat, eumque precetur, ut unum Revisorem vel plures, prout ei videbitur, deputet. Revisorum nomen numquam Postulatori aliisque aperitur. Revisorum est scripta diligenter expendere, et advertere an quidquam in iis sit quod bonis moribus, aut fidei, aut sanae puraeque doctrinae adversetur.

30. Si nil eiusmodi in scriptis inveniatur, Cardinalis Relator in comitiis ordinariis S. R. Congregationis de iis refert, ac *Votum* Revisorum proponit: et S. Congregatio declarat *procedi posse ad ulteriora*, reservato tamen iure Promotori Fidei Animadversiones contra Dei Servi virtutes ex iis scriptis suo tempore excitandi. Si vero Revisores aliquid censura dignum invenerint, id proponunt *Voto* scripto: at simul quae ad defensionem Dei Servi ad-

duci possunt, afferunt. Sacra Congregatio vel solutas ab ipsis Revisoribus iudicat difficultates, et declarat *procedi posse ad ulteriora* etc. uti supra; vel difficultates adhuc superesse existimat, et, nisi *peremptoriae* sint quae Causam ipso in limine interçipiant, iubet Revisorum Adnotationes per Promotorem Fidei, eorum nomine occultato, Postulatori notas fieri ut, si placeat ac possit, eas per Advocatum cui ius sit Causis Beatificationis et Canonizationis patrocinari, aut per Procuratorem, de quo supra, refellat. Sciendum enim est Procuratoribus licere non solum *in facto* scribere, scilicet supplices libellos, Informationes, Summaria; sed quando agitur de *Dubiis minoribus*, etiam in iure. Eiusmodi vero Dubia ea sunt quae non respiciunt disputationes de virtutibus et miraculis in specie aut de martyrio et causa martyrii, et ea quae si in alio foro disputarentur (nam etiam aliae Causae praeter Causas Beatificationis et Canonizationis in S. R. Congregatione tractantur) Procuratoris opera tantum adhibita disputari possent.

31. Adnotationes et Responsiones typis eduntur. Liber qui eas continet, inscribitur — *Positio super Revisione Scriptorum* — ac in fronte titulum Causae et nomen Cardinalis Relatoris impressum habere debet. Positionis huius traditur, Postulatore curante, duplex exemplar Cardinali Relatori, quorum alterum corio rubro, stemmate ipsius Cardinalis ornato, obductum. Duplex pariter exemplar, quorum alterum ornatius, traditur cuilibet ex Cardinalibus sacris tuendis ritibus praepositis, Antistiti Sacrarii pontificii, Magistro S. Palatii Apostolici, Promotori Fidei, Sub-promotori, Secretario S. R. C., Advocato et Procuratori Causae, si etiam Advocati opera fuerit adhibita: septem exemplaria Secretariae Congregationis; unum Protonotario S. C. et cuilibet ex tribus antiquioribus Sacrae Rotae Auditoribus. Traditio haec fieri debet saltem decem diebus antequam comitia S. Con-

gregationis habeantur; multis autem diebus ante ea comitia unum ex septem exemplaribus tradi debet Substituto Secretariae, ut propositio Dubii scribi possit in folio Dubiorum quae a S. Congregatione iis in comitiis expendenda sunt.

32. Si S. Congregatio difficultates exsuperatas esse iudicat, Decretum fertur quo statuitur *procedi posse ad ulteriora, reservato iure etc.* uti supra. Sacrae Congregationis iudicium, nisi quid obsit, dignosci subito potest a Postulatore, nam ordinaria S. Congregationis comitia arcani lege non obstringuntur: ac Postulator, etiam antequam Decretum edatur, strenas dabit famulo Cardinalis Praefecti S. Congregationis, Ponentis, Promotoris, Subpromotoris, Secretarii, Advocati, si ipse scripserit, et Procuratoris. Strenas etiam dabit si Decretum feratur quin Patroni Causae opera fuerit adhibita.

33. Ex nuper inducta praxi, Revisores a Postulatoribus pecunia retribuuntur non secus ac Periti Physici qui Votum in disputatione de miraculis scribunt. Cardinalis Relatoris aut Promotoris Fidei erit retributionis quantitatem determinare, eamque ut Revisores, Postulatori ignoti, habeant curare. Aliquando vero Revisores non adhibentur, cum nempe scripta pauca admodum sunt; sed ipsemet Cardinalis Relator de iis refert in ordinariis comitiis S. Congregationis.

34. Caveat Postulator ne scripta Dei Servi, si post hoc iudicium reddita sibi fuerint, dirhibeat aut disperdat: iterum enim a Promotore Fidei investiganda sunt ut, si quid est quod heroicis virtutibus refragetur, advertat in discussione de Virtutibus in specie, et etiam de Introductione Causae.

35. Mos invaluit ut perquisitio haec scriptorum ac quae sequuntur omnia de quibus dictum est, post Causae Introductionem agantur, impetrata a Summo Pontifice venia Dubium de Introductione proponendi etsi scripta nec

perquisita, nec examinata fuerint. Verum minus prudens hoc videtur, nam, quidquid praeviderit Postulator, fieri potest ut scriptum aliquod reperiatur quod obicem Causae ponat: in quibus rerum adiunctis satius quidem erit obicem hunc initio Causam offendisse, quam post multos latos labores atque expensas. Sed tota haec res non Postulatoris modo, sed, praesertim hodie, Promotoris Fidei prudentiae committitur, cuius votum exquiritur antequam a Secretario S. Congregationis Summo Pontifici subiiciatur supplex libellus quo petitur venia introducendi Causam ante perquisitionem et examen scriptorum.

36. Haec de scriptis: ad Processum Informativum nunc redire oportet. Processus ipsius, absolutus cum fuerit, exemplar conficitur, quod *Transumptum* nuncupatur. Transumptum in Urbem ad S. Rituum Congregationem mittitur per *Portitorem;* hoc enim illi nomen qui Transumptum Romam deferendum suscipit.

37. Portitoris munere ipsemet Postulator aut Vice-Postulator fungi potest, qui Secretarium S. Congregationis adibit, atque adstante ipsius S. Congregationis Cancellario, illi tradet epistolas Iudicum qui Processum confecerunt, et *instrumentum clausurae* Transumpti. Cancellarius instrumentum ac epistolas legit, quas deinde Transumpto adiiciet, Transumptumque accipit clausum, ut est, et obsignatum. Haec dicitur *praesentatio Transumpti in actis Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis.* Tum Postulator, per supplicem libellum a Procuratore scriptum, Summum Pontificem rogabit ut concedat Transumptum aperiri posse: quod si, ut saepe fit, in itinere sigilla quibus Transumptum obsignatum est infracta fuerint, sanationem ab hoc defectu a Summo Pontifice etiam impetrabit, qui eam concedit, dummodo defectus ex fraude non evenerit, ac caeteroquin Transumptum integrum appareat. Aliis etiam sanationibus quandoque opus est, ac Postulator pro re nata providebit.

38. Supplicem libellum sequitur Decretum quo petita conceduntur. Causae Procurator Decretum a Secretaria S. Congregationis accipit, et Cancellario tradit. Hic postquam duo probati viri authenticam esse Ordinarii scriptionem, quae dicitur *legalitas,* in externa Transumpti facie testati fuerint, coram Emo et Rmo Cardinali S. Rituum Congregationis Praefecto Transumptum illud aperit. Postulatoris erit testes eiusmodi reperire, quod quidem facillimum est; nam quilibet Episcopus aliquem probum virum in Urbe habet cuius opera utitur ad negotia dioecesis suae apud Sacras Congregationes Romanas expedienda: et in Secretariis earum Congregationum dignosci potest quinam sit Mandatarius illius qui Processum confecit.

39. Transumpto aperto, illius exemplar conficiendum est a Cancellario. Quod si testimonia aut documenta non latino aut italico, sed alio idiomate sint exarata, antequam Transumptum describatur, in italicum idioma illa vertantur oportet. Petendum igitur a Summo Pontifice ut facultatem Card. Relatori tribuat designandi unum aut plures interpretes ad eam versionem faciendam, et unum aut plures revisores qui interpretationem seu versionem examinent, et, si opus sit, corrigant. Decretum quod hac de re editur, Postulator ad Cardinalem Relatorem deferet, qui adhibito Cancellario S. Congregationis, interpretes et revisores destinabit. Revisorum nomen occultum Postulatori manet; quin etiam et interpretum. Merces interpretibus et revisoribus solvitur a Postulatore ad normam quam illi tradet Cancellarius. Aliquando versio facta est in ipsa Curia quae Processum condidit ab interpretibus quos Iudices deputarunt. Haec versio reiicitur a Cancellario, interpretes enim a Card. Relatore deputandi sunt. Verum, si Cancellarius non obsit, impetrari potest a Summo Pontifice ut versio illa tamquam authentica habeatur, dummodo tamen re-

visores a Card. Relatore deputandi eam approbent; revisio enim peragenda omnino est in Urbe.

40. Quodlibet istius exemplaris Transumpti folium debet quadraginta octo lineas continere, et in margine *rubricas* quae indicant initium Sessionis, locum in quo habetur, praesentiam Iudicum, subscriptiones etc. Si quis irrepsit scribarum error, Cancellarius corrigit, correctionemque, suo scripto nomine, authenticam efficit. In calce suam testificationem scribit de concordantia istius exemplaris cum Transumpto: hoc autem in tabulario asservat, illud Postulatori tradit, qui debitam ei mercedem solvet.

41. Tunc Postulator exemplar hoc Procuratori aut Advocato dabit ut Summarium disponat, quod deinde typis edendum est: correctio typorum ad Sub-promotorem Fidei pertinet cui exemplar ipsum idcirco tradendum est. Sub-promotor ad calcem Summarii apponit formulam « *Revisa* etc. » Haec quidem formula apponenda esset Summario scripto et nondum typis edito, ea enim formula testimonio est quidquid in Summario continetur fuisse fideliter ex Processu descriptum: cum vero Sub-promotor ad correctionem typorum utatur ipso Processu, facile concedit, ut citius res expediatur, Summarium, vix ac descriptum fuerit, typographo tradi: ac ipse simul tum typos corrigit, tum *revidet* utrum documenta Summarii cum Processu concordent. Sub-promotori solvenda est merces pro revisione et correctione: solvet Postulator pro revisione, typographus aut Postulator pro correctione. Atque heic loci opportunum est monere, in Causis Beatificationis et Canonizationis, ab Advocatis et Procuratoribus nihil posse typis edi, quod prius non fuerit a Sub-promotore *revisum*, cuius revisionis testimonium typis pariter imprimendum est. Historiis Beatorum et Sanctorum quae vulgantur per Postulatores cum Beatificationis aut Canonizationis solemnia cele-

brantur, Sub-promotor uti Assessor S. C. apponit suum — *Nihil obstat.* — Typorum correctio semper ad Sub-promotorem pertinet, exceptis iis quae Postulatores, Advocati, Procuratores afferunt vel a se scriptum, vel ab aliis quibus ipsi demandarunt, ad Causam proponendam, illustrandam, defendendam.

42. Advertat Postulator exemplaria Positionum quae distribuendae sunt cum Iudicium agitur in comitiis S. Congregationis ordinariis, saltem sexaginta esse debere : ideoque Summarii de quo sermo sexaginta saltem exemplaria imprimenda curabit.

43. Edito Summario, Procurator aut Advocatus *Informationem* scribet, quae continet brevem historiam vitae Servi Dei , ac demonstrationem virtutum heroicarum illius, donorum et miraculorum. Informatio haec, typis edita, una cum Summario et Processu Sub-promotori exhibebitur, cuius est *Notas* scribere pro Animadversionibus a Fidei Promotore exarandis.

44. Si plures confecti fuerint Processus, facile intelligitur quidquid de uno dictum est, de aliis dicendum. Et quamvis Advocatus aut Procurator uno tantum ex iis utendum sibi esse duxerit caeteris praetermissis, tamen omnes Sub-promotori tradendi sunt; neque de Causae Introductione agi potest, si non omnes ei fuerint exhibiti.

45. Nonnulla nunc advertenda. Ex Decretis sa. me. Innocentii XI decem elabi debent anni a die quo Processus Informativus fuit Secretario S. R. Congregationis exhibitus, antequam Dubium de Introductione Causae proponi possit. Si vero Postulator utile Causae duxerit eam introduci decennio illo nondum elapso (et utilitas saepissime adest, ex. gr. quia fieri potest ut decedant testes in Processibus Apostolicis potissime adhibendi), per supplicem libellum Procuratoris Summum Pontificem precetur ut iis Decretis in praesenti rerum statu derogare dignetur. Si Summus Pontifex annuet, derogationis im-

petratae documentum, idest Decretum, typis imprimetur ac Summario adiicietur.

46. Item ex Decretis sa. me. Urbani VIII Dubium de Introductione Causae proponendum esset in Congregatione generali adstantibus et suffragium ferentibus cum Patribus Cardinalibus etiam Consultoribus S. Congregationis. Sed Summus Pontifex permittere solet ut proponatur in comitiis ordinariis absque interventu et voto Consultorum. Huius permissionis documentum, idest Decretum, pariter typis imprimendum est et Summario adiiciendum.

47. Imprimendum quoque et Summario adiiciendum Decretum quo scripta S. D. adprobata fuerint, vel quo concessum est ut proponatur Dubium de Causae Introductione, Servi Dei scriptis non perquisitis aut non examinatis. Et haec Decretorum impressio a Sub-promotore *revisa* sit oportet.

48. Typis etiam imprimendae ac Summario adiiciendae *Litterae Postulatoriae:* nam in S. R. Congregatione agi nequit de Causae Introductione, nisi plures Patres Cardinales, sacrorum Antistites, praesides Ordinum regularium, Capitula Canonicorum, pia sodalitia, magnates, non modo eius loci in quo Dei Servus vixit aut obiit, sed etiam aliorum locorum, fama quae ad suas aures pervenerit sanctitatis eius permoti, Summum Pontificem suis litteris quae *postulatoriae* nuncupantur adprecati fuerint pro illius Servi Dei Beatificatione.

49. Quamquam vero hae litterae sponte scribantur oportet, tamen licet Postulatori ad eas scribendas excitare; quin et ipse eas accipere atque ad Secretarium S. Congregationis deferre potest, qui Summo Pontifici deinde exhibebit. Non singulae tamen typis imprimantur necesse est, sed selectiores: caeteras tantummodo indicare satis est. Et harum Litterarum impressio a Sub-promotore *revideri* debet.

50. Animadversiones tandem cum Postulator acceperit, ac mercede Promotori soluta, typographo imprimendas tradet. Deinde Advocatus aut Procurator Animadversionibus suam adiiciet Responsionem, quae pariter typis editur. Tunc ex Informatione, Summario, Animadversionibus, Responsione, et aliquando Summario obiectionali vel additionali, fit *Positio super Introductione Causae*, quae eodem modo et tempore, iisdemque distribuetur, ac *Positio super Revisione Scriptorum*, de qua supra p. 22 n. 31. Prius vero quam Positio componatur, Summarium iterum revisioni Sub-promotoris subiiciendum est, testari enim ipse debet illud idem esse Summarium typis impressum, quod ipse iam antea probaverat, et quo usus est ad Notas pro Animadversionibus exarandas: id vero facit scribens calamo ad calcem Summarii *Revisa* etc. Subiiciendum etiam est subscriptioni atque obsignationi Secretarii S. Congregationis. Pro obsignatione merces solvenda ianitori Secretariae. Haec altera revisio Sub-promotoris, pro qua nil ei solvitur, haec subscriptio Secretarii et obsignatio, in omnibus Summariis quae concinnantur in Causis Beatificationis et Canonizationis semper locum habet: quod semel nunc adnotasse sufficiat.

51. Comitia ordinaria S. R. Congregationis plerumque habentur Sabatho in Palatio Apostolico Vaticano. Cum, uti iam dictum est p. 23 n. 32, comitia haec, nisi quid peculiaris intercedat, arcani vinculo non obstringantur, iis absolutis Substitutus Secretariae consuevit notum facere Postulatoribus, Causarumque de quibus disputatum est Patronis, quid S. Congregatio ad proposita Dubia respondendum censuerit. Dubium de Introductione Causae hisce conceptis verbis exprimitur — *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* — Cardinalis Relator de Dubio et Causa refert in comitiis. Emi Cardinales audito Promotore Fidei, ad proposita Dubia respondent vel *Affirma-*

tive vel *Negative* vel *Dilata*, vel *Dilata et ad mentem*, ac explicatur quae sit mens S. Congregationis, vel *Expedire* vel *Non expedire*. Ad Dubium de Introductione Causae, si eam introducendam esse censuerunt, respondent — *Affirmative, seu signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit.* —

52. Hoc accepto responso Postulator, strenas dabit famulis Card. Relatoris aliorumque non secus ac in Iudicio de scriptis (v. p. 23 n. 32), et Procuratori Causae committet scriptionem folii *Commissionis Introductionis* de quo p. 3 n. 1; huius folii tria exarantur exemplaria Secretario S. Congregationis tradenda postquam fuerint Fidei Promotoris revisioni et subscriptioni subiecta. Secretarius primo die post habita comitia quo ipse ad Audientiam Summi Pontificis accedit, de iis quae in illis comitiis disputata sunt ad Summum Pontificem refert, qui si S. Congregationis sententiam ratam habet, Decreta confirmationis deinde a Secretario eduntur: sententiam vero quod attinet de Introductione, Secretarius postquam de ea retulerit, si Summus Pontifex annuerit, tria illa exemplaria ei exhibet, quae idcirco eleganter descripta esse debent; ac Summus Pontifex ad calcem scribit — *Placet* — additque literam initialem sui nominis quo appellatus est in baptismate. Ex. gr. Pontifex O. M. Leo XIII quem Deus diutissime sospitet, scribit — *Placet. J.* — idest — *Placet. Joachim.* — Trium illorum exemplarium alterum servabitur in Secretaria S. Congregationis, alterum in Cancellaria, alterum a Postulatore. Demum a Secretario scribitur Decretum quo enunciatur sententia S. Congregationis, confirmatio Summi Pontificis et Commissio ab eo signata. Decretum hoc typis editur, et curante Postulatore per alterum ex *Cursoribus Apostolicis* publice affigitur in locis consuetis, et ad fores aedium in quibus degunt Cardinales Sacrae Congregationis, et alii quibus, uti dictum est,

dari debent Positiones. Nonnulla exemplaria dabit Postulator Cardinali Relatori, duo saltem caeteris Cardinalibus S. C., et aliis qui comitiis interfuerunt, septem aut decem Secretariae, aliqua Cancellario, aliqua, si velit, Causae promotoribus. Patet minime pauca exemplaria huius Decreti esse imprimenda; eorum numerum atque etiam mensuram determinare prudentiae Postulatoris est.

53. Cursori pro affixione et distributione exemplarium Decreti, mercedem solvet Postulator. De mercede solvenda pluries dictum est: numquam vero quanta debeat esse. Neque dicetur, statuta enim pro mercedibus solvendis fuit taxatio a Benedicto XIV, sed immutationes passa est. Quamobrem Postulator, cum mercedem solvere cui debeat, in iis in quibus taxatio Benedicti XIV desuevit, vel praesenti usu, vel aliorum consilio, maxime Promotoris aut Sub-promotoris regatur. Nuper autem nova taxatio prodiit quae strenas moderatur.

54. Pro Causae Introductione, depictae effigies Servi Dei debentur Cardinali Praefecto et Cardinali Relatori, Promotori, Sub-promotori, Secretario, Substituto Secretariae, Procuratori, et Advocato si Causam ipse propugnaverit. Grandiori mensura, idest longit. met. 1 cent. 35 lat. met. 1 et elegantiores sint pro Cardinali Praefecto et Relatore: pro caeteris sint longit. met. 1, lat. cent. 75. Corona tabulae lignea sit et aurata.

55. Cum Causa pertractatur apud S. R. Congregationem, idest per id temporis quo pro ea laborant Patroni, Promotor, Sub-promotor, mos est ut Postulatores, tum Patronis, tum Promotori, Sub-promotori, Secretario eiusque Substituto, mense Decembri et Augusto vel pullos mittant, vel saccarum et fabas arabicas, vel eiusmodi. Quantitatem quod attinet, Postulator aequus sit oportet. Postulatores Ordinum Regularium, qui dicuntur Postulatores *Generales,* cum raro Causas quae non actu pertractentur habeant, et cum non pro singulis dona mittant,

sed pro omnibus simul sumptis, decet quotannis ea offerre dona. Sic etiam famuli Card. Praefecti, Promotoris, Sub-promotoris, Secretarii, janitor Secretariae, a Postulatoribus iisdem mensibus Augusto et Decembri strenas petere solent. Usus est communis in societate, quem non servare minus decet.

56. Nonnunquam offenduntur in Causarum pertractione obstacula, de quibus propter peculiarem aliquam rationem minus expedit agere in plena Congregatione, atque opportunum est ut, si fieri possit, removeantur antequam Causa progrediatur, ne, ex. gr. accidat ut Causa demum intercipiatur cum iam Postulator haud paucas sustulerit impensas. Tum vero impetratur a Summo Pontifice ut de illis obstaculis disputetur in Congregatione particulari, cui, praeter Cardinalem S. Congregationis Praefectum, Causae Ponentem, S. C. Secretarium, Promotorem, Sub-promotorem et Protonotarium, adsunt etiam alii duo vel tres Patres Cardinales ex iis qui sunt sacris tuendis ritibus praepositi. Cum haec Congregatio habetur, non semper Causae Patronus ad scribendum vocatur, sed ipsa S. Congregatio rem mature examinat ac fert iudicium. Aliquando vero Causae Patronus Memoriale scribit, quo Causam ipsam defendit ac purgat: aliquando Fidei Promotor suas proponit Animadversiones, ac Patronus Responsiones; aliquando etiam, quod in hac Congregatione agitur, arcani lege devincitur. Prouti Congregationi huic visum fuerit, Summoque Pontifici placuerit, Causa vel progredi poterit, vel eius progressus retardabitur, vel silebit. Pauca haec de Congregationibus particularibus dixisse sufficiat.

57. Causa introducta alia sequuntur Iudicia quae superius pag. 3 enumerata sunt. Sed dum iis dare operam debet Postulator, cavendum sibi primum omnium sciat ne pereant probationes. Advertat igitur utrum inter testes examinatos in Processu Informativo, aliqui sint

qui annum aetatis quinquagesimum exegerint, vel infirma sint sanitate, vel e loco ubi Processus Apostolicus super virtutibus et miraculis in specie conficiendus erit discessuri; et ut quodvis vitetur periculum amittendi probationes quae ex eorum testimoniis haberentur, curet ut quantocyus expediantur a S. Congregatione Litterae Remissoriales ad instruendum Processum Apostolicum *ne pereant probationes* qui dicitur etiam *Inchoativus*. Has Litteras petet a Summo Pontifice per supplicem libellum Procuratoris, dirigendas Ordinario et eius Vicario Generali necnon quatuor Dignitatibus sive Canonicis ab Ordinario eligendis eius loci in quo Processus Informativus conditus fuerit. Quod si pluribus in locis Processus Informativi fuerint conditi, petendum ut ad omnes eorum locorum Ordinarios Litterae mittantur, nisi forte ullus ex iis Processibus ita levia testimonia exhibuerit, ut nullum Causae damnum obveniat si iis deinde careat. Carebit autem si testimonia illa in Processu Apostolico non repetantur, habentur enim in disputatione de virtutibus et miraculis in specie tantum uti adminiculum, si testes qui ea tulerunt superstites adhuc erant cum Processus Apostolicus conficiebatur, et examen subire potuissent.

58. Decretum quo conceditur expeditio Litterarum Remissorialium primum Promotori aut Sub-promotori exhibendum, deinde Cancellario S. Congregationis tradendum est, ut eas Litteras disponat. Interim novi Articuli a Postulatore vel Procuratore scribendi sunt. Ex testimoniis Processus Informativi, ex documentis quae fortasse colligere et afferre oportuit in Responsione ad Animadversiones super Dubio « *An sit signanda Commissio Introductionis,* » uberiores et accuratiores notitiae haberi possunt ad novos istos Articulos scribendos. Qui, scripti cum fuerint, ad Fidei Promotorem, seu ad Sub-promotorem ex consuetudine, deferentur ut Interrogatoria ipse scribat super quibus Iudices, qui a S. Sede

delegabuntur, testes examinent: nam, signata Commissione Introductionis, nihil in Causa aut pro Causa Ordinarii agere possunt nisi ex mandato Sedis Apostolicae per Sacrorum Rituum Congregationem, et interveniente Promotore Fidei per se vel per Sub-promotores quos ipse designat. Interrogatoria Promotor Cancellario tradit cum Articulis Postulatoris. Cancellarius plicum Interrogatoriorum clausum et obsignatum includit plico Litterarum Remissorialium, et Articulos in ipsas Litteras inserit antequam subscribantur. Plicum deinde claudit et obsignat sigillo Cardinalis Praefecti S. R. C. et in externa eius facie ad quos eae Litterae mittantur scribit, et una cum altero plico Litterarum quas Promotor ad eos scribit quos ipse Sub-promotores deputat, Postulatori tradit, qui ad eos quibus directi sunt feret. Quod si ipse in Urbe maneat, et Vice-postulatoris per Procurationis Mandatum legitime constituti operam in Processus constructione adhibeat, ipsemet Vice-postulatori eos plicos tradet ut ipse delegatis Iudicibus exhibeat. Pro Interrogatoriis merces solvenda est Promotori et Sub-promotori: item Cancellario pro Litteris Remissorialibus.

59. Haec si extra Urbem Processus sit conficiendus: si vero in Urbe, non expediuntur Litterae Remissoriales, sed Decretum editur quo Emus Cardinalis Urbis Vicarius delegatur ad Processum condendum, data ei facultate, si opus ipse per se conficere nequeat, quod plerumque accidit ob innumeras Card. Vicarii curas, tres Episcopos subdelegandi quos ipse idoneos existimaverit, quorum duo saltem Processus Sessionibus adesse simul semper debeant. Decretum hoc a Postulatore Eminentissimo Card. Vicario exhibetur, et in Acta Processus inseritur. Sessionibus etiam intersunt Promotor Fidei aut Sub-promotor, vel uterque. Adsit etiam necesse est Protonotarius Apostolicus; sed recenti Decreto statutum fuit ut, quando Protonotarius adesse non potest, eius

munere Fidei Promotor fungatur. Altero etiam recenti Decreto statutum est ut collatio Transumpti cum Processu originali fieri possit uno tantum ex tribus delegatis Episcopis adstante. Semel advertisse sufficiat, haec omnia in singulis Processibus Apostolicis qui in Urbe conficiuntur servari, excepto Processu Apostolico super *Non cultu*, ad quem unus tantum subdelegatur Episcopus. Modum quod attinet hunc Processum *Inchoativum* construendi, cfr. Appendix IV quae inscribitur — *Instructio pro conficiendo Processu Apostolico super virtutibus et miraculis in specie: P. I. de Processu ne pereant probationes.* — Verum, cum in Urbe conficitur, Postulator securus erit omnia rite factum iri, rem totam dirigentibus Promotore et Sub-promotore.

60. Ratio huius Processus, scilicet ne pereant probationes ob decessum aut discessum testium, iam per se demonstrat Processum hunc necessarium non esse in Causis antiquis, in quibus non alia haberi possunt testimonia quam ex traditione, cum testes *de visu* aut *de auditu a videntibus* iamdiu obierint. Sed et in his Causis aliquando Processus *Ne pereant* utilis est valde, nempe cum testes habeantur traditionis et traditionis auctorum bene conscii, qui vel senes vel infirmi sint, vel proxime discessuri, ut merito Postulator vereatur ne Causa splendidis eorum testificationibus privetur.

61. In Processu isto Apostolico *Ne pereant probationes*, tantummodo ad examen vocari possunt testes senes, qui scilicet quinquagesimum aetatis annum exegerint, valetudinarii, proxime abfuturi. Si vero miraculum aliquod a Deo patratum sit ad invocatam intercessionem eius de quo Causa agitur; cum miracula per testes de visu probari debeant, nec sufficiant testes de auditu per quos probari virtutes possunt; et cum testes illius miraculi, etsi neque senes neque valetudinarii neque proxime discessuri, tamen vel occumbere vel discedere

possint priusquam expleantur Iudicia de Non cultu et de Fama in genere, quae praecedere debent Processum Apostolicum in quo testes illi examinari deberent; idcirco Postulator Summum Pontificem precetur ut concedat in Processu *Ne pereant* examinari etiam posse testes illius asserti miraculi; quod quidem Summus Pontifex concedere solet. Postulator Articulos etiam proponet de hoc miraculo.

62. In quibusdam locis difficile admodum quatuor Dignitates sive Canonici aut titulis academicis insigniti haberi possunt qui Processus confectioni incumbant. Hoc si accidat, Postulator, instante Ordinario qui ad Processum Apostolicum condendum delegatus est, Summum Pontificem adprecetur ut vel numerum Iudicum imminuat, vel indulgeat eligi posse Iudices, ecclesiasticos quidem, sed qui dignitate aut titulis academicis insigniti non sint. Summus Pontifex id concedere solet, praesertim si Fidei Promotoris consilium accesserit. Atque heic advertendum, quando a Summo Pontifice petitur aliqua facultas quae consuetas derogationes excedat, supplicem libellum a Secretario S. C. Summo Pontifici non subiici, nisi antea Fidei Promotor libello ipsi suum — *Nihil obstat* — apposuerit: vel ab ipso Promotore subiici. Poterit etiam Postulator, pro re nata, de aliis quoque indulgentiis Summum Pontificem exorare.

63. Aliud etiam Postulatori curandum: videlicet, si Causa introducta fuerit scriptis Dei Servi vel non perquisitis vel non examinatis, ne ulterius perquisitio aut examen retardetur caveat, ut quodlibet devitet periculum novas frustra cumulandi impensas. Perquisitio in Urbe fit a Fidei Promotore cum Sub-promotore et Cancellario S. Congregationis, per Decretum quod a Summo Pontifice impetrabit Postulator, Causa enim iam ad S. Congregationem delata est: aliis in locis ab Ordinariis uti iam superius n. 25 et seqq. dictum est.

64. Causa introducta, sollicitus etiam sit Postulator de Iudiciis super Non cultu et super Fama in genere, de quibus distinctis Capitibus agendum.

Caput II.

De Iudicio super Non cultu.

65. Urbanus sa. me. Papa VIII suis Decretis latis anno 1625 vetuit publico et ecclesiastico cultu honorari Dei Servos qui ab Apostolica Sede inter Beatos aut Sanctos nondum essent adscripti. Anno 1634 ea confirmavit Decreta, ac praeterea statuit ne in posterum de Causa ulla Beatificationis agi posset, nisi prius probatum esset nullum exhiberi cultum publicum et ecclesiasticum illi Dei Servo cuius Causa esset pertractanda. Hinc Processus ad hoc probandum conficiendus, ac iudicium a S. R. Congregatione proferendum dicitur *de Non cultu*, aut *super Non cultu*, sive *super Obedientia praestita Decretis sa. me. Urbani Papae VIII.* Postea vero concessum est ut Causae quidem introduci possint, at signata Commissione Introductionis, nullum aliud iudicium, nisi forte de scriptis, in Causa a S. Congregatione proferatur, non prius expleto Iudicio de Non cultu. Quod si Ordinarius Processum super Non cultu non confecerit antequam Summus Pontifex Commissionem Introductionis signaverit, res tota defertur ad Sanctam Sedem, sive ad S. Congregationem, quae Iudicem delegat ad Processum illum construendum.

66. Patet igitur Processum omnino vel ab Ordinario, vel a Iudice ab Apostolica Sede delegato super Non cultu construi debere, et Dubium de Non cultu proponi ac discuti in S. R. Congregatione, antequam Causa ad ulteriora progredi possit.

67. Processus iste, sive ab Ordinario fiat, sive ab Iudice Apostolico delegato, eo loco fit ubi Dei Servi se-

pulcrum extat, aut saltem ubi humatus fuit, quamquam postea illius reliquiae absconditae fuerint vel dispersae. Fieri Processus potest in urbe principe dioeceseos ad quam locus ille pertinet; semper autem, singulorum testium expleto examine, ad locum sepulcri accedere debet Iudex, ut suis ipsis oculis inspiciat an aliquod ibi sit vetiti cultus indicium.

68. Probabile aliquando est cultum aliis etiam in locis praeberi: tum vero ne multiplicentur Processus, non praeberi iis in locis probari potest per Ordinariorum testificationem, sive auctoritate sua procedant, sive ex mandato Apostolicae Sedis, prouti iam fuerit vel non signata Commissio Introductionis Causae: Ordinarii vero isti omnem vel per se vel per Vicarium suum Generalem, accito etiam Promotore Fiscali, debent adhibere diligentiam ut certiores fiant an cultus argumenta existant necne.

69. Si Processus ab Ordinario fieri debeat, Postulator eum rogabit per supplicem libellum ut Processui manum admoveat: Ordinarius, si ipse nequeat, delegabit aut Vicarium suum Generalem, aut saltem virum aliquem in conspicua dignitate ecclesiastica constitutum: Vicarius Urbis delegat alterum ex Episcopis in Urbe degentibus. Si vero a Iudice Apostolico delegato, per supplicem libellum Procuratoris Summum Pontificem rogabit ut concedat expediri Litteras Remissoriales, per quas Ordinarius vel eius Vicarius Generalis ad Processum auctoritate apostolica conficiendum delegetur. Quod si magna sit dioecesis, multisque tum Ordinarii tum Vicarii curis indigeat, peti potest ut Ordinarius virum aliquem conspicua dignitate ecclesiastica insignitum subdelegare valeat. Si autem Processus sit auctoritate apostolica in Urbe conficiendus, non expediuntur Litterae Remissoriales, sed editur Decretum, in Processus Acta inserendum, quo Cardinalis Urbis Vicarius delegatur ad inqui-

sitionem habendam, cum facultate subdelegandi aliquem Episcopum. In Ordinario Processu, Curiae episcopalis Fiscalis Interrogatoria proponit: in Apostolico, Fidei Promotor, ac Postulator eadem servare debet ac in petitione Litterarum Remissorialium pro Processu *Ne pereant*, de quo superius n. 58 et seqq.

70. Articulos quod attinet, Postulator probare intendet Dei Servum obiisse maxima sanctitatis fama clarum, frequentissimum populum ad eius funus accurrisse, plurimaque in eum honoris ac venerationis signa demonstrasse: nihil tamen neque tunc neque posthac actum quod publicum et ecclesiasticum cultum redoleat: non lumina ad sepulcrum incensa, non votivas tabellas appensas, non effigies sculptas aureolis aut radiis insignitas, non eum vel in scriptis vel in tabulis vel in inscriptionibus titulo *Beati* decoratum: non publicas ad eum preces offerri: non eius reliquias publice venerari, neque inter Beatorum ac Sanctorum reliquias asservari: denique, si quid honoris ei tribuatur, si eius intercessio apud Deum invocetur, aut eiusmodi, id privatam omnino hominum opinionem non excedere. Nam Urbanus VIII vetuit quidem publicum et ecclesiasticum cultum; quidquid vero intra domesticos parietes aut in intimis cordis agatur, ea prohibitione non percellitur.

71. Testes qui inducentur, ii quidem optima instructi scientiae causa sint oportet, videlicet qui quod affirment vel negent, ex certa scientia affirmare et negare possint, eiusque scientiae causam afferre; hoc autem dicitur *responsionem suam coarctare*. Nec quidquam proficeret testis qui ex. gr. testaretur numquam lumina ad sepulcrum Dei Servi accendi, si testificationis illius suae solidam non afferret rationem.

72. De recta ac valida huius Processus constructione, cfr. Appendix II quae inscribitur — *Instructio pro Processu super Non cultu*, — quae extat

post Instructionem pro Processu *super Casu excepto*, Vol. II, pag. 218.

73. Processu absoluto eiusque Transumpto in Actis Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis exhibito (v. sup. n. 37), eadem agenda sunt quae aguntur pro Processu Informativo, quae scripta superius extant nn. 37-43. Sed si Processus sit apostolica auctoritate constructus, aperitur, sicuti omnes Processus Apostolici, a Cancellario S. Congregationis coram Protonotario eiusdem Congregationis, citato Fidei Promotore.

74. Ordinarius vel Iudex delegatus Processum absolvit ferendo sententiam qua pronunciat Decretis illis Urbani VIII quae dicuntur *de Non cultu* obeditum esse: idcirco Dubium Sacrae Congregationi hisce verbis proponitur — *An sententia lata ab N. N. (Iudice Ordinario* aut *delegato ab Ordinario*, vel *Iudice delegato Apostolico* etc.) *super cultu Dei Servo non exhibito, sive super paritione Decretis Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur?* — Heic autem advertendum sententiam hanc pronunciari quidem posse a subdelegatis Ordinariorum, non autem a subdelegatis Cardinalis Urbis Vicarii: ipse enim, cum delegatus est, per sese in Urbe eam ferre debet sententiam.

75. Summarium pro hoc Iudicio concinnandum a Procuratore vel Advocato duabus constat partibus, quarum altera nonnulla refert graviora documenta, scilicet Decretum Introductionis Causae, Rescriptum Ordinarii quo tribunal constituit, vel Litteras Remissoriales si Processus sit Apostolicus, Mandatum Procurationis, Tabellam Testium, Litteras Iudicis et Promotoris ad S. R. Congregationem: altera vero refert testium responsa. Informatio Advocati aut Procuratoris in duas pariter dividitur partes: altera enumerat Processus Acta, eaque valida esse contendit, et inscribitur — *De validitate Proces-*

sus: — altera iustam fuisse Iudicis sententiam demonstrat, et inscribitur — *De iustitia sententiae.* — Exaratis a Sub-promotore et Fidei Promotore Notis atque Animadversionibus, ab Advocato vel Procuratore Responsionibus, (sup. nn. 43, 50), Summario iterum reviso et obsignato, (sup. n. 50), fit Positio cui titulus *Positio super Non cultu,* atque eodem modo ornatur, eodem modo iisdemque distribuitur ac *Positio super Revisione scriptorum* de qua supra n. 31. Superfluum est advertere singulas Positionis partes typis debere esse impressas, quod quidem de omnibus Positionibus in singulis Iudiciis distribuendis est servandum.

76. Praestituta die Sacra Congregatio in ordinariis comitiis, referente Cardinali Ponente sive Relatore, Dubium discutit; ac siquidem omnia bene cesserint, respondet — *Affirmative, sive sententiam esse confirmandam:* — secus vero — *Negative, sive sententiam non esse confirmandam.* — Quod negativum si detur responsum, Postulator perpensis rationibus quae S. Congregationem ad illud moverunt, vel novum Processum conficiendum curabit, vel aliud aget pro opportunitate ut hic obex Causae removeatur. Sed raro negativum hoc habetur responsum, ac non infrequenter accidit ut aliud detur, videlicet — *Constare de non cultu et de obedientia sufficienter Decretis Urbani VIII adhibita.* — Nam fieri potest ut Iudex pronunciaverit numquam Decreta illa fuisse violata, caeterum constet, etsi nullus in praesentia sit cultus, olim tamen fuisse. Fieri etiam potest ut constet ex Processu aliquem esse cultum, non autem ex ipso Processu constet fuisse amotum, etsi reapse amotus fuerit; Iudex vero pronunciaverit cultum non exhiberi. Uti patet, in hisce duobus casibus sententia Iudicis confirmari nequit: in priore quidem quia falsum, anterius tempus quod attinet, asserebat; in altero quia, etsi novis documentis probatum sit cultum fuisse amotum, tamen

Processus Acta, quibus inniti debet Iudicis sententia, eam amotionem non demonstrant.

77. Responsum hoc « *Constare de sufficienti obedientia Decretis adhibita* » favorabile est Causae, et idcirco Postulator strenas solvet famulis de quibus supra n. 32. Decretum etiam quod a Secreteria editur typis mandabit, et affiget ac distribuet uti dictum est de Decreto Introductionis Causae nn. 52, 53.

78. Solers autem Postulator aut Vice-postulator attente curet ut si quod sit cultus indicium, etiamsi dubium, amoveatur omnino vel ante quam Processus construatur, vel dum conficitur; ac praeterea suis Articulis testes ad testificandum de amotione illa provocet; sic enim expeditiori Iudicii absolutioni providebit.

79. Quod si longum tempus, ex gr. decennium, effluxerit a lata sententia ad petitionem confirmationis eius, excludatur necesse est quodlibet dubium de cultu qui fortasse post eam sententiam fuerit adhibitus. Itaque vel novus conficiendus est Processus, quod tamen incommodum valde Postulatori esset; vel, quod commodius, S. Congregatio per litteras particulares mandat Ordinario ut cum Promotore Fiscali ac testibus ad sepulcrum D. S. aut alium locum, iam ante sententiam visitatum, accedat, inspiciatque an novus cultus introductus fuerit. Si ex novo Processu, aut novo instrumento, vel testificatione peractae rite visitationis probetur nullum esse cultum, S. Congregatio respondet sicut iam dictum est.

Ita vero absolvitur Iudicium hoc de Non cultu.

CAPUT III.

De Iudicio super Fama in genere.

80. Signata a Summo Pontifice Commissione Introductionis, Causa tota, quod dictum est superius, devolvitur

ad Apostolicam Sedem, quae non modo inquirit an obtemperatum fuerit Decretis Urbani VIII super Non cultu, si Ordinarius non inquisierit, sed etiam an vigeat fama sanctitatis ac miraculorum *in genere* eius Servi Dei cuius Causa introducta fuit. Dictum est *in genere*, non enim de singulis singularum virtutum actibus aut de singulis miraculis Iudicium tunc instituitur; sed tantummodo an apud maiorem ac saniorem populi partem fama extet, et quanta, de vitae sanctitate qua Dei Servus praefulserit, et de miraculis quibus a Deo in vita et post obitum fuerit illustratus.

81. Construendus itaque omnino est Processus auctoritate apostolica ad inquirendum de hac Fama in genere eo loco quo iam Processus Informativus conditus fuit. Quoniam vero Sacra Congregatio non ex sese haec agit, sed rogata; idcirco Postulator pro hac habenda inquisitione instare debet. Quidquid autem egit ad impetrandam constructionem Processus Apostolici ne pereant probationes, aget etiam pro constructione Processus istius; quidquid dictum est de Processu illo, et de isto dicendum. Quamobrem conferat Postulator quae habentur superius nn. 57-62, sed nonnulla excipiat, quae sunt haec:

1° Examen testium non limitatur ad testes senes, valetudinarios aut proxime discessuros; sed Postulator quos vult inducit, dummodo tamen idonei sint ad iuris normam. Satis autem sunt octo aut decem, quibus addendi saltem duo *ex officio*.

2° Articuli testibus proponendi, non minutiores habeant notitias, sed tantum genericas, ita ut testes provocentur ad respondendum generice de nativitate et adolescentia Servi Dei, de aliis quae ad eius statum conditionemque referuntur, deque virtutibus et miraculis. Paucis idcirco Articulis opus est, atque unus pro unaquaque virtute sufficit. Verum cum id curare maxime debeat Postulator, ut quaenam fuerit communis opinio

de Servi Dei sanctitate dum viveret, et quaenam sit post eius obitum usque ad praesens, optima in luce collocetur; Articulos de hac opinione accuratissimos exarabit. Patet ex his in testium inductione haud multum Postulatori adlaborandum, cum necesse non sit testes producere qui singula Dei Servi gesta narrent, sed qui de fama eorum gestorum testentur.

3° De miraculis in hoc Processu nequaquam agendum est nisi generice: agendum, scilicet, solum de fama miraculorum, praesertim post obitum. Itaque si miraculum patratum aliquod sit quod utiliter ad effectum Beatificationis proponi posset, de eo inquiretur in Processu Apostolico *Ne pereant* sive *Inchoativo*, uti superius n. 61 dictum est, vel in Apostolico *Continuativo* de quo postea sermo habebitur.

82. Processus iste super Fama in genere, eodem tempore fieri potest ac ille Apostolicus *Ne pereant*. Sed facile evenit ut cum plures eodem tempore Processus construuntur, vel omnes retardentur, vel non ea diligentia conficiantur quae necessaria est. Quapropter satius erit ut isti Processui conficiendo manus non admoveatur nisi absolutus fuerit Processus *Ne pereant*, praesertim quod ut confici possit, explendum antea est Iudicium de Non cultu. Caeterum hac in re Postulator aget pro sua prudentia.

83. Rectam huius Processus constructionem quod attinet, cfr. Appendix III. Cum autem absolutus fuerit, eiusque Transumptum in Actis Secretariae S. Congregationis exhibitum, ac deinde apertum iuxta ea quae iam dicta sunt, (sup. n. 73), Summarium a Causae Patrono conficiendum est cum Informatione.

84. Dubium de Fama in genere sic enunciatur — *An constet de Validitate et Relevantia Processus in Civitate et Dioecesi N. constructi super fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in genere Ven. Servi Dei.*

in casu et ad effectum de quo agitur? — atque ideo Summarium duas habet partes: alteram quae nonnulla graviora documenta exhibet, idest Litteras Remissoriales, epistolas Iudicum delegatorum ac Sub-promotorum, Mandatum Procurationis Postulatoris aut Vice-postulatoris, Tabellam Testium, etc.: alteram quae exhibet testium responsa. Informatio pariter duabus constat partibus, agit enim de validitate Processus, et de eius, uti vocant, relevantia. Contendit nimirum rite Processum fuisse confectum atque ad normam Litterarum Remissorialium, et ex testium responsis plene famam probari.

85. Dubium de Fama in genere proponi deberet in Congregatione Generali; sed ex antiqua consuetudine petitur a Summo Pontifice atque impetratur venia ut proponatur in comitiis S. R. C. ordinariis, quin adsint et quin suffragium ferant Consultores. Decretum quo haec venia conceditur, typis impressum adiicitur Summario.

86. Scribuntur a Sub-promotore et Promotore Notae et Animadversiones, Responsiones a Causae Patrono, et fit *Positio super Fama in genere* quae distribuitur uti aliae de quibus iam dictum est. Ea vero omnia aguntur deinde, ad strenas quod attinet, Decreti affixionem et distributionem etc. quae in Iudicio de Non Cultu.

87. Sacra Congregatio ad propositum Dubium respondet vel *Affirmative,* vel *Negative,* vel *Dilata:* quod postremum responsum significat Emis Patribus aliquid occurrisse quod maturiorem deliberationem requirat: atque idcirco ad alia comitia iudicium ipsam distulisse. Postulatoris erit, Causaeque Patroni satagere ut quaelibet dubitandi ratio amoveatur. Aliquando respondet S. Congregatio « *Dilata et ad mentem* » ac mentem suam aperit. Postulator curabit ut S. Congregationi satisfiat.

88. Responsum hoc *Dilata,* vel *Dilata et ad mentem,* etiam in aliis Iudiciis aliquando datur quae expenduntur

in ordinariis Sacrae Congregationis comitiis, vel in Congregationibus particularibus.

89. Antequam finis huic Capiti de Fama in genere ponatur, advertere iuvat, si temporis intervallum haud ita breve effluxerit a Processu condito ad propositionem Dubii quae fit in S. Congregatione; cum Promotor opponere possit se dubitare ne interea fama desierit, quae caeteroquin continuata ad praesens usque debet esse; famae istius continuationem, quin conficiatur novus Processus, probari posse per epistolam Ordinarii ac per testes ad perpetuam rei memoriam examinatos ex mandato S. Congregationis.

Caput IV.

De Iudicio super validitate Processuum.

90. Expleto Iudicio super Fama in genere, Postulator petet Litteras Remissoriales et Compulsoriales vel ut conficiatur Processus Apostolicus super Virtutibus et Miraculis *in specie* iis in locis ubi iam Processus Informativus conditus fuerat, vel ut continuetur et absolvatur Processus Apostolicus super Virtutibus et Miraculis in specie iam inchoatus ne *perirent probationes*. Quomodo Litterae istae petantur iam diximus cum de Processu illo ne perirent probationes loquuti sumus sup. n. 57 et seqq. Sed illae appellantur *Litterae Remissoriales*, istae *Remissoriales et Compulsoriales*, quia nempe per eas facultas datur *compulsandis*, idest in Acta Processus inserendi documenta omnia et Processus qui ad Causam pertinent. Si Processus ne perirent probationes non praecesserit, Postulator Articulos, et Fidei Promotor Interrogatoria scribet: si vero Litterae petantur ad continuandum et absolvendum Processum ne probationes perirent, neque Articuli, neque Interrogatoria scribuntur, sed iidem

Articuli et eadem adhibentur Interrogatoria iam scripta ne perirent probationes. Excipe tamen si quod miraculum patratum feratur, ad quod probandum Interrogatoria et Articuli consulto scripti necessarii sint. Processus iste vulgo dicitur *Continuativus*, qui tamen unum efficit Processum cum *Inchoativo*. Quid agendum ut Processus Continuativus rite conficiatur, habetur in Appendicis IV Parte II. Appendix III, seu *Instructio pro conficiendo Processu Apostolico super Fama in genere*, normam praebet ad rite condendum Processum super Virtutibus et Miraculis in specie, si conditus non fuerit Processus ne perirent probationes: quae tamen iungi debet cum Appendice IV.

91. Huius Processus Transumptum exhibetur a Portitore in Actis Secretariae S. C.: sequitur deinde aperitio, transcriptio, et quando necesse est, interpretatio, revisio: de quibus omnibus iam diximus.

92. Antequam ad discussionem de Virtutibus deveniatur, agendum est de *Validitate Processuum*. « Processuum » diximus, non enim de Apostolici tantum Processus validitate disputatur, sed etiam de validitate Processus Ordinarii Informativi, si Postulator in *Iudicio de Virtutibus* probationibus etiam ex Informativo Processu desumptis uti velit: quod quidem plerumque fit. Procurator Summarium conficit, quod dicitur *Restrictus Actorum*, eodem modo ac conficit ad demonstrandam validitatem Processus super Fama in genere, addito Decreto, quod impetrandum est, quo conceditur ut Dubium de Validitate proponi ac discuti possit in comitiis S. R. Congregationis ordinariis absque interventu et voto Consultorum. Deinde scribuntur Informatio, Animadversiones, Responsiones, et fit Positio quae inscribitur *Positio super Validitate Processuum*, et distribuitur eodem modo et iis ipsis quibus distribuendas diximus Positiones super Revisione Scriptorum, aliasque: ac caetera omnia

fiunt quae iam de aliis Iudiciis scribentes exposuimus. Dubium sic enunciatur: — *An constet de Validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria Auctoritate constructorum, Testes sint rite ac recte examinati, et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur?*

93. Mos est ut Procuratores medietatem accipiant retributionis quae ipsis pro spolio Processus debetur, partem vero reliquam deinde accipiant cum Summarium super Virtutibus confecerint.

Caput V.

De Iudicio super Virtutibus.

94. Dubium de Virtutibus sic enunciatur: — *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, Charitate tum in Deum tum in Proximum; nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?* Si bene res cedant, responsum hoc datur: — *Constare de Virtutibus* etc. si quidem probationes fuerint etiam a pluribus testibus *oculariibus* desumptae: si vero a testibus *de auditu* et historicis monumentis, respondetur: — *Ita constare de virtutibus* etc. *ut procedi possit ad discussionum miraculorum,* — et additur numerus miraculorum quae proponenda sunt iuxta praescriptum per Decreta sa. me. Benedicti XIV. quae habentur in altero Volumine huius Codicis Append. VII.

95. De Dubio isto disputari non potest antequam ab obitu Servi Dei quinquaginta fuerint anni elapsi, nisi Summus Pontifex ab hac lege solverit: ter autem disputatur; primum in Congregatione quae dicitur *Anteprae-*

paratoria: deinde in *Praeparatoria,* tertio in *Generali* coram Summo Pontifice, qui demum, si id iudicaverit, Decretum publicari iubet, quo *Constare* aut *Ita constare* etc. pronunciatur.

96. Congregatio Antepraeparatoria habetur in aedibus Cardinalis Ponentis, qui tamen non fert suffragium. Adsunt et suffragium ferunt Promotor Fidei, Sub-promotor, Secretarius S. C., Protonotarius eiusdem S. C., Magister S. Palatii, Antistes Sacrarii Pontificii, tres antiquiores ex S. Rotae Auditoribus, et Consultores S. Congregationis. Hi omnes quid de Causa et de Advocati defensione sentiunt, scripto iam domi tradiderunt, scriptumque quisque suum legit coram Ponente, aliisque. Plerumque in hac Congregatione et etiam in Praeparatoria, Consultorum suffragium *suspensivum* est, scilicet quia Animadversiones Promotoris Fidei non penitus iis refutatae videntur, solidioremque ipsi expectant Causae Patroni defensionem. Secretarius uniuscuiusque Suffragatoris conclusionem postremam, idest vel *Suspensive*, vel *Affirmative* etc. in folio describit, quod secretum servat. Promotor autem scripta Suffragatorum colligit, et ex iis Animadversiones disponit quae dicuntur *Novae.*

97. Postquam *Novas Responsiones* Advocatus scripserit, habetur in Palatio Apostolico Vaticano Congregatio Praeparatoria. Adsunt omnes Eminentissimi Cardinales sacris tuendis ritibus praepositi, quin suffragium ferant; et caeteri quos Antepraeparatoriae interesse diximus, qui uni suffragium, uti supra, ferunt. Ex eorum suffragiis Animadversiones quae dicuntur *Novissimae* a Promotore exarantur, ad quas *Novissimae* adiiciendae sunt ab Advocato Responsiones, ac demum habetur Congregatio Generalis. Si vero Suffragatores nil quod ulterius obiiciant habent, Animadversiones a Promotore non exarantur, sed Causa ad Congregationem Generalem defertur *cum iisdem* Animadversionibus.

98. Congregatio Generalis habetur in Palatio Apostolico coram Summo Pontifice. Intersunt et suffragium ferunt omnes Emi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, caeterique quos diximus. Summus Pontifex omnium auditis suffragiis, sententiam suam non illico profert, sed Suffragatores iubet ad Deum offerre preces ut divino suo lumine praesto sit ad meritam proferendam sententiam. Quam si demum favorabilem proferendam esse iudicaverit, Decretum solemniter publicari iubet quod diximus.

99. Quid in his et pro his omnibus Postulatori agendum nunc dicemus. Et primo quidem, in Processum Apostolicum super Virtutibus et Miraculis in specie Processus Ordinarius Informativus esset compulsandus; sed plerumque haec compulsatio omittitur ne nimis Apostolici Processus volumen augeatur. Postulator itaque, si compulsationem hanc omiserit, et tamen testibus Ordinarii Processus uti velit, dummodo istius Processus validitas fuerit a S. Congregatione adprobata, per supplicem libellum Procuratoris petet a Summo Pontifice ut *ab ea compulsatione dispensare dignetur, adeo ut in Causae prosecutione Processus Ordinarius* (aut *Processus Ordinarii*, si plures sint) *admitti et recipi valeat in linea aequalis probationis Processus Apostolici, ac si reapse fuisset compulsatus*. Summus Pontifex indulgere id consuevit, ac Decretum quod hac de re editur, una cum Decreto quo Processuum validitas adprobata fuit, Summario adiicitur quod a Procuratore Causae vel Advocato concinnatur super Dubio — *An constet de Virtutibus* etc.

100. A Procuratore vel Advocato scribitur deinde Informatio: a Sub-promotore et Promotore Notae et Animadversiones; ab Advocato Responsiones, nec enim cum haec Dubia proponuntur quae *maiora* nuncupantur, Responsiones scribere Procuratoribus licet nisi fuerint ad

scribendum specialiter deputati. Fit *Positio* quae inscribitur *Positio super Virtutibus,* et constat ex Informatione, Summario, Animadversionibus, Responsionibus, et etiam, si opus fuerit, Summario Obiectionali, aut Additionali, quorum primum a Promotore, alterum ab Advocato concinnatur, et saepe Elencho Virtutum qui ab Advocato exaratur, id vel Promotore, vel Causae utilitate petente, scilicet quando ita digestum est Summarium, ut virtutum excellentia Servi Dei haud satis appareat demonstrata.

101. Quot huius Positionis exemplaria sint conficienda, perpendat Postulator. Danda enim est haec Positio, primum iis omnibus qui Congregationi Antepraeparatoriae intersunt, et quidem duplex exemplar iis dandum quibus duplex in caeteris Iudiciis dari debet (vide n. 31): duplex Advocato, duplex Procuratori, septem Secretariae. Deinde, cum habebitur Congregatio Praeparatoria, duplex exemplar Patribus Cardinalibus sacris tuendis ritibus praepositis; ac exemplar demum, cum Congregatio Generalis habebitur, Summo Pontifici exhibendum. Praeterea novi et Cardinales et Consultores accenseri possunt; quamobrem multa exemplaria in promptu sint oportet. Ornamentum quod attinet, serventur ea quae diximus de Positione *super Revisione Scriptorum* (vid. n. 31): sed quibus unum datur exemplar, minus ornatum detur: solide vero compositum, ne usu teratur. Exemplar autem Summo Pontifici exhibendum, sit corio albo aut tela serica albi coloris obductum, stemmate pontificio et aureis ornamentis decoratum. Quando vero haec Positionis exemplaria distribuenda, suo loco dicemus.

102. Vix Positio typis impressa rite fuerit, Postulator exemplar unum ad Secretariam afferat, quo fit ut in Albo Causarum quarum *Dubia Maiora* expendenda suo tempore sunt, et ista inscribatur. Advertimus autem discussiones de Miraculis ad Canonizationem obtinendam

caeteris praeponi, quamquam non sint tempore potiores. Cum tempus advenerit diem Congregationis Antepraeparatoriae praestituendi (praestituitur autem a Secretario S. Congregationis audito Emo Cardinale Causae Relatore quadraginta saltem diebus antequam Congregatio habeatur) a Secretaria mittuntur schedae ad eos omnes qui Congregationi interesse debent, et ad Postulatorem, quibus schedis dies, hora, locus Congregationis designatur. Pro hac *intimatione* Postulator quod statutum est solvet Secretariae ac ei qui schedas defert. Eodem die Positionis exemplaria dari debent Cardinali Relatori, Secretariae, et iis qui Congregationi intererunt suffragium vel in ea ipsa Congregatione, vel in iis quae sequentur laturi. Nam si quis novus sit Consultor qui primum eiusmodi Congregationibus intersit, non ille hac prima vice fert suffragium: adest tamen. Et huic igitur danda Positio: non autem caeremoniarum Magistris qui adstant quidem, sed non ferunt suffragium.

103. Aliquot diebus antequam Congregatio habeatur, Postulator Emum Card. Ponentem et Suffragatores visitabit obsequii ergo. Causae rationes apprime novisse decet Postulatorem; sed caveat ne Advocatum agat: fieri enim potest ut Consultoribus aliquid contra Causam obiicientibus ea ipse respondeat, quae respondenda non esse censeat Advocatus qui per eos dies Consultores adit eos *informandi* causa.

104. In Congregatione Antepraeparatoria Consultoribus, antequam suffragium ferre incipiant, ientaculum offertur. Pecuniae summa pro ientaculo statuta est nova *Taxatione* nuper promulgata, ut omnibus una eademque sit agendi norma: quam summam Postulator eodem die quo ad Cardinalem Ponentem obsequendum se conferet, illi qui Cardinalis famulis praeest tradet. Ea ipsa *Taxatione* statutum est quibus, quae et quando esculenta dona a Postulatore mitti debeant cum Congregationes

habentur pro Causis quas ipsi procurant. *Taxationis* exemplar a Secretaria S. R. C. petet Postulator.

105. Item curabit impensa sua Postulator, ut die quo Congregatio habetur opportuna hora, Promotor, Sub-promotor et Consultores, iis exceptis qui inter Praesules pontificiae Domus sunt cooptati, curru ad aedes Cardinalis Ponentis vehantur. Promotor et Sub-promotor ut plurimum simul uno curru vehi solent: pro caeteris sic disponet Postulator, ut quolibet curru duo vehantur Consultores cum suis sodalibus adiutoribus. Idem pro reditu servetur. Postulator cum Advocato et Procuratore ad aedes Ponentis accedet antequam Consultores adveniant; scilicet ut eos advenientes obsequatur. Post ientaculum clauduntur fores aulae in qua Congregatio habetur: non tamen licet Postulatori, Advocato, et Procuratori abire, qui foris expectant ut si quae ab iis explanatio Causam respiciens quaeratur, praesto sint. Interim Postulator per Procuratorem strenas dabit iis quibus iuxta *Taxationem* quam diximus dandae sunt.

106. Si quis ex Consultoribus non interfuit, sed suffragium suum scriptum misit, et huic esculenta dona mittenda de quibus n. 104 diximus. Quamobrem, Postulator a Secretario vel ab Assessore S. Congregationis quaerat quisnam ex iis qui non interfuerunt suffragium scriptum miserit. Ea dona ipso Congregationis die mittenda sunt. Dedecet omnino inferioris pretii dona offerre.

107. Antequam Promotor discedat, eum Postulator rogabit ut Animadversiones quae *Novae* nuncupantur pro Congregatione Praeparatoria scribat: deinde cum Advocato et Procuratore Emum Ponentem visitabit, eique de habita Congregatione gratias aget.

108. *Novis* Animadversionibus *Novas* adiicit Advocatus Responsiones, et fit Positio quae inscribitur *Nova Positio super Virtutibus*, in Congregatione Praeparatoria expendenda. Proc hac Congregatione eadem fiunt

et servantur quae fieri et servari et servanda esse a Postulatore pro Antepraeparatoria scripsimus. Nonnulla quae pecularia sunt addemus.

109. Congregationi Praeparatoriae, praeter caeteros quos de priore scribentes enumeravimus, intersunt Eminentissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi etsi suffragium non ferant. Quamobrem iis non *Novae* tantum Positiones, sed et prioris duplex distribuendum exemplar. Danda etiam prior Positio novis, si qui sint, Consultoribus. Cardinales Postulator non visitat: ientaculum in hac Congregatione non offertur: sed dona mittuntur et strenae dantur ad normam *Taxationis.* Congregatione expleta Postulator a Promotore petet tertias Animadversiones quae dicuntur *Novissimae,* et discedet.

110. Exaratis ab Advocato ad *Novissimas* Animadversiones refutandas *Novissimis* Responsionibus, antequam fiat Positio quae inscribitur *Novissima Positio super Virtutibus,* curabit Postulator ut Causae Procurator scribat *Factum Concordatum* idest brevem relationem eorum omnium quae in Causa acta sunt usque ad praesentis Dubii cum Fidei Promotore *concordati* propositionem, quam relationem Emo Ponenti subscribendam deferet postquam Promotoris Fidei revisioni subiecerit. Subscriptum cum fuerit, typis imprimitur quin de revisione illa testimonium pariter imprimatur, et in Positione praemittitur Animadversionibus. *Factum Concordatum* scribitur a Procuratore iuxta illud quod nuncupatur - *Ita reperitur* - quod est scripta a Substituto Secretariae S. C. enumeratio eorum omnium quae in Causa gesta sunt prouti *reperitur in Actis Secretariae.* Pro hac enumeratione sive *Elencho Actorum* Substituto retributio debetur. Positio haec expenditur in Congregatione Generali coram Summo Pontifice.

111. Diem huius Congregationis Pontifex ipse praestituit a Postulatore per Secretarium S. Congregationis

exoratus: quo praestituto, schedae intimationis et Novissima Positio distribuuntur sicut in anteriori Congregatione. Primae, Novae et Novissimae Positionis unum exemplar ornatum, uti supra diximus, a Postulatore ad Summum Pontificem deferri debet. Si Pontifex rogatus ad suam Audientiam eum admittere dignabitur, ipse coram Positionem exhibebit: secus vel per Secretarium S. C. vel per Praesulem pontificiae Domus qui est ab Admissionibus. Alterum exemplar, sed non eo modo ornatum, dandum Auditori Summi Pontificis.

112. Fidei Promotor compendium, seu *Restrictum* eorum quae disputata hactenus sunt Summo Pontifici exhibet, qui etiam *informationem* Advocati pro sua benignitate audire solet: ac propterea Advocatus Pontificis Audientiam per Praesulem ab Admissionibus implorabit.

113. In hac Congregatione suffragium ferunt etiam Emi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, quos idcirco, praeter caeteros Consultores, Postulator antequam Congregatio habeatur obsequii causa visitabit.

114. Praestituta die Postulator cum Advocato et Procuratore ad Apostolicum Palatium se conferent antequam Cardinales et Consultores adveniant. Superfluum est dicere et pro hac Congregatione currus Consultoribus Postulatoris impensa, uti pro anterioribus Congregationibus, esse parandos. Congregatione expleta per Praesulem ab Admissionibus Pontificis Audientiam sibi, Advocato et Procuratori implorabit: admissus si fuerit gratias aget de habita Congregatione, simulque Causam obsequentissime commendabit.

115. In hac Congregatione neque ientaculum offertur, neque consuetae strenae famulis dantur: mittuntur vero esculenta dona Consultoribus ad normam *Taxationis*.

116. Unaquaque die qua tres istae Congregationes habentur, in templis, vel Ordinis vel Sodalitii vel Coetus

in quem Dei Servus fuerat dum in vivis ageret cooptatus, publicae adorationi proponitur Augustissimum Sacramentum ab hora IX ad meridiem.

117. Si Pontificis contraria sit sententia, nullum editur Decretum; et plerumque ex silentio quinam fuerit exitus Causae dignoscere potest Postulator; si vero virtutum Servi Dei excellentiam proclamandam esse Summus Pontifex iudicaverit, Decretum a Secretario scribi iubet, qui optatissimam hanc notitiam Postulatori praebet.

118. Pontifex diem quo Decretum publicetur praestituit, ac simul locum, id est vel in Apostolico Palatio vel alibi. Si alibi, Postulator ipse sua impensa curare debet ut Pontificis solium et sedes pro iis qui publicationi intersunt parentur ea qua par est pompa et splendore: qua in re auctoritate et consilio alterius ex pontificiis caeremoniarum Magistris dirigatur. Solium vero, sedes, tapeta, aulaea quod attinet, ab eo qui de hisce rebus curam habet in Palatio Apostolico suppeditari et disponi petet.

119. Decretum sic publicatur. In Aula Palatii Apostolici vel alio destinato loco conveniunt Card. S. R. C. Praefectus, Card. Causae Relator, Secretarius S. C., Promotor Fidei, Sub-promotor et Secretariae Substitutus. Possunt et alii Patres Cardinales convenire; aliique, praesertim qui Causam opibus suis iuvarunt, aut qui promovendam curarunt; alumni Ordinis in quem cooptatus fuerat Dei Servus, etc. a Postulatore, annuente Praesule ab Admissionibus, invitati. Conveniunt etiam Postulator, Advocatus, Procurator, et Praeses Generalis Ordinis, si Dei Servus coenobita fuerit. Summus Pontifex nobilibus suis Aulicis circumdatus tandem advenit, et in solio sedet: tum accersiri ad se iubet Cardinalem Praefectum et Ponentem, qui ei assident. Accedunt ad solium et stant Secretarius, Promotor, Sub-promotor: accedit et Substi-

tutus Secretariae qui stat post Secretarium. Postulator cum sui Ordinis Praeside, si de coenobita agatur, Advocato et Procuratore accedunt et ipsi, et coram Pontifice genuflexi manent. Tunc ad Pontificis iussum Secretarius Decretum elata voce perlegit; quo perlecto, et postquam Pontificis pedem deosculati fuerint Secretarius, Promotor, Sub-promotor et Substitutus, Praeses Generalis, si adsit, secus autem Postulator, brevi et ordinato sermone de publicato Decreto gratias agit Summo Pontifici, qui pro sua benignitate respondere solet. Deinde ipse Praeses aut Postulator accedit ad solium, et genuflexus offert Pontifici duodecim Decreti exemplaria in argentea patina, eiusque pedem deosculatur; quem etiam osculantur Advocatus et Procurator. Postquam vero Decreti exemplaria Pontifici oblata fuerint, distribuuntur etiam aliis qui adsunt. De exemplarium Decreti impressione et distributione dicendum.

120. Imprimenda sunt per typographum ad hoc designatum a S. R. Congregatione, pro Summo Pontifice duodecim exemplaria in optima charta quae dicitur *realis*, aurata circa margines. Haec exemplaria simul colliguntur in unum fasciculum ad formam cylindri, serica vitta satis alta albi coloris constrictum cuius longitudo sit metr. 2, et extrema capita aureis floccis ornata. In eadem charta, quae tamen aurata circa margines non sit, imprimenda duodecim exemplaria, quorum sex Cardinali Ponenti, sex Card. Praefecto offeruntur in fasciculum, uti supra, collecta serica vitta satis alta purpurei coloris constrictum, cuius extrema capita aureis floccis, minoris tamen voluminis, ornentur. Si et alii Patres Cardinales aderunt, unicuique eorum aliqua in fasciculum pariter collecta dari debent exemplaria eiusdem formae et chartae: sit etiam serica ac purpurea vitta; sed eius extrema capita non floccis, sed aureo tantum funiculo ornantur.

121. Imprimenda quoque sunt tot exemplaria in charta *magna*, ut aiunt, sed communi, quot opus est ut detur fasciculus sex constans exemplaribus, vitta serica violacei coloris longit. met. 1 constrictus, Praesuli pontificiae Domui praeposito, Praesuli ab Admissionibus, caeremoniarum Antistiti, Magistro S. Palatii, Antistiti Sacrarii pontificii, Adsessori S. Inquisitionis, Secretario S. R. C., Promotori Fidei, Sub-promotori, Substituto Secretariae, Advocato, Procuratori, aliis Praesulibus pontificiae Domus si aderunt, quamquam S. R. C. Consultores non sint: fasciculus qui tribus constet exemplaribus serica vitta violacea, sed minus alta, et longit cent. 25, Cubiculariis intimioribus et ornamentariis, Consultoribus S. C. Regularis Ordinis alumnis (Consultores enim S. R. Congregationis vel Praesules sunt, vel Regulares), nobilibus militibus sacri Lateris protectoribus, duci Helveticae cohortis; praeterea exemplaria non colligata duodecim ipsi cohorti: centum circiter ianuarum diaetae pontificiae custodibus et famulis: aliaque distribuenda uti postea dicemus. Postulatoris erit curare, si placeat, ut alia quoque imprimantur exemplaria minoris formae. Patet non heic a nobis posse exemplarium quae imprimenda sunt numerum determinari: res tota prudentiae Postulatoris committitur.

122. Fasciculi et reliqua exemplaria cum argenteis patinis, in quibus afferri debent, ad locum ubi Decretum publicatur ut ferantur curabit Postulator, ac secum vel sui Ordinis alumnos aliquot, vel ecclesiasticos viros, vel lectissimos ex viris laicis ducet, Praesule ab Admissionibus consentiente si in Apostolico Palatio Decretum publicetur, qui exemplaria distribuant. Distribuenda autem sunt postquam Pontifici fuerunt oblata, primo Patribus Cardinalibus, deinde Praesulibus, Secretario, Promotori, Sub-promotori, Substituto, ac demum caeteris. Cardinali Praefecto et Ponenti qui Summo Pontifici as-

sident, ipse Postulator fasciculum praebebit. Patinae, fasciculi, et reliqua exemplaria in mensis collocantur apposite paratis et ornatis, procul tamen, si fieri possit, ab aula in qua Decretum publicatur.

123. Nonnulla exemplaria iam Postulator Cursori Apostolico ad id muneris designato tradiderit oportet publice affigenda, vix ac Decretum publicatum fuerit, in consuetis locis et ad ianuas aedium singulorum Cardinalium et Consultorum qui ad S. Congregationem pertinent, Advocati et Procuratoris. Ad eos Sacrae Congregationis Cardinales et Consultores qui Decreti publicationi non adfuerunt fasciculos domum mittet ac simul aliquot exemplaria soluta, duo scilicet Cardinalibus, unum Consultoribus. Quae soluta dantur plicanda sunt. Praeterea decet et alia dare Decreti exemplaria, idest sodalitio ad quem Dei Servus pertinuit, eius civibus, ac maxime iis qui Processus confecerunt etc.

124. Demum dona mittenda et strenae dandae ad normam *Taxationis* quam diximus; strenas vero non in loco ubi Decretum publicatum fuerit dabit Postulator, sed domi suae.

Caput VI.

De Iudicio super Miraculis.

125. De Miraculis inquiritur in *Processu Apostolico super Virtutibus et Miraculis in specie*, sive Inchoativo, sive Continuativo. Inquiritur etiam per Processum Apostolicum particularem, si, absoluta inquisitione Apostolica super virtutibus et miraculis in specie quin de miraculis quae utiliter proponi possint ad Beatificationem obtinendam fuerint probationes receptae, miraculum aliquod a Deo patratum fuerit, quod utiliter proponi possit.

126. Quid quaerendum, quid perpendendum Postulatori est ut non inutilis fiat super miraculis inquisitio, habetur in Appendice V seu in *Instructione pro conficiendo Processu Apostolico super Miraculis*. Sed cum manus conficiendo Apostolico Processui super Virtutibus et Miraculis in specie admovetur, non semper notum est patrata a Deo fuisse miracula, quae utiliter proponi possint S. R. Congregationis deliberationi: ac propterea, nec Articulos Postulator, neque Interrogatoria Promotor Fidei ad rem specialiter opportuna accurare potuerunt. Tum vero perspicaciae et diligentiae Iudicum erit, si ex testium enarrationibus de aliquo miraculo quod utiliter *ad effectum* Beatificationis proponi possit notitia habeatur, solidas quaerere probationes per plures contestes, uti scriptum est in II Volum. pag. 31, servato tamen secreto.

127. At si dum Apostolica inquisitio iam coepta est super virtutibus et miraculis vel Inchoativa vel Continuativa, de aliquo miraculo notitiam habeat Postulator; ipse quidem Articulis iam exhibitis alios addere potest ad huius miraculi probationes excipiendas opportunos, novosque testes inducere: et qui in Processu Sub-promotoris munere funguntur, et Iudices, Interrogatoria ad rem addere *ex officio* possunt et debent, et etiam, si de prodigiosa sanatione agitur, Peritos destinare qui eius qui sanatus dicitur, valetudinem praesentem explorent, et de sanatione utrum vera, utrum perfecta, utrum perseverans sit referant. Opportunius autem acturum Postulatorem censemus si non modo Articulos super illo miraculo Iudicibus inquirentibus exhibeat, sed etiam specialia Interrogatoria a Promotore Fidei Urbis petat. Ad quae obtinenda Summum Pontificem per supplicem libellum Procuratoris Causae rogabit ut Fidei Promotori facultatem nova ad rem proponenda Interrogatoria facere dignetur. Interrogatoria haec litteris S. Congregationis occlusa ad Iudices mittuntur.

128. Si Processus particularis super miraculis conditus fuerit, de eius validitate in S. Rituum Congregatione disputandum est antequam ad discussionem miraculorum deveniatur. Quid pro hac disputatione agendum, Postulator iam novit.

129. Iudicium de Miraculis habetur postquam Iudicium de Virtutibus expletum fuerit. Dubium proponitur — *An et de quibus Miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur?* — A Procuratore Causae vel Advocato conficitur Summarium constans ex *Dictis Testium*, sic enim in hoc Summario appellantur testificationes. Si haec *Dicta* e Processu particulari fuerint desumpta, Summario adiiciendum est Decretum de adprobata Processus validitate. Si particularis Processus conditus minime fuerit, advertat Postulator miraculum probari posse per testes non modo Apostolicae, sed etiam Ordinariae inquisitionis, idest Processus Informativi, dummodo tamen Processus iste Ordinarius validus a S. C. habitus fuerit, et concessum a Summo Pontifice ut haberi possit in linea aequalis probationis cum Processu Apostolico ac si in istum fuisset compulsatus; et dummodo testes oculares, etsi diversi, de eodem miraculo testati fuerint in Ordinario et in Apostolico.

130. Summarium exhibere debet *lemma* miraculorum de quibus testium dicta afferuntur. Non semper facilis lemmatis propositio est. Ex. gr. si de sanatione a morbo agatur, non semper facilis perceptu est morbi diagnosis. Itaque Postulatorem hortamur ut, nisi diagnosis, et etiam prodigiosa sanatio evidentissima sit, sententiam alicuius ex clarioribus Peritis physicis exquirat, eique Processus tabulas, antequam Summarium conficiatur, attente perlegendas tradat; illudque proponat deinde miraculi lemma, quod ille designaverit. Sed etiam hortamur, si opportunum videatur, ut ab eo Perito *Iudicium medicum* de miraculo scripto consignari petat, cui quidem

Iudicio Informationis quam Procurator aut Advocatus scribet argumenta innitantur, ac simul ad eius normam testium dicta seligantur, et in Summario disponantur. Iudicium hoc medicum dicitur *Votum ad opportunitatem.* Pluries eiusmodi *Votum* scriptum novimus postquam Promotoris Fidei Animadversiones prodierint, ad eas nempe refellendas. Utrum hoc magis expediat quam quod Votum Animadversiones et etiam Informationem praecedat, Postulator et Causae Patronus ipsi videant.

131. Positio in hac iudicii sede inscribitur — *Positio super Miraculis* — et constat ex Informatione Procuratoris aut Advocati, Summario, Animadversionibus, Responsionibus Advocati, et *Voto ad opportunitatem* si afferatur. Congregationes habentur, uti cum de Virtutibus res est, Antepraeparatoria, Praeparatoria, Generalis coram Summo Pontifice, ac propterea, praeter primam Positionem, editur Positio *Nova,* et tandem *Novissima,* quae continet *Factum Concordatum,* idest relationem eorum omnium quae acta in Causa sunt a Decreto publicato super Virtutibus usque ad hanc Generalem Congregationem. Si Summus Pontifex proposita miracula adprobanda diiudicaverit, Decretum publicatur, uti super Virtutibus, quo pronunciatur — *Constare de miraculis primi*, aut *secundi,* aut *tertii generis,* — et lemma miraculorum exponitur. Iam novit Postulator quot, quomodo et quando Positionum et Decreti exemplaria imprimenda et distribuenda, quid pro singulis Congregationibus sibi agendum. Quot vero miracula sint proponenda, ex Decretis noverit Benedicti XIV quae habentur in II Volum. Append. VII. Nonnulla heic dicenda quae peculiaria sunt in Iudicio de Miraculis.

132. Sacra Rituum Congregatio non Consultorum modo quaerit suffragia, sed etiam Peritorum physicorum, qui *Votum* suum ferant *pro veritate,* quamquam Postulator *Votum* attulerit ad opportunitatem. *Votum pro*

veritate petitur in Congregatione Antepraeparatoria, et petitio Postulatori ex Novis Animadversionibus innotescit: non autem innotescit quibusnam Peritis munus hoc committatur. Peritos designat Cardinalis Ponens, opera adhibita Cancellarii S. Congregationis, cui Cancellario Postulator dabit Positiones Peritis tradendas, et per eum etiam instabit apud sibi ignotos Peritos ut quam citius *Votum* scribant. Eo scripto et Cancellario a Peritis exhibito, secreti lex solvitur. Votum originale in Cancellaria asservatur, eiusque authenticum exemplar Postulatori datur typis imprimendum, et in Nova Positione inserendum. Typorum correctio ad Sub-promotorem spectat. Postulator iustam Peritis solvet mercedem.

133. Si Peritorum sententia contraria sit miraculi adprobationi, ne despondeat animum Postulator, sed ad eam refutandam sententiam aliorum Peritorum ex praeclarioribus Vota exquirat, et in Nova inserat Positione. Quot lubet afferre Vota potest: verum perpendat bene oportet an obiecta possint refelli: quamquam hoc ad Advocatum potissime spectat.

134. In Congregatione Praeparatoria, si Consultores sententiae Peritorum quam Postulator adduxit non acquiescant, petunt ipsi *Peritiorem* qui suum pro veritate ferat iudicium. Peritior secreto a Cardinali Ponente eligitur. Et Peritioris sententia, si contraria sit, refelli potest a Postulatore, aliorum Peritorum Votis quaesitis in Positione Novissima inserendis. Magno Peritorum et Advocati studio opus est, maximaque Causae bonitate, uti patet, ad difficultates superandas cum Periti et Peritior a Sacra Congregatione deputati contrarium protulerunt iudicium. Caeterum supremum iudicium est a Summo Pontifice ferendum.

135. Postulator cautissime se gerat in proponendis miraculis, ne tandem labores et impensas perdat; difficilior potius sit, ac iustum temporis intervallum elabi

prius sinat quam Processum particularem super asserto miraculo instruendum curet: nimirum ut de *perseverantia* miraculi constet.

Caput VII.

De Iudicio super Tuto; seu, an tuto procedi possit ad Beatificationem.

136. Iudicium hoc brevissime expeditur. Publicato Decreto quo constare de miraculis sancitum fuerit, Advocatus supplicem scribit libellum super Dubio — *An stante Virtutum et (duorum, aut trium, aut quatuor) Miraculorum adprobatione, Tuto procedi possit ad solemnem V. S. D. Beatificationem?* — Summarium adiicit constans ex Decretis quibus virtutes et miracula adprobata sunt. Fidei Promotor suam scribit super eodem Dubio sententiam, et ex supplici libello, Summario, Promotoris sententia, fit Positio quae inscribitur *Positio super Dubio an Tuto procedi possit ad Beatificationem,* quae iisdem et eodem modo distribuitur ac Positio Novissima pro Congregatione Generali. Ex praxi, cum haec Positio duobus aut tribus summum constet foliis, non corio aut eiusmodi, sed charta colorata cooperitur, ea excepta quae Summo Pontifici et Cardinali Ponenti datur.

137. Non autem plerumque Congregatio Generalis data opera habetur ad Dubium hoc expendendum; sed expenditur in Congregatione Generali in qua de alia Causa agitur: nec Positio quadraginta diebus ante Congregationem distribuatur necesse est. Verum schedae *intimationis* a Secretario S. C. non mittuntur pro hoc Dubio expendendo, nisi prius Postulator per authenticam singrapham probaverit se Antistiti Sacrarii Vaticanae Basilicae persolvisse scutat. roman. octingenta viginti-

quinque, seu aureos quingentos in sacras supellectiles comparandas erogandos. Eius Sacrarii Antistes per suum Procuratorem hanc recipit summam, cui Procuratori *iulia* quindecim a Postulatore solventur.

138. Quoniam vero de duabus Causis in ea Congregatione agitur, Postulatores *de bono et aequo* impensam inter sese divident ad currus pro Consultoribus, Promotore et Sub-promotore parandos: dona vero quisque sua Postulator mittet. Strenas etiam quisque suas dabit cum Decretum publicabitur; strenae enim, quod iam diximus, non dantur pro Congregatione Generali.

139. Suffragiis in Congregatione latis, sententiam suam non illico manifestat Summus Pontifex. Quando vero proferendam esse iudicaverit, Secretarium S. C. Decretum scribere iubet quo enunciatur tuto procedi posse ad solemnem Beatificationem quandocumque celebrandam. De publicatione Decreti iam diximus.

140. Eo die quo Dubium hoc expenditur, Augustissimum Sacramentum publicae adorationi exponendum curabit Postulator, prout iam advertimus cum de aliis egimus Congregationibus.

TITULUS II.

DE CAUSIS MARTYRUM QUAE PROCEDUNT PER VIAM NON CULTUS.

141. Quoniam Martyres non poena facit, sed causa martyrii, ideo, cum de iis agitur, non de morte tantum, sed et de causa cur capitis fuerint damnati potissime quaerendum est. Quae ad eiusmodi investigationem pertinent, habentur in Appendice VI brevi sermone perstricta. Caeterum Postulator Advocati consilio dirigatur oportet.

141. Causa Martyris appellatur — *Beatificationis et Canonizationis seu Declarationis Martyrii Servi*

Dei N. — Praeter scriptorum examen a quo neque Causae istae solvuntur, haec habentur Iudicia: 1° de *Introductione Causae*; 2° de *Non cultu*; 3° de *Validitate Processuum*; 4° de *Martyrio et causa Martyrii*; 5° de *Miraculis seu Signis*; 6° de *Tuto*. Ab inquisitione de Fama in genere in eiusmodi Causis solvere consuevit S. Sedes a Postulatore exarata.

143. Processus itaque primo ordinaria auctoritate conficiendus est ab Ordinario eius loci in quo Martyr occubuit, et eo loco in quo commodius et facilius condi potest. Processus iste eodem modo dirigitur ac Processus Ordinarius Informativus in Causis Confessorum: inquiritur autem non de *Fama sanctitatis vitae, Virtutibus et Miraculis*, sed de *Fama Martyrii, causae Martyrii, et Miraculorum seu Signorum*. Utile vero admodum erit, si fieri poterit, et de Martyris virtutibus saltem aliquid inquirere. *Signa* heic intelliguntur prodigiales eventus aut portenta quibus Deus Martyrem in ipso obitu aut post obitum illustravit: quae, si vere prodigiosa fuerint per testes *oculares* in Apostolico Processu examinatos probata, *ad effectum Beatificationis* in S. R. Congregatione proponi possunt.

144. In Causis Martyrum aliquando quidquam de meritissima severitate sua remittit S. Congregatio; ac propterea concessum quandoque est ut Processus Ordinarii locum tenuerint extraiudiciales testificationes tum Ordinariorum, tum hominum auctoritate et fide praestantium quas Ordinarii collegerint; ut validi habeantur ad introducendam Causam Processus ab Ordinariis ex officio, et sine Postulatoris actione et non ad iuris tramites confecti, nec enim in dissitis barbarisque regionibus elementa praesto esse possunt ad Processus rite condendos necessaria; ut Processus ipsi in Urbem mitti possint publicorum tabellariorum ope quin a iurato Portitore deferantur, etc. Si vero Processus, utcumque demum

conditus fuerit, decennium elabatur oportet antequam de Causae Introductione agi possit, nisi ab hac lege Summus Pontifex solvat.

145. Causa introduci uti Causae Confessorum deberet; sed multis abhinc annis conceditur a Summo Pontifice ut de Introductione agatur in Congregatione particulari. Eodem modo ac in Causis Confessorum habetur Iudicium de Non cultu, sed non eodem modo Processus super Non cultu fieri semper potest ac in Causis Confessorum, non enim facilis semper est Iudicis ad Martyris sepulcrum accessus ut illud inspectare possit et investigare an Urbani VIII Decreta serventur. Quamobrem qui in hoc Processu Postulatoris munere fungitur (nam in Processu super Non cultu Postulatoris actio intersit oportet, sententia enim a Iudice proferenda est, ideoque etiam agere debet Promotor Fiscalis), per testes optima instructos scientiae causa cultum Martyris publicum non praeberi probandum curabit. Caeterum ipsa difficultas accedendi ad sepulcrum iam argumento est nullum inibi praeberi cultum, quia nempe praeberi non ibi potest quo accedere quis nequit.

146. Iudicio expleto super Non cultu et impetrata *dispensatione* a Processu super Fama in genere, qui in Urbe legitime constitutus est Causae Postulator, petere debet Litteras Remissoriales et Compulsoriales ad instruendum Processum Apostolicum super *Martyrio*, *causa Martyrii*, *Miraculis seu Signis*; sed, si necessarium videatur, Causa introducta, antequam Iudicium de Non cultu expleatur, petet Litteras Remissoriales ad inchoandum Processum Apostolicum ne pereant in Causa probationes; eoque Iudicio expleto alias petet Litteras ad Processum illum continuandum et absolvendum, quae tamen a Iudicibus delegatis non aperientur nisi Processu *ne pereant* absoluto. Numerum vero et dignitatem Iudicum quod attinet, extraordinarias concedit, quae tamen

peti debent, facultates S. Congregatio iuxta locorum in quibus Processus construi debet adiuncta et difficultates.

147. Cum autem antequam Apostolicus Processus super Martyrio et causa Martyrii absolvatur, recognitio sepulcri et corporis Martyris fieri debeat, idcirco, si vel ad sepulcrum non detur accessus, vel corpus occultatum fuerit, aut in frustula sectum, aut combustum et dispersum, de his Postulator, cum Litteras Remissoriales petet, certiorem faciet S. Congregationem, quae pro sua prudentia quid hoc in casu agendum disponet. Quod si nonnullae corporis reliquiae sint; et hoc S. Congregationi manifestetur.

148. In Causis Martyrum testes etiam ethnici admittuntur, dummodo caeterum idonei sint; eisque iuramentum defertur per eorum honorem.

149. Meminerit Postulator in Urbe legitime constitutus, deputandum sibi esse Vice-postulatorem in eo loco ubi Apostolici Processus condendi sunt, si illuc ipse, quod plerumque fit, ire nequeat.

150. Postquam de huius Apostolici Processus validitate fuerit consueto more disputatum, ac Decretum de validitate editum, in tribus Congregationibus, idest Antepraeparatoria, Praeparatoria et Generali expenditur Dubium — *An constet de Martyrio et causa Martyrii in casu et ad effectum de quo agitur?*; — sed haberi nequit Congregatio Antepraeparatoria priusquam anni quinquaginta ab obitu Martyris fuerint elapsi, nisi ex Pontificis venia. Positio inscribitur — *Super Martyrio.* Decretum quo de eo constare pronunciatur, solemniter, ut in Causis Confessorum, a Summo Pontifice publicatur. Postea vero de signis seu miraculis disputatur ut in Confessorum Causis. Quot signa aut miracula proponi debeant, ex Decretis Benedicti XIV accipiet Postulator quae habentur in Appendice VII.

151. Haec iuxta communem normam. Caeterum in Causis Martyrum, uti docet Benedictus XIV Lib. I, cap. 27 n. 8, et suo Decreto publicato die 22 maii anno 1749 in Causa *Polona seu Luceoriensi Ven. Andreae Bobola*, cum *facilius expediantur quam Causae Confessorum; facile etiam permittitur ut una cum Dubio de Martyrio alterum proponatur de Signis seu Miraculis*. Et si bene res cesserint, uno eodemque solemni Decreto Summi Pontificis constare de Martyrio et Signis seu Miraculis pronunciatur.

152. Aliquando, peculiaribus inspectis Causae adiunctis, ex Summi Pontificis venia, *accedente Voto pro veritate R. P. D. Sanctae Fidei Promotoris*, Dubium — *An constet de Martyrio et Signis sive Miraculis* — propcsitum fuit in Congregatione *particulari*, vel in comitiis S. C. ordinariis *cum interventu et Voto Consultorum*: quod semel advertisse satis sit.

153. Tandem Iudicium, more solito, super *Tuto* habetur.

TITULUS III.

DE CAUSIS TUM CONFESSORUM TUM MARTYRUM PROCEDENTIBUS PER VIAM CASUS EXCEPTI.

154. Duplex ratio est qua Causae istae pertractantur, vel enim primo signatur Commissio Introductionis Causae ac deinde de Casu excepto disputatur, vel, quin Commissio illa signetur, Casus exceptus primum proponitur.

155. Si prior adhiberi velit ratio, haec agenda. Ordinarius Processum Informativum condit super Fama sanctitatis vitae, Virtutibus et Miraculis, aut super Fama Martyrii, causae Martyrii et Miraculorum seu Signorum, et habetur Iudicium de Introductione Causae more solito, et scriptis Servi Dei iam perquisitis et examinatis, nisi venia fuerit impetrata ea postea perquirendi et exa-

minandi. Decennium a die exhibitionis Processus non expectatur. Commissione Introductionis a Summo Pontifice signata, proponitur in ordinariis S. R. Congregationis comitiis Dubium de *Casu excepto*, probationibus desumptis a Processu vel Ordinario, si Ordinarius illum ante Commissionem signatam confecerit, vel Apostolico, et ea omnia fiunt quae in Iudicio super Non cultu. Dubium proponitur — *An sententia lata a Iudice... super cultu ab immemorabili tempore praestito V. S. D. N. seu super casu excepto a Decretis sa. me. Urbani VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* — Si Iudicis sententia confirmetur, idest si adprobetur Casus exceptus, Decretum editur, typis imprimendum et publice affigendum, uti Decretum de Non cultu; et Servus Dei dicitur *aequipollenter beatificatus*, ac venerari eodem modo potest ac ii Servi Dei qui *formaliter* fuerint *beatificati:* nec miraculis, neque Decreto super *Tuto* opus est, neque Beatificationis solemnia celebrantur. Strenae dantur uti in Iudicio super Non cultu.

156. Agitur postea de concessione petenda Officii et Missae in honorem Beati, et etiam *Elogii* Martyrologio inscribendi. Petitio fit ab Ordine regulari in quem Beatus fuerat cooptatus, aut ab Ordinario dioeceseos ad quam pertinebat etc. Procurator aut Advocatus scribit supplicem libellum et adiicit Summarium constans ex Decreto adprobationis Casus excepti, *Orationibus* et *Lectionibus propriis*, Elogio, petitionibus Ordinarii, Praesidis Ordinis etc. Si opportunum aut necessarium duxerit, Promotor scribit suas *Adnotationes* et Patronus Responsiones. Omnia typis imprimuntur et fit Positio more consueto distribuenda pro Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria. Positio inscribitur — *Concessionis Officii et Missae in honorem* etc. *et Elogii Martyrologio inscribendi, instantibus* etc. Concessione impetrata, strenae de more dantur ut in aliis Iudiciis Congregationis ordinariae.

157. Si deinde Causam ad solemnem Canonizationem velit Postulator perducere, petet primo per supplicem Procuratoris libellum solutionem ab inquisitione Apostolica super *Fama in genere* sive virtutum sive martyrii, quae facile conceditur; deinde Litteras Remissoriales et Compulsoriales ad instruendum Processum Apostolicum super Virtutibus et Miraculis in specie, aut super Martyrio, causa Martyrii, Miraculis seu Signis.

158. De huius Processus validitate ad consuetam normam deinde disputatur, qua adprobata proponitur Dubium — *An constet de Virtutibus* etc. — vel — *An constet de Martyrio et causa Martyrii*, — sed prius Servi Dei scripta examinata iam fuerint oportet.

159. De Dubio illo agitur in Congregatione Antepraeparatoria, Praeparatoria et Generali: vel etiam, si id Summus Pontifex concedat, in Congregationi particulari adstantibus Cardinalibus Praefecto S. C., Causae Ponente et aliquibus aliis quos Summus Pontifex designaverit, Secretario, Promotore et Sub-promotore; vel in ordinariis Comitiis adstantibus et suffragium ferentibus S. C. Consultoribus. Si in tribus Congregationibus, scilicet Antepraeparatoria aliisque Dubium proponetur, solemne deinde a Summo Pontifice publicatur Decretum, ut in Causis quae procedunt *per viam Non cultus*, quo enunciatur — *Ita constare de Virtutibus* etc. aut *de Martyrio* etc. *ut procedi possit ad discussionem quatuor Miraculorum*. — Quatuor requiruntur miracula, quia nempe probationes a testibus *ocularibus* desumi minime potuerunt. Haec autem miracula patrata sint necesse est *post indultam venerationem*, uti postea dicemus. Quid in hisce omnibus sibi sit agendum, iam novit Postulator.

160. Si vero Dubium proponatur in Congregatione particulari aut in ordinariis comitiis adstantibus et suffragium ferentibus Consultoribus, non solemniter publicatur Decretum, sed editur uti Decretum Dubiorum de

quibus in ordinariis comitiis disputatur. Verum, si Consultores intersint, currus parandi et dona mittenda uti in Congregationibus Antepraeparatoriis. Strenae dantur, publicato Decreto, ad normam *Taxationis*, quam pluries nominavimus, et Decretum in consuetis locis affigitur.

161. De miraculis deinde agendum; de quibus dicemus in *Titulo V. de Causis procedentibus ad Canonizationem.*

162. Sed alia etiam est hasce Causas pertractandi ratio. Usu aliquandiu receptum fuit ut Casus exceptus demonstrari posset per documenta, authentica illa quidem, at non *iudicialia*, idest non legitimae inquisitionis ope collecta. Sa. me. Pius Papa IX die 10 decembris anno 1868 decrevit *ut deinceps ad approbationem cuiuslibet ex casibus exceptis non deveniatur, nisi praecesserit particularis Processus tam super cultus initio, seu super fundamento casus excepti, quam super cultus continuatione usque ad sententiam ab Ordinario seu ab Iudice ab Apostolica Sede delegato emanandam.*

163. Quin igitur primum Processus Ordinarius Informativus super Fama sanctitatis vitae etc. aut super Fama Martyrii etc. conficiatur, Ordinarius auctoritate sua condit Processum super Casu excepto, suamque in eo fert sententiam. An haec sententia confirmanda sit necne, disputatur in ordinariis S. Congregationis comitiis, et omnia fiunt ut in Iudicio de Non cultu. Edito deinde confirmationis Decreto, Dei Servus aequipollenter beatificatus dicitur.

164. Tum vero, si Causam Postulator ad Canonizationem adducere velit, Processus Ordinarius Informativus quem diximus esset condendus, et more solito Commissio Introductionis Causae signanda, ex qua facultas fit condendi Processus Apostolicos. Sed ne tantum temporis impendatur, aliter expediri res ista potest, scilicet eodem modo ac fit in communi Causarum quae per viam

Non cultus procedunt Introductione; sed Informationis locum tenet supplex Procuratoris aut Advocati libellus: et Summarii locum tenent extraiudiciales attestationes quibus miraculorum fama, populi in Beatum pietas, ac desiderium eius impetrandae Canonizationis demonstretur. Adiicitur venia proponendi Dubium (*An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?*) in comitiis S. C. ordinariis absque interventu et voto Consultorum, et quin scripta Servi Dei fuerint conquisita et examinata, si Dei Servum aliquid scripsisse constiterit, nec eius scripta iam conquirenda et examinanda Postulator curaverit. Afferri quoque possunt *Litterae Postulatoriae*.

165. Ex eo libello et Summario typis impresso, et Animadversionibus et Responsionibus, si Fidei Promotor Animadversiones suas opponet, fit Positio quae inscribitur — *Supplex libellus super Signatura Introductionis Causae*. — Positio iis omnibus et more solito distribuitur qui comitiis S. R. Congregationis ordinariis intersunt. Si Summus Pontifex Commissionem (in folio scriptam uti Commissio Introductionis Causarum Confessorum) signaverit, Postulator, si Causam ulterius adducere velit, illa aget deinde omnia quae in eiusmodi Causis ad communem normam introductis agenda diximus postquam Casus exceptus fuerit adprobatus. Decretum Introductionis editur, quod typis imprimitur, et consuetis affigitur in locis: strenae dantur.

TITULUS IV.

DE CAUSIS QUAE ANTE URBANIANA DECRETA IAM FUERANT INTRODUCTAE.

166. Plures antequam prodirent Urbani VIII Decreta fuerant Causae Beatificationis et Canonizationis introductae, et plura in ipsis Causis gesta. Eorum cursus per

Decreta illa interruptus est, ac praescriptum ne de iis agi posset *nisi habita prius et expresse obtenta licentia a Sanctitate Sua vel eius Successoribus*. Huic *licentiae* petendae substituta deinde fuit *Commissio Reassumptionis Causae in statu et terminis* a Summo Pontifice signanda. Haec autem erunt Postulatori agenda qui aliquam habeat ex eiusmodi Causis ulterius adducendam.

167. A Substituto Secretariae S. C. petet notitiam eorum omnium quae in Causa acta fuerunt, quam ille praebet per suum *Ita reperitur*, de quo supra. Tunc dignoscet Postulator quinam fuerint conditi Processus, et in quo *statu* et quibus in *terminis* Causa sit. Processus omnes, qui tamen adinveniri possint, sunt Fidei Promotori exhibendi, nimirum ut pateat an digna Causa sit quae ulterius procedat, et utrum peremptorius aliquis extet obex: sed hanc quod attinet exhibitionem, Promotoris iussa et consilia sequetur Postulator. Testificationes deinde quamquam *extraiudiciales* procurabit Postulator de continuatione famae vel sanctictatis vel martyrii, et per supplicem libellum Advocati aut Procuratoris petet *Signaturam Commissionis*. Supplex libellus cum iis attestationibus typis imprimitur, et fit *Positio super Reassumptione Causae in statu et terminis*: Dubium est, — *An sit signanda Commissio Reassumptionis Causae in statu et terminis?* — et proponitur in comitiis S. Congregationis ordinariis, ideoque Positio iis omnibus distribuenda more solito, qui eiusmodi comitiis intersunt. Si S. Congregationis affirmativum sit responsum, Commissio scribitur in folio uti Commissio pro Introductione, eamque Summus Pontifex, si placeat, signat. Decretum editur et affigitur: strenae de more dantur. Si vero Dei Servum aliquid scripsisse constituerit, et scripta nondum fuerint examinata, antequam petatur Commissio, scripta exhibenda et examinanda sunt. Verum impetrari potest ut hoc postea fiat: quod si a Summo Pontifice conce-

datur, Decretum de hac obtenta venia in Positione inserendum est.

168. Commissione signata, si Causa per viam Casus excepti procedat, petendae sunt Litterae Remissoriales ad conficiendum Processum super Casu excepto; si vero Causa procedat per viam non cultus, Litterae petuntur ad conficiendum Processum super Non cultu.

169. Sententia Iudicis delegati super Casu excepto a S. R. Congregatione confirmata, Causa procedere potest ad Canonizationem: confirmata sententia super Non cultu, Causa procedere potest ad formalem Beatificationem.

170. Tunc Postulator Summum Pontificem rogabit ut a Processu super Fama in genere Causam solvat, quam si impetrarit solutionem, perpendet an iam antiquitus conditi Processus sufficiant ad progrediendum; secus vero ad novos condendos Processus super Virtutibus et Miraculis in specie, aut super Martyrio, causa Martyrii et Miraculis seu Signis, Remissoriales Litteras impetrabit.

171. Si antiquis Processibus uti velit Postulator, de eorum validitate, uti de validitate novorum Processuum, disputari debet more solito, si iam pridem validitas probata non fuerit. Deinde iuxta consuetam normam Postulator aget omnia quae agenda esse iam novit, et quae in sequenti Titulo dicemus, ut Causam ad propositum finem perducat.

TITULUS V.

DE CAUSIS PROCEDENTIBUS AD CANONIZATIONEM.

172. Ut solemnis Canonizatio impetrari possit in Causis quae procedunt per viam Non cultus introductis post Urbaniana Decreta, duo Miracula adprobentur necesse est, patrata post indultam venerationem, idest postquam

Breve Beatificationis fuerit editum, quamquam nondum fuerint Beatificationis solemnia celebrata.

173. At inquisitio de miraculis haberi nequit, nisi signata fuerit a Summo Pontifice *Commissio Reassumptionis Causae*. Itaque si noverit Postulator miracula, aut etiam unum, fuisse a Deo patratum ad Beati advocatam intercessionem, petet eam Commissionem. Petitur autem per supplicem Advocati aut Procuratoris libellum cui adiiciendae sunt testificationes, etsi *extraiudiciales*, de continuata et aucta in Beatum populi veneratione. Libellus et testificationes typis imprimuntur, et fit *Positio super Reassumptione Causae*. Causae appellatio est — *Canonizationis*: — Dubium proponitur — *An sit signanda Commissio Reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* — et expenditur in comitiis S. Congregationis ordinariis. Affirmativum si detur a S. C. responsum, Commissio in folio scripta, uti alias, ad Summum Pontificem signanda defertur. Decretum quod ad rem editur, typis imprimitur et in consuetis locis affligitur. Strenae de more dantur.

174. Commissione signata petet Postulator Litteras Remissoriales ad condendum Processum super Miraculis, vel super Miraculo, si unum tantum patratum feratur; tum vero aliae Litterae petendae sunt ad alterum Processum condendum, quando de alio miraculo notitia habebitur. Si dissitis in locis miracula sint patrata, diversi etiam instruendi Processus.

175. Cum de duobus miraculis Processus fuerint confecti, aperti, eorumque scriptum exemplar (quae omnia iam Postulator novit) de Processuum illorum validitate disputandum est: qua adprobata, de Miraculis disceptatur more solito in Congregatione Antepraeparatoria, Praeparatoria, Generali. Positio *Novissima* exhibebit *Factum concordatum*, relationem scilicet eorum quae in Causa gesta sunt post indultam venerationem usque

ad Congregationem Generalem. Dubium proponitur sicut in discussione miraculorum pro Beatificatione. Tandem, si Summus Pontifex ita diiudicaverit, publicatur solemniter Decretum quo de Miraculis constare enunciatur.

176. Nunc de Causis quae procedunt per viam Casus excepti post Urbani VIII Decreta introductis.

177. Miracula ad obtinendam Canonizationem in hisce Causis proponenda sunt quatuor, quae fuerint post indultam venerationem a Deo patrata. Decreto Generali Benedicti XIV edito die 14 iulii 1744 statutum est ut miracula dicantur sequuta post indultam venerationem, etiamsi Deus operatus ea sit antequam de Casu excepto fuerit lata sententia, sed vel post primam aliquam cultus concessionem a Summo Pontifice factam, quamquam amplior deinde facta fuerit concessio; vel post centenarii cultus complementum. Sententiam enim nil novi importat, sed declarat Casum esse a Decretis Urbanianis exceptum.

178. Si Miracula probentur per testimonia lata in Apostolico Processu super Virtutibus aut Martyrio; postquam super Virtutibus et Martyrio fuerit editum Decretum, Miracula Sacrae Congregationis deliberationi proponentur quin Commissio Reassumptionis petatur. Proponentur vero in tribus Congregationibus, idest Antepraeparatoria, Praeparatoria et Generali, et Factum Concordatum quod *Novissimae Positioni* inseretur, exhibebit relationem eorum omnium quae acta sunt in Causa ab initio usque ad eam Congregationem. Si vero ad Miracula probanda particulares fuerint Processus constructi, postquam de Virtutibus et Martyrio fuerit editum Decretum, de eorum Processuum validitate, consueto more disputandum est: qua adprobata, Miracula in tribus Congregationibus proponentur.

179. Causas quod attinet iam ante Urbaniana Decreta introductas, et postea *reassumptas*, in iis eadem agun-

tur. Scilicet, si per viam Non cultus procedant, postquam formalis Beatificatio fuerit impetrata, signatur *Commissio Reassumptionis*, et alia omnia fiunt quae diximus. Si procedant per viam Casus excepti, postquam de Virtutibus aut Martyrio fuerit editum Decretum (quae vero antequam Decretum illud feratur agenda sint, iam novit Postulator), Miracula proponentur ut diximus, quin petatur Commissio Reassumptionis. Proponuntur vero quatuor, si Virtutes aut Martyrium probata fuerint per testes de auditu: at si probatae fuerint per testes de visu qui examen subiere in antiquis Apostolicis Processibus, ex Decreto Generali Benedicti XIV edito die 23 aprilis 1741 confirmato per aliud Decretum latum die 17 iulii 1744 (V. Append. VII) inferendum videtur duo tantum proponenda esse Miracula post indultam Venerationem patrata, prouti fieri consuevit antequam illa sua Benedictus ederet Decreta. Iis enim Decretis statuit quatuor ad Canonizationem proponi debere Miracula, quia, uti scribit Lib. I Cap. 32 n. 5, — consideravit *quod in Causis procedentibus per viam Casus excepti, Virtutes et Martyrium probentur per testes de auditu et probationes subsidiarias*. Ponimus autem nos testimonia de Virtutibus aut Martyrio ab ocularibus testibus fuisse desumpta.

180. Sed fieri etiam potest ut in Causis eiusmodi quae per viam procedunt Casus excepti, testimonia de Miraculis post indultam venerationem patratis lata fuerint in antiquis Processibus Apostolicis. Tum vero illa ipsa miracula Postulator proponet illis demonstrata testimoniis, dummodo tamen Processuum illorum validitas a S. Congregatione fuerit affirmata.

181. Miraculis adprobatis, in singulis Causis de quibus diximus Iudicium habendum super *Tuto*, idest Dubium in Generali Congregatione proponendum — *An stante* (*duorum* aut *quatuor*) *Miraculorum adprobatione, Tuto*

deveniri possit ad solemnem Canonizationem. Omnia fiunt ut in eiusmodi Iudicio quod pro Beatificatione habetur: verum Antistiti Sacrarii Basilicae Vaticanae non quingenti sed mille aurei solvendi sunt idest scut. rom. mille sexcenta et quinquaginta.

TITULUS VI.

DE SOLEMNIIS BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS.

Caput I.

De Solemniis Beatificationis.

182. Ut haec solemnia celebrari possint, expediendum est *Breve* Apostolicum, quo dies solemnitatis destinatur, veneratio erga Beatum, Officium et Missa, indulgetur, aliaque constituuntur. Sed diei destinationem quod attinet, ea Summo Pontifici suggerenda dies est, qua omnia in promptu esse possint ad solemnitatem celebrandam, de quibus deinde dicemus. *Breve* scribitur in Secretaria Brevium, et Postulator Substituto eius Secretariae tradet historicum compendium gestorum Beati, ut de iis in Brevi mentio fiat. Quid pro Brevi solvendum sit ab ipsa Secreteria Postulator accipiet.

183. Plura huius Brevis exemplaria typis imprimentur, nam et consuetis locis die quo Beatificatio celebratur affigenda sunt, et singulis Emis Cardinalibus S. Congregationis, Praesulibus Officialibus et Consultoribus distribuenda, prouti de Decretis super Virtutibus, Miraculis et *Tuto* diximus. Distribuuntur etiam ipsa Beatificationis die, si Postulatori placeat, iis quibus ea ipsa die *Vita* Beati distribuitur, atque adiici possunt *Orationes* in Missa dicendae. Orationes istas proponere Postulator ipse potest S. R. Congregationis adproba-

tioni; quamobrem Promotori Fidei et Secretario ipsius S. C. cognoscendas subiiciet ut adprobationem obtineat.

184. Quum vero Beati Reliquiae eo ipso solemnitatis die publicae venerationi in Basilica Vaticana proponi, ac etiam tum nonnullis ex lege, tum aliis eas petentibus dari debeant, idcirco Postulator opportuno tempore per suum supplicem libellum Summum Pontificem adprecabitur, ut concedat Beati corpus e sepulcro extrahi, Reliquias sumi, corpusque reliquum in opportuno loco Ecclesiae in qua iacet, aut alibi, recondi ac venerationi proponi posse.

185. Summus Pontifex rescribi iubet se facultates omnes necessarias et opportunas ad opus tribuere Promotori Fidei et Sub-promotori, dummodo omnia peraguntur iuxta morem per acta Cancellarii S. R. Congregationis. Si vero Beati corpus extra Urbem reconditum iaceat, neque illuc accedere possit Promotor aliique, Promotor ex facultate sibi tributa Ordinario loci rem committit agendam iuxta instructiones suas. Promotoris instructiones per litteras Secretariae S. C. ad Ordinarium illum mittuntur. Nos autem heic dicimus quae in Urbe fiunt.

186. Cum Pontificis Rescriptum Postulator obtinuerit, Promotorem adibit, et cum eo de die exhumationis, de Peritis physicis, et necessariis fabris eligendis, ac de aliis iuxta opportunitatem vel necessitatem aget. Hisce dispositis curabit ut in aula templo in quo Beati corpus iacet attigua, cuius fores claudi bene possint (nam in ea aliquot dies sacrae Beati exuviae custodiantur necesse est) mensa apparetur sindone cooperta, atque uti par est exornata, in quo sacrum corpus collocandum erit. Apparabit ipse ceram hispanicam rubram ad sigilla imprimenda, sericas vittas, gossypium etc.

187. Exhumationi solum adesse illi deberent qui aliquo ad eam perfungantur munere; sed conceditur ut et alii pietatis ergo adesse possint, annuente Fidei Promotore.

188. Praestituta die conveniunt in templo Postulator, Rector templi aliique invitati. Advenientem Promotorem et Sub-promotorem obsequenter uti par est, recipit templi Rector. Clausis templi ianuis, Promotor locum sepulcri a Rectore quaerit: quo cognito, iubet Cancellarium perlegere Acta recognitionis et repositionis corporis factae antequam absolveretur Processus Apostolicus super Virtutibus et Miraculis, aut alias, si postea sepulcri locus fuerit immutatus; deinde fabris mandat ut opus exhumationis aggrediantur, promulgata prius *excommunicatione latae sententiae Summo Pontifici reservata, ipso facto incurrenda contra auferentes aliquid vel minimum de corpore et exuviis Ven. Servi Dei, vel aliquid clanculum immittentes* etc.

189. Extractum e sepulcro corpus supplicationis ritu, psalmos cum *Gloria Patri* submissa voce iis qui adsunt recitantibus ac incensos cereos gestantibus, ad aulam quam diximus defertur, et in mensa collocatur: illuc etiam aliae deferuntur Reliquiae si quae in sepulcro aut in capsis adinventae sunt. Periti physici, quorum alter est Medicus, alter Chirurgus, iuramenti religione devincti, corpus inspectant, singulas illius partes enumerant, componunt, distinguunt, ac de omnibus relationem scribunt. Tum Postulator Reliquias sibi dari petit a Promotore publicae proponendas venerationi et distribuendas; quibus acceptis rogat Promotorem ut ad destinatum locum sacrum corpus deferri iubeat. Corpus in capsa quae Beatum deceat reponitur: si vero corruptum fuerit ut ossea tantum extent fragmenta aut cineres, ea gossypio involuta in vasis cristallinis ponuntur, quae in capsa quam diximus collocantur. Capsa aeneis cochleis occluditur ac sericis vittis colligatur, sigilloque Promotoris pluribus in locis obsignatur, ac tandem supplicationis ritu, uti supra, ad destinatum locum defertur, et in nobili urna reconditur, fidelium oculis

ac venerationi non proponenda nisi postquam in Basilica Vaticana *Breve* Beatificationis fuerit publicatum.

190. Sed omnia haec non una alterave Sessione expleri semper possunt; nam fit aliquando ut pluribus diebus opus sit ad udorem ossium exsiccandum: sed una eademque Sessione corpus exhumatur et in mensa illa quam diximus collocatur.

191. Quoad corpus reconditum non fuerit, potest Postulator alias aliasque petere Reliquias: advertat autem Reliquias nonnullas, Promotoris sigillo obsignatas, cum scriptione ipsius Promotoris quae indicet ad quam corporis partem pertineant, custodi lypsanothecae romanae dandas esse.

192. Compendioso haec perstrinximus sermone, non enim id consilii nobis fuit ut omnia exponeremus quae hac in re fiunt; sed ut notitiam aliquam Postulator accipiat de iis quae aguntur et quae ipse apparare debet. Caeterum omnia dirigit Promotor Fidei et Sub-promotor, et de omnibus Instrumentum conficit Cancellarius S. C.

193. Nunc de iis dicendum quae disponi et agi debent ad Solemnia celebranda; et primo de iis quae distribuuntur.

194. Distribuuntur, praeter Breve de quo diximus, tum die solemnitatis, tum deinceps, Beati *Imago graphio delineata, Vita, Imago depicta, Reliquiae:* addendi *Flores factitii.*

De Imagine graphio delineata.

195. Cum longiori tempore ad hanc conficiendam imaginem quam ad caetera ferme opus sit, de ea primum omnium Postulator cogitet.

196. Imagines quae distribuuntur variae sint figura et forma, quam varietatem Postulator destinat: duae vero

omnino necessariae sunt; nimirum quae dicitur *imago grandis*, et quae *mediocris*. Itaque Postulator unum aut plures pictores ex peritioribus seligat, eisque committat ut haematite delineent imagines graphio deinde in aere a sculptore delineandas. Imagines vel Beatum ad caelum evectum, vel gestum illius aliquod ex illustrioribus, vel, praesertim quae mediocris sunt formae, eius effigiem oculis referant. Caput sit radiis splendentibus circumdatum, non autem *aureola* idest aurea corona ad formam circuli redimitum, quae non in Beatorum, sed in Sanctorum Caelitum imaginibus pingitur. Ac ne quid inconsulto fiat, antequam vel sculpantur vel pingantur Beati imagines aliaeque telae de quibus dicemus, earum diagramma Cardin. S. R. C. Praefecto, Promotori, Sub-promotori et S. C. Secretario cognoscendum exhiberi debet. Ad aes caelandum haud brevi temporis intervallo, quod quisque novit, opus est: ac propterea de imaginibus diximus primum omnium a Postulatore cogitandum.

197. Opere a sculptore perfecto, grandioris imaginis imprimentur exemplaria circiter mille et trecenta, quorum trecenta in charta quae dicitur *papalis*, reliqua in charta eiusdem quidem formae sed paullo minus eleganti. Imaginis mediocris imprimentur exemplaria bis mille et quingenta. Imaginum minorum, si et ipsas confici curavit Postulator, numerum ipse pro sua prudentia determinabit. Sciat vero petentium infinitum propemodum fore numerum.

198. Cum caelatum aes, in quo nimirum sculptae fuere imagines, a Postulatore asservetur, earum numerus augeri pro lubitu potest, si quae impressae iam fuerunt satis non sint ut omnibus quibus post Solemnia dari debent distribuantur.

199. Quae impressae sunt in charta papali dantur Cardinalibus, Praesulibus Officialibus et Consultoribus S. C., Praesuli pontificiae Domui praeposito, Praesuli ab Ad-

missionibus, aliisque nobilioribus Aulicis, Canonicis Basilicae Vaticanae, Substituto Secretariae S. R. C. et aliis iuxta elenchum qui Postulatori tradetur. Involvuntur ad formam cylindri, et circumligantur, quae Cardinalibus dantur, vitta serica rubra; quae caeteris, vitta serica violacea. Etiam imagines grandiores in diversa charta impressae, et mediocres, quae in die Solemnium distribui debent, illae Beneficiariis Vaticanis etc. istae Seminarii Vaticani alumnis, in hunc modum involvuntur, et vittis sericis colligantur.

200. Unum exemplar grandioris imaginis imprimetur in tela serica albi coloris, aureis filis composite fimbriata, quae cum duodecim saltem exemplaribus in nobiliori charta impressis involuta, et circumligata nobili vitta serica alba aureis floccis ornata, Summo Pontifici offeretur, prouti suo loco dicemus.

201. Advocato et Procuratori Causae, imaginem dandam esse nemo ignorat.

De Vita.

202. Historia vitae novensilis Beati conscribenda est eiusque Compendium, quae sunt typis vulganda, et distribuenda. Tum in *Vita* tum in Compendio, de Causae Actis mentio fieri solet, ac potissime de Miraculis quae adprobata fuere. Qui Vitam aut Compendium describit, omittet protestationes quae in eiusmodi libris scribi debent cum de Servis Dei agitur Caelitum honoribus non auctis: sed scriptum typis vulgari nequit nisi S. R. Congregationis Assessor et Magister S. Palatii id permiserint.

203. Vitae exemplaria edentur circiter bis mille et quingenta; praesertim quod distribuentur etiam cum Triduana sacra celebrabuntur in ecclesia in qua vel Beati corpus quiescit, vel specialiter veneratur. Compendii edi possunt exemplarium circiter quatuor millia.

204. Postulator pactionem cum typographo inibit de Vita et Compendio edendo. Curet autem ut nitidi sint typi, perpolita charta, ac viginti circiter exemplaria in nobiliori charta imprimantur. Beati imago Vitae, et etiam Compendio, si placet, adnectetur.

205. Exemplaria sic componenda. Centum et viginti circiter corio rubro et nonnulla corio viridi obducentur, et in dorso et lateribus aureae lineae aliaque ornamenta imprimentur; Cardinalibus rubra, aliis alia offerenda. Libri margines sint aurati. Biscenta obducantur corio violacei coloris aut viridis, aureis lineis et ornamentis in dorso, non autem aureis in lateribus decorato: margines sint flavo colore depicti. Haec distribuentur Canonicis Basilicae Vaticanae, Praesulibus Officialibus et Consultoribus S. C., Substituto Secretariae S. C., nobilioribus Aulicis pontificiae Domus, aliisque iuxta elenchum qui Postulatori tradetur. Mille circiter dorsum tantum corio obducetur lineis aureis ornato *(mezza legatura)* quae dabuntur Beneficiariis Basilicae Vaticanae, Caudatariis Cardinalium, aliisque iuxta elenchum. Nongenta charta operiantur colorata *(legatura in rustico)* pariter iuxta elenchum distribuenda. Compendium vel corio vel charta operitur.

206. Ceterum heic norma datur aliqua: Postulator autem elegantiora parare poterit et distribuere exemplaria prouti id Postulationis dignitas feret et opes: at semper splendidiora Cardinalibus.

207. Exemplar Summo Pontifici offerendum, perpolito corio albo aut tela serica alba obducetur, aureis et coloratis ornamentis eiusque stemmate decorato, ac praeterea nonnulla alia offerentur exemplaria corio rubro cooperta uti supra.

208. De hac exemplarium compositione et ornatu Postulator cum magistro librario pactionem inibit.

209. Superfluum est advertere Causae Advocato et Procuratori Vitam dari debere.

De Imagine depicta.

210. Decem depictae imagines coronis ex aurato ligno ornatis dari debent, id est Summo Pontifici, Cardinali Praefecto S. C., Cardinali Causae Ponenti, Secretario S. C., Promotori Fidei, Sub-promotori, Substituto Secretariae, Advocato, Procuratori.

211. Imago Pontifici offerenda, magna sit, a claro Perito depicta: corona sit toreumata, quae Summum Pontificem deceat.

212. Imagines offerendae Card. Praefecto et Ponenti, et ipsae a claris Peritis depingantur in tela quae vulgo imperialis *(d' Imperatore)* dicitur. Corona etiam sit eleganter ornata. Si vero Causae Ponens sit ipse Praefectus, una tantum ei datur imago.

213. Imagines reliquis quos diximus offerendae et ipsae sint perite depictae in tela palmor. quatuor, coronis minus elegantibus ornatae.

214. Pactionem de his cum pictore aut pictoribus inibit Postulator.

215. Imagines istae etiam aliquo intervallo a celebratis Solemniis offerri possunt, ut scilicet pictores opus affabre perficiant.

De Reliquiis.

216. Novensilis Beati Reliquiae die Beatificationis publicae venerationi proponuntur in Altari Basilicae Vaticanae quod a *Cathedra* appellatur ubi Sacrum solemne peragitur. Itaque oportet ut Postulator elaborandam curet, eidem Basilicae donandam, thecam argenteam exornatam et toreumatam in qua Reliquias ipse ponet. Thecae

altitudo sit altaris amplitudini consentanea, ut nimirum conspici ab adstantibus commode possit; et basi theca sustineatur ex ligno aurato.

217. Reliquiae etiam debentur Summo Pontifici, quae in argentea theca ponentur rotundae aut ovatae figurae, argenteis floribus aut anaglyptis decorata, et vagina protecta ex serico villoso aut pretioso corio rubro, stemmate Pontificis aliisque aureis ornamentis distincto. Debentur et Card. Praefecto et Ponenti: theca et vagina sint minus exornatae et amplae. Si idem Cardinalis est Praefectus et Ponens, una dabitur theca. Debentur tandem Secretario S. C., Promotori, Sub-promotori, Substituto Secretariae, Auditori Card. Ponentis, Advocato et Procuratori: theca et vagina sint inferiores illis quas iis Emis Cardinalibus dandas diximus. Thecae autem tum istis, tum nominatis Cardinalibus offerendae, sint ex argento conflatae.

218. Litterae quae Reliquiarum authentiam testantur, a Postulatore scribuntur, et Postulationis sigillo obsignantur: et ipse Postulator eodem modo de Reliquiarum authentia testabitur quas aliis distribuet.

De Floribus factitiis.

219. Factitios flores confici curabit Postulator quos in fascem eleganter compositos serica vitta aureis floccis ornata colligatum, Summo Pontifici suo tempore, uti deinde dicemus, offeret.

220. Erit autem prudentiae Postulatoris opera quae diximus uni aut pluribus artificibus elaboranda committere. Hortamur vero ut in his omnibus quae paranda et agenda diximus et dicemus, alterius ex Postulatoribus qui iam solemnem Beatificationem procuraverint experientiam in consilium advocet.

De Basilicae ornatu.

221. Cum solemnia Beatificationis celebrantur, non totum templum Vaticanum decoratur, sed pars superior post aeneum fastigium a magnis tholi pilis, id est Aedes maxima. Clari nominis architecto rem committat Postulator; ideoque opus hoc ab ingenio et peritia totum pendet architecti, qui tamen cum Curatore templi et operum Vaticanorum *(Economo della R. Fabbrica)* et cum Canonico Basilicae qui Quaestoris Exceptorum munere fungitur *(Camerlengo degli Eccetti)* aut altero, sua conferet consilia. Nos heic generatim enumeramus quaenam in ornatu adhibeantur.

222. Imago Beati aeterna gloria fruentis, coloribus aqua dilutis depicta collocatur in fenestra ovata quae extat supra Cathedram. Diametri maioris longit. est palmor. 28, minoris palmor. 22: sed architectus accuratam ipse determinabit mensuram. Imago haec velo cooperiatur, in quo nubes depingi possunt, amovendo suo tempore, uti dicemus. Praeterea telae, eiusmodi pariter coloribus depictae, quae Miracula repraesentant adprobata ad Beatificationem, ad latera Aedis collocantur iuxta architecti consilium, cuius est earum mensuram determinare. Pingendum etiam est iisdem coloribus vexillum ad formam eorum quae a piis Sodalitiis in solemnibus Pompis deferuntur, quo repraesentetur Beatus ab Angelis ad caelum evectus, aut quid eiusmodi quod ad aeternam gloriam qua ille perfruitur referatur. Altitudo sit palmor. 50: latitudo palmor. 30. Vexillum hoc pendet ab externo maeniano quod medium est in prospectu templi, velo et ipsum cooperiendum quod suo tempore amovebitur. Supra maiorem templi portam in pronao, collocatur tela iisdem depicta coloribus, quae repraesentat alterum ex illustrioribus Beati gestis: mensuram huius telae archi-

tectus praestituet. Huic telae, vexillo, et telis quae Miracula repraesentant, apponuntur elegantes inscriptiones latinae, iis quae depicta sunt accomodatae. Aedis columnae, parastatae, arcus, corona, parietes holosericis pannis aliisque decorantur ornamentis, candelabris, pensilibus lychnuchis etc. Subtus arcus collocantur organa quorum maeniana ampliari opus erit pro numero cantorum. Laterales accessus ad arcus ligneis tabulis impediuntur, aditu tamen relicto foribus protecto a militibus Helveticae cohortis custodiendo. Pavimento ligneum stratum superimponitur quod Postulatori locat Capitulum Vaticanum; atque in eo collocantur sedes pro Emis Patribus, Praesulibus Officialibus et Consultoribus S. Congregationis, Capitulo Basilicae alumnisque Seminarii Vaticani: ac post eas sellae pro iis quos Postulator invitaverit. Pavimentum seu stratum illud ac sedes quas diximus, tapetis cooperiuntur. Duo etiam aut quatuor prope organa eriguntur suggesta pro nobilibus hominibus, Advocato, Procuratore, aliisque quos specialiter Postulator invitaverit, quibus accensendi potissime, si sint superstites, illi ad quorum favorem adprobata ad Beatificationem Miracula patrata fuere. Pavimento, seu strato illi ligneo quod diximus, lignea septa tapetis exornata adnectentur, et sic Aedes haec ab aliis separabitur. Sed inter septa tres aperiuntur aditus qui ab Helveticae cohortis militibus custodientur.

223. Horum militum manum Postulator ad ornamentum et custodiam ab eorum duce petet, ut praesto eo Beatificationis die sint mane et vespere: sed vespere minor militum numerus sufficiet.

224. Ex his iam novit Postulator, praeter architecturn, et pictores, et fabros lignarios, ferrarios, ornatores, cerae opifices, aliosque esse adhibendos. Cum omnibus his pactionem inibit antequam operi manum admoveant, ac propterea delineatam ab architecto totius ornatus

formam iis tradet ut debita statui merces possit. Ceram quod attinet, praeter cereos in Aede incendendos, alii etiam parandi sunt iuxta elenchum qui a Capitulo Vaticano Postulatori tradetur. Si Beatus in regularem Ordinem fuerit cooptatus cuius fundatoris statua extet in Basilica Vaticana, ad eam etiam statuam cerei incendendi.

225. Opifices Postulator quos ipse velit adhibebit. Sed, ornatorem quod attinet, ille adhibendus esset quo utitur Basilica. Attamen usu iam receptum est ut opus inter ornatorem Basilicae et alterum quem Postulator eliget, si placeat, dividatur. Septa vero pavimento ligneo adnectenda, a fabro lignario Basilicae componentur. Sedes pro Cardinalibus, Praesulibus, Consultoribus, Capitulo, ipsa suppeditat Basilica. Sellas autem pro iis quos Postulator invitaverit, ipse comparabit.

226. Inter opifices omnino adhibendi sunt fabri Vaticani *(Sampietrini)* qui omnibus operibus ex iure adsunt, ac praecipue depictas telas, et vexillum, et cereos collocant, velum ab Imagine Beati et a vexillo suo tempore removent, ligneas turres artificibus suppeditant, cereos incendunt et extinguunt; demum nihil sine iis fieri potest. Quamobrem oportet cum eorum magistro pactionem inire de mercede retribuenda pro iis quae agenda ab ipsis sunt.

227. Pactiones omnes quas memoravimus scripto consignentur.

228. Sed et alia ineunda pactio est. Exceptis pannis holosericis, aulaeis ac tapetis quae ad ornatorem pertinent, et depicta tela quae supra maiorem templi ianuam in pronao collocatur; reliqua omnia ornatus, postquam Postulator cereos incendi iusserit, propria fiunt Capituli Vaticani: haec inter etiam pensiles lampades cristallinae, si adhibeantur. Quapropter Postulator cum Canonico Quaestore Exceptorum de iis lampadibus redimen-

dis in antecessum conveniat oportet. Sed et de aliis etiam redimendis conveniet, si placeat, quibus uti facile possit cum sacra Triduana ad Beati honorem celebrabit.

229. De musica pro Sacro solemni conveniet cum Magistro coetus cantorum a Julio Pontifice instituti *(Cappella Giulia)*: sed alii etiam praeter eos cantores vocandi sunt. Extant iam a celeberrimis phonascis editi concentus pro eiusmodi Sacris, quos inter memorare iuvat cl. me. equitem *Raimondi*. Delectus ad Postulatorem pertinet.

230. Postulatoris etiam est aliquem ex Canonicis Basilicae Vaticanae qui episcopali charactere sit insignitus exorare ut Sacrum solemne peragat; ad quem deinde, grati animi ergo, saccarum, fabas arabicas ac cereos mittet iuxta consuetudinem.

231. Praeter impensas ad haec omnia quae diximus necessaria, aliae quoque et mercedes et strenae solvendae sunt a Postulatore, quarum elenchus vel typis impressus, vel manu tenus exaratus ei dabitur.

232. Ut facile qui invitati sunt accedere possint, Postulator schedas typis edendas curabit quibus dies et hora solemnitatis indicentur, ac simul aditus per quas ingrediantur: aditus nempe eos quos superius diximus n. 222. In suggestis mares cum feminis adstare possunt: reliquos quod attinet, maribus locus a feminis seiunctus destinetur. Nigram nobilemque omnes induant vestem, ac feminae caput nigro velo operiant: de quo per schedas illas moneantur. Lectos etiam viros laicos advocet Postulator qui invitatorum admissioni advigilent. Innumerae illi fient pro eiusmodi schedis habendis petitiones: quum vero plurimis ipse distinebitur occupationibus in Basilica Vaticana, aliquem constituat qui schedas illas prudenter petentibus, non tamen in templo, distribuat. *Prudenter* dicimus, ne scilicet indignis dentur aut tam multis quos locus capere non possit.

233. Quibus ex Consultoribus S. R. Congregationis currus suppeditat Postulator cum comitia Antepraeparatoria et alia habentur, iisdem et in eundem modum suppeditabit in hac solemnitate tum pro accessu, tum pro regressu.

234. A Capitulo Vaticano cubiculum ad Postulatoris usum destinatur in quo ipse Vitae Beati exemplaria et imagines distribuendas, aliaque reponat; cubiculique claves ipsi tradit. Ad haec distribuenda aut sodales suos, si coenobita sit, aut ecclesiasticos et etiam lectos laicos viros designabit. Verum Cardinalibus, Consultoribus, Capitulo, iis demum qui in subselliario sedent, per ecclesiasticos distribuentur. Sed ea die Postulator etiam in subselliario sedet: quapropter virum aliquem pro se substituat qui solerter et perite omnia dirigat. Nunc dicemus.

De die solemnitatis.

235. Hac die Postulator mature Basilicam Vaticanam adibit cum suis adiutoribus, quos pro munere unicuique eorum tributo disponet. Diximus cereos ad iussum Postulatoris accendi; sed hoc committat magistro fabrorum Vaticanorum qui pro peritia sua quantum ad incendendum temporis necessarium sit apprime novit. Cavendum vero ne invitati Aedem ingrediantur antequam scalae quibus fabri ad cereos incendendos utuntur fuerint remotae, ut infortunium omne vitetur quod facile ex multitudinis Aedem ingredientis impetu evenire potest. Ac fabri id maxime, et merito, precantur.

236. Postulator in Sacrario Basilicae advenientes Patres Cardinales et Consultores obsequetur.

237. Praestituta hora Card. Praefectus, ceterique Cardinales S. C., Praesules Officiales et Consultores a Sacrario ordinatim ad Aedem se conferunt ac in paratis sedibus

considet; deinde elata Cruce illuc procedit Clerus Vaticanus, ac tandem qui Sacrum peracturus est cum Emo Basilicae Archipresbytero et Postulatore, qui considet postremus in subselliario Canonicorum: si vero vir laicus sit, apud Canonicos in sede apposite parata. Cum omnes sederint, Secretarius S. Rituum Congregationis cum duobus caeremoniarum Magistris Basilicae, accedit ad latus Cardinalis Praefecti. Tunc Postulator et ipse accedet, et coram Card. Praefecto stabit, ac manu gestans *Breve originale* Beatificationis, eum pro tota Congregatione exorabit ut Breve, quod interim exhibebit, *recipiat et admittat, ac in Basilica publicari, et iuxta illius formam ac S. Romanae Ecclesiae ritum solemnia Beatificationis Ven. Servi Dei N. celebrari, aliaque omnia et singula necessaria et opportuna ex dispositione Brevis fieri iubeat ad maiorem Dei eiusque Servi N. gloriam* etc. Cardinalis Praefectus postquam Breve integrum et illaesum esse cognoverit, Postulatoris precibus annuit, et quae ille petiit fieri iubet. Postulator gratias agit et ad locum suum redit, sed Card. Praefectus Breve tradit Secretario S. C. ut illud ad Cardinalem Basilicae Archipresbyterum deferat, eumque certiorem faciat de Postulatoris petitione ac de iussu S. Congregationis. Emus Archipresbyter Breve a Secretario accipit, ac per alterum ex iis caeremoniarum Magistris, *Mansionario Archivistae* Basilicae, aut alteri tradi iubet, ut coram omnibus statim illud perlegat.

238. Mansionarius suggestum ascendit et elata voce Breve perlegit: prope suggestum adest Cancellarius S. C. prae manibus habens transumptum *Brevis* authenticum, idest, typis impressum et sigillo Cardinalis Praefecti et subscriptione Secretarii S. C. obsignatum. Cancellarii munus etiam est solemnitatem et omnia eius adiuncta describere.

239. Brevi perlecto, surgunt omnes, et canitur hymnus *Te Deum;* et simul ac inceptus cantus fuerit, amovetur velum ab imagine Beati in fenestra supra Cathedram posita, a vexillo quod ab externo maeniano pendet, et a Reliquiis, quae huc usque obtectae erant; pulsantur campanae, tonitrua ab Arce fiunt, et prope Basilicam a balystariis Helveticae cohortis. Hymno absoluto, canitur versiculus — *Ora pro nobis Beate N. ut digni efficiamur* etc. et qui Sacrum facturus est recitat *Orationem propriam* Beati, eiusque Reliquiis thuris honorem tribuit. His expletis Sacrum solemne inchoatur. Postquam Sacrum agens hymnum — *Gloria in excelsis Deo* — praecinuerit, distribuuntur exemplaria Vitae Beati et imagines. Distribuuntur vero primo Cardinalibus S. C. eodemque tempore Cardinali Archipresbytero Basilicae; deinde, eodem tempore, Praesulibus Officialibus et Consultoribus S. C. et Canonicis Vaticanis ac Postulatori: postea Beneficiariis, Clericis Beneficiariis etc. et Cardinalium Caudatariis: tandem Seminarii Vaticani alumnis, quibus datur exemplar Vitae charta colorata obtectum et imago mediocris formae. Exemplaria Vitae et imagines in patinis argenteis, si fieri poterit, offeruntur. Distributio haec ex lege est. Postulator pro sua prudentia videbit utrum etiam invitatis distribui possint quin strepitus fiat, an potius sit ea illis privatim vel domi suae dare vel eorum domum mittere: quod si hoc aiterum fiet, meminerit decens esse ut et nobilibus Aulicis Cardinalium S. C. dentur.

240. Haec antemeridianis horis fiunt: pomeridianis, antequam vespertini psalmi a Capitulo canantur, accedit ad Beatum venerandum Summus Pontifex cum omnibus Patribus Cardinalibus et suis Aulicis. Itaque Postulator opportuna hora ad Basilicam cum suis adiutoribus redibit, et omnia ad rem disponet. Alter ex adiutoribus Vitae exemplar cum imaginibus in argentea patina ge-

stabit; alter thecam Reliquiarum cum vagina aperta; alter florum fascem. Cum Pontifex precari inceperit, Postulator ad eum ibit cum suis adiutoribus, ac primum thecam Reliquiarum offeret; deinde reliqua. Hac peracta oblatione Postulator recedet, et alii adiutores distribuent Cardinalibus, Aulicis, Caudatariis Vitam et imagines iuxta distinctionem de qua supra diximus nn. 205. 206.

241. Cum Pontifex discedet, Postulator cum Aulicis eum sequetur, ac per Praesulem ab Admissionibus *Audientiam* impetrabit ut de Beatificatione gratias agat.

242. Posteris diebus Postulator expensas solvet et strenas, et Vitae exemplaria, et imagines distribuet ad normam elenchorum qui ei tradentur.

243. Lectiones deinde *proprias* in Officio recitandas S. Congregationis adprobationi proponet.

244. Triduana sacra etiam solemniter celebrantur in honorem Novensilis Beati, prouti diximus n. 203 in ecclesia in qua vel eius corpus quiescit, vel specialiter veneratur. Ne plus quam decet Solemnia haec retardentur, quorum pompam Postulator pro suo arbitrio moderabitur, dummodo tamen omnia decore fiant, et praescripti ritus serventur. Ad laudes Beati dicendas, clari nominis Oratores invitabit.

245. Non licet in honorem Beati Sacellum erigere, sed tantum in altare ad honorem Sancti cuiuspiam aedificati Beati imaginem *amovibilem*, ut aiunt, collocare. At cum illa Triduana sacra celebrantur, licet Beati effigiem, iuxta ritum depictam, idest absque aureola, supra Aram maximam extollere, quae, Solemnibus expletis, removebitur.

Caput II.

De Solemniis Canonizationis.

246. Cum ingentibus sumptibus opus sit ad solemnia Canonizationis, idcirco non unius sed plurium Beatorum Canonizatio simul celebratur. Et sane, tota Basilica Vaticana decoranda est, et omnia multo splendidius quam in Beatificatione aguntur.

247. Quamquam vero Summus Pontifex solemni Decreto pronunciaverit *tuto procedi posse ad Canonizationem*, tamen antequam ad eam veniat, et publicas precationes indicit certis in ecclesiis, quas ipsemet precabundus adire solet, et plura habet Consistoria. Cum vero eam celebrare statuerit, *Commissionem* deputat cuius consilio et iussu ornatus Basilicae et reliqua omnia disponuntur. Quapropter non heic quae Postulatori agenda sunt describemus, etenim ab ea Commissione accipiet, sed monemus novam scribendam esse Vitam, novas imprimendas et pingendas imagines, quae multo pluribus quam in Beatificatione dari debent; sacras esse parandas supellectiles auro contextas, aliaque dona, quae inter, dona mystica inter *Missarum solemnia* offerenda, idest cereos auratos, panes, cados auro et argento decoratos vini plenos, turtures, columbas, aves. Vexillum quoque affabre pingendum, in Pompa, die quo Ritus celebratur, portandum.

248. Pompa ducitur ex Aedibus pontificiis in templum Vaticanum a Clero saeculari et regulari, prosequente cum Patribus Cardinalibus Summo Pontifice Sacrum solemne post Canonizationem acturo. Intersunt cum Postulatore Advocatus et Procurator qui Causam propugnarunt, et Ritui adstant e designato loco.

249. Tandem sacrum Novendiale splendore et decore magno Postulator in templo Ordinis ad quem Canonizatus

pertinuit, aut in alio in quo deceat, celebrandum curabit. Aliquando a Summo Pontifice, propter peculiaria adiuncta, concessum fuit ut pro Novendialibus, Triduana sacra celebrari possent.

250. Vexillum diximus pingendum in Pompa portandum. Hoc autem si Commissio rebus ordinandis praeposita indulgeat; nam ex antiqua norma duo essent pingenda vexilla, alterum in Basilica Vaticana asservandum, alterum, Canonizatione peracta, Postulatori, aut Sodalibus Canonizati aut eius civibus etc. solemni ritu a Capitulo Vaticano tradendum, ad templum in quo Novendiale celebretur portandum. Pro solemni Canonizatione Martyrum Gorcomiensium et Iaponensium, unum depictum et portatum fuit vexillum, quod deinde Postulatores a Capitulo Vaticano recuperarunt ac sine Pompa ad templum sui Ordinis detulerunt.

251. *Lectiones* etiam in Officio recitandas *proprias* S. R. C. adprobationi Postulator proponet, et Sacellum S. Caelitis honori, si suppetant opes, aedificabit.

252. Nec plura de solemniis Canonizationis, nam praeterquamquod de iis accurate scripsit Benedictus XIV Lib. I cap. XXXVI, quae Postulatori sint paranda, et a Commissione quam diximus, et ab iis qui sunt a ceremoniis pontificiis, et per *Instructiones*, vel scripto vel typis consignatas, vel verbo tradendas, Postulator dignoscet.

253. Faxit nunc Deus ut solemnibus hisce sanctissimisque Ritibus quos descripsimus, nostri oculi, multoque magis animi delectari quamprimum possint.

Finis Vol. I.

INDEX

EORUM QUAE IN HOC I VOLUMINE PERTRACTANTUR

DEDICATIO. . . . . pag. v
PRAEFATIO . . . . . » VII
CODICIS PARTITIO. . . . . » 1
TITULUS I. DE CAUSIS CONFESSORUM PROCEDENTIBUS PER VIAM NON CULTUS. . . . . » 3
CAPUT I. *De Iudicio super Introductione Causae, scriptis, et de Processu ne pereant probationes* . . . . . » 3
CAPUT II. *De Iudicio super Non cultu* . . . . » 37
CAPUT III. *De Iudicio super Fama in genere* . . » 42
CAPUT IV. *De Iudicio super Validitate Processuum.* » 46
CAPUT V. *De Iudicio super Virtutibus* . . . . » 48
CAPUT VI. *De Iudicio super Miraculis* . . . . » 59
CAPUT VII. *De Iudicio super Tuto, seu an tuto procedi possit ad Beatificationem* . » 64
TITULUS II. DE CAUSIS MARTYRUM QUAE PROCEDUNT PER VIAM NON CULTUS. . . . . » 65
TITULUS III. DE CAUSIS TUM CONFESSORUM TUM MARTYRUM PROCEDENTIBUS PER VIAM CASUS EXCEPTI . . . . . » 69
TITULUS IV. DE CAUSIS QUAE ANTE URBANIANA DECRETA IAM FUERANT INTRODUCTAE. . » 73
TITULUS V. DE CAUSIS PROCEDENTIBUS AD CANONIZATIONEM. . . . . » 75
TITULUS VI. DE SOLEMNIIS BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS. . . . . » 79

Caput I. *De Solemniis Beatificationis* . . . . . pag. 79
De Brevi Beatificationis, n. 182 et seq. . . » 79
De exhumatione corporis Beati, n. 184 et seqq. . . . . . » 80
De iis quae distribuenda sunt, n. 194. . » 82
De Imagine graphio delineata . . . . » 82
De Vita . . . . . » 84
De Imagine depicta . . . . . » 86
De Reliquiis . . . . . » 86
De Floribus factitiis . . . . . » 87
De Basilicae ornatu . . . . . » 88
De die solemnitatis . . . . . » 92
Quae deinde agenda, n. 244 et seq. . . » 95
Caput II. *De Solemniis Canonizationis* . . . . . » 96

CODEX

PRO POSTULATORIBUS

CAUSARUM

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

CODEX

PRO POSTULATORIBUS

CAUSARUM BEATIFICATIONIS

ET

CANONIZATIONIS

IN II VOLUMINA DIGESTUM

—

VOLUMEN II.

—

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA EDITRICE ROMANA

—

A. MDCCCLXXIX

APPENDICES

AD

CODICEM

PRO POSTULATORIBUS

CAUSARUM BEATIFICATIONIS

ET

CANONIZATIONIS

MONITA GENERALIA

PRO

Constructione Processuum

In Processibus qui construuntur pro Causis Beatificationis Servorum Dei, et Beatorum Canonizationis, plures intersint oportet, qui diversis fungantur officiis : idest Causae Postulator; Iudices; Promotor Fiscalis vel Subpromotores; Notarii; Nuncii; Testes; Amanuenses; Portitor. Ne saepius in Appendicibus quae sequuntur eadem repetantur, opportunum est separatim de unoquoque nunc dicere.

I.

De Postulatoribus

Postulator vel est generaliter ad omnes Causas Beatificationis et Canonizationis alicuius Ordinis deputatus, et dicitur *Postulator Generalis ;* vel est specialiter ad certam Causam constitutus, et dicitur simpliciter *Postulator ;* vel est a Postulatore in sui vicem deputatus, et dicitur *Vice-Postulator.* Hi omnes ut legaliter agere

possint, Mandato Procurationis muniantur necesse est: iis autem utuntur facultatibus quae per idem Procurationis Mandatum tribuuntur : sed Postulatoribus tribui solent amplissimae, addita etiam facultate alios substituendi, scilicet deputandi Vice-Postulatores.

Postulatores Generales Ordinum aut Societatum Regularium, constituuntur vel a Praeside vel a Procuratore Generali Ordinis, vel a *Definitorio*, prouti eius Ordinis legibus statutum est. Ponitur hic exemplar formulae Mandati Procurationis quo Postulator Generalis deputatur, quae adhiberi potest *mutatis mutandis.*

P. N. N. *(Dignitas ac munus heic scribitur mandantis)*

« Dilecto nobis in Christo Patri N. N. *(heic pariter*
« *nomen et tituli honoris scribuntur mandatarii).*

« Ne praecipuas nostri muneris partes negligere vi-
« deamur, oportet sane, ut pastoralis vigilantiae solli-
« citudo, ac nostra quaeque studia et officia propensius
« ad ea ferantur, quae in majorem Dei gloriam, S. R.
« Ecclesiae exaltationem , et nostri Instituti decorem
« cedere vel conferre animadvertimus. Cum autem di-
« vinae munificentiae praepotens spiritus speciali quo-
« dam illapsu suscitet frequenter de humilitatis pulvere
« egenos Ordinis nostri, ut collocet eos cum Principibus
« populi sui in spendoribus scilicet Sanctorum postquam
« dies peregrinationis virtutibus ac meritis pleni mi-
« rabiliter transegerunt, plurimum interest, ut sicuti
« in Servis suis honoratur Deus, ita Ecclesiae militanti
« eorum sanctimoniae splendor quasi super candelabrum
« eluceat, atque in Ordine nostro charismata meliora
« priorum exemplo proposita aemulentur omnes, quot-
« quot ad vitam aeternam sunt praeordinati. Quare
« Nos obsequium Deo et proximis praestare cogitantes,
« Causas Beatificationis seu Canonizationis Venerabi-

« lium Fratrum et Sororum Instituti nostri quampri-
« mum in Romana Curia examinari, ac promoveri
« respective concupiscimus adhibito ministerio idonei,
« periti, ac prudentis Viri, qui vices nostras totiusque
« Religionis gerat, prout rerum status ipsarumque Cau-
« sarum merita postulaverint. Itaque Te doctrina, a-
« ptitudine, solertia, integritate prae coeteris probatum,
« omnium praefatarum Causarum, ad Provincias omnes
« Nostrae Familiae pertinentium, Actorem, Procurato-
« rem et Sollicitatorem Generalem ac pro unaquaque
« specialem instituimus, nominamus, et declaramus,
« quatenus nomine nostro ac Religionis apud S. Sedem
« Apostolicam vel SS. Rituum Congregationem, aut alios
« quoscumque Iudices competentes, sive Ordinarios,
« sive ab Apostolica Sede delegatos, prout opus fuerit,
« actitare, procurare, et sollicitare valeas, cum omnibus
« et singulis facultatibus necessariis et opportunis ad
« munus hoc Postulatoris Generalis exercendum, etiamsi
« specialis mentionis indigerent, quas heic pro expressis
« haberi volumus; adiecta facultate nedum sumendi
« socium tibi bene visum, simulque fruendi omnibus
« praerogativis et privilegiis, quibus de jure vel con-
« suetudine ejusmodi Procuratores gaudere solent, verum
« etiam substituendi, si oportuerit, ad praemissa omnia
« unum vel plures Procuratores cum simili vel limitata
« potestate, nec non aliis quibuscumque necessariis et
« opportunis clausulis ad id requisitis. Praecipientes
« denique in virtute sanctae obedientiae omnibus et
« singulis Religiosis tam subditis quam superioribus
« curae nostrae concreditis ne sub ullo quaesito colore
« vel praetextu Te in assumpti muneris pia ac sedula
« exequutione impedire vel retardare praesumant; sed

« potius charitatis officiis adiuvent, et prosequantur, « quemadmodum in Domino optamus.

« Vale, Deumque pro Nobis jugiter exorare memento.

« Datum..... die..... mense..... anno.... N. N.

« De mandato Rmi in Christo Patris

« P. N... Ordinis N. A Secretis. »

Postulator specialiter, idest ad certam Causam constitutus, Mandatum accipit ab eo vel iis qui sua cura et impensa Causam promovendam susceperunt, sive privati homines sint, sive coetus aliquis ex. gr. sacerdotum, pium sodalitium aut eiusmodi, in quod Dei Servus, dum viveret, fuerat cooptatus. Haec esse poterit Mandati formula:

« Cum in urbe... dioeceseos... die... obierit N. N. qui « in nostrum Coetum cooptatus die... sodalibus cunctis « eximia praebuit virtutum exempla, ac civium om- « nium propter pietatem suam admirationem excitavit, « ita ut maxima pervagetur de ejus vitae sanctimonia « fama; et cum feratur pluries Deus Optimus Maximus « signis ostendisse acceptam sibi atque apud se effica- « cem esse intercessionem huius Servi sui: opportunum « Nobis visum est curare ut apud Apostolicam Sedem « Causa Beatificationis et Canonizationis sodalis huius « nostri promoveatur ad maiorem Dei gloriam, Eccle- « siae Sanctae honorem, nostrique Coetus exemplum, « quo sodales magis magisque ad pietatem, ac virtu- « tem excitentur. Quoniam vero ad Causam hanc pro- « movendam, Actore seu Postulatore opus est, hinc « Nos N. N. Te N. N. de cuius idoneitate, integritate « ac vigilantia plurima novimus argumenta, per prae- « sentes Litteras in certum atque legitimum Actorem, « sive Procuratorem ac Postulatorem Causae Beatifica- « tionis et Canonizationis praefati Servi Dei N. eligi-

« mus, constituimus et deputamus, cum ampla et ple-
« nissima potestate nomine eiusdem nostri Coetus com-
« parendi, instandi, agendi apud Apostolicam Sedem vel
« Sacrorum Rituum Congregationem, et quoscumque
« Iudices competentes ad effectum incipiendi et prose-
« quendi hanc praefati Servi Dei N. Causam usque ad
« Beatificationem et etiam Canonizationem; qua de re
« Tibi N. N. tribuimus facultates omnes necessarias et
« opportunas ut munus hoc Postulatoris quod Tibi
« conferimus, rite, recte, libere exercere valeas, etiamis
« tales forent quae speciali mentione indigerent, quas
« hic pro expressis et specificatis omnino haberi et
« intelligi volumus, et praesertim jurandi de calumnia
« et aliud quodcumque licitum et honestum juramen-
« tum, etiam in animam nostram eliciendi: facultatem
« etiam tribuimus unum aut plures Vice–Postulatores
« substituendi cum his omnibus aut limitatis facultatibus
« prout Tibi videbitur, eosque revocandi ubi et qua-
« tenus opus fuerit; eleemosynas colligendi ad Causae
« impensas sustinendas, omnemque pecuniam pro Causa
« comparatam administrandi; promittentes habituros nos
« gratum, ratum, validum atque firmum quidquid a Te
« agi, fieri, geri contigerit in toto decursu Causae
« praedicti Servi Dei N. usque ad eiusdem comple–
« mentum. Idcirco in horum fidem has Tibi Litteras
« a Nobis constituentibus subscriptas dedimus... etc. »

Notum est facultates has omnes posse limitari a mandante: posse, ex. gr. mandantem sibi reservare administrationem pecuniae, deputationem Vice–Postulatorum etc.

Si Causa agenda sit de Serva Dei quae Monialis fuerit, Mandatum Procurationis dabitur ab ipso Monasterio, sive ab Antistita, sive a Monialibus *capitulariter* con-

gregatis, sive a praeside ecclesiastico, prouti feret Momasterii illius usus aut constitutiones. Quando a praeside vel ab Antistita dabitur, eadem esse poterit formula ac ea nuper allata, mutatis videlicet mutandis. Si vero usus aut constitutiones ferant ut Mandatum Procurationis detur a Monialibus capitulariter congregatis, convocandum est Capitulum, idest Moniales quae jus habent suffragium ferendi, et per Cancellarium Curiae episcopalis, adstante, vel consentiente Episcopo, Mandati formula scribetur, cujus exemplum heic affertur.

« In Nomine Domini Amen. Notum sit omnibus quod « hoc publico procurationis instrumento anno Domini « Millesimo Octingentesimo... Indictione Romana... die... « mense... Pontificatus... anno... Coram me Notario, « Cancellario Episcopali, ac infrascriptis testibus ido- « neis juxta legem, vocatis atque rogatis, in aula Ca- « pitulari Venerabilis Monasterii... congregatae sunt « capitulariter subscriptae Rev. Sorores mihi cognitae « legitimum Capitulum constituentes, quae declararunt « die... decessisse cum fama sanctitatis Sororem N. N. « eiusdem Monasterii Monialem professam, ac vulga- « tum esse ad eius invocatam intercessionem gratias « a Deo O. M. fuisse petentibus concessas et prodigia « patrata: tum etiam desiderium excitatum fuisse pro- « movendi apud S. Rituum Congregationem eiusdem « defunctae Sororis N. N. Causam Beatificationis. Ut « igitur huic desiderio satisfacerent, ipsae Moniales « statuerunt Causam eiusmodi promovendam suscipere « et usque ad Beatificationem et Canonizationem, si « Deo placuerit, prosequi. Cum vero necessarium sit, ut « Monasterium legitimum huius Causae Procuratorem « sive Postulatorem constituat, qui omnia acta neces-

« saria et opportuna peragat apud Sacram Rituum Con-
« gregationem, vel apud Ordinarios locorum, sive sua
« agant auctoritate, sive ab Apostolica Sede delegata:
« ita ipsae RR. MM. congregatae sunt ad effectum eligen-
« di hunc Postulatorem. Quapropter Rma Antistita N. N.
« proposuit munus hoc Postulatoris sive Procuratoris hu-
« ius Causae Beatificationis et Canonizationis praedictae
« S. D. N. N. conferri N. N. *(heic nomen et dignitas electi*
« *describitur)* de cuius pietate, solertia, idoneitate plu-
« rimum in Domino confidit: cui N .N. facultas plenissima
« tribuatur agendi nomine totius Monasterii quidquid
« necessarium atque opportunum erit ad Causam ipsam
« inchoandam, prosequendam, ac ad felicem exitum per-
« ducendam; scilicet comparendi, instandi apud S. R.
« Congregationem et quoscumque Ordinarios et Iudices
« locorum etiam a S. Sede delegatos; dandi operam
« constructioni Processuum sive Ordinariorum sive Apo-
« stolicorum; supplices libellos exhibendi; testes ido-
« neos inducendi; quodcumque licitum ac honestum
« juramentum in Causa et pro Causa praestandi, et
« illud quoque quod dicitur *de calumnia*, et in animam
« mandantis; ac demum ea omnia et singula agendi
« quae non modo necessaria, sed etiam opportuna et
« utilia sint eidem Causae, et quae fieri solent ab
« aliis legitimis Postulatoribus Causarum Beatificationis
« et Canonizationis, incipiendo ab actis praeparatoriis
« usque ad ipsorum complementum, etiamsi speciali
« mentione indigerent: cum facultate etiam delegandi
« tum Romae, tum in aliis locis unum aut plures
« idoneos Vice-Postulatores, cui vel quibus has easdem,
« aut minores, prouti sibi videbitur, facultates tribuere
« possit: addita promissione ex parte constituentium
« sive mandantium, se ratum ac validum habituras

« quidquid nominatus N. N. in exercitio sui Postulatoris « muneris iuxta praesens mandatum acturus erit.

« Hanc propositionem Rmae Antistitae cum audierint « omnes congregatae Sorores, ad suffragium ferendum « devenerunt: suffragiis autem datis et collectis, pro- « positio illa Antistitae accepta cunctis ac probata est: « ac proinde in Postulatorem Causae Beatificationis « Servae Dei N. electus ac deputatus est N. N. cum « omnibus supra expositis facultatibus, et Moniales « omnes mandatum ac singulas facultates, promissio- « nesque de ratihabendo confirmantes subscripserunt « prout sequitur.

« 1. N. N. Abbatissa.

« 2. Sor. NN.

« N. N. Testis vocatus.

« N. N. Testis vocatus.

« Super quibus omnibus et singulis legitime factis, « ego Notarius et Cancellarius Episcopalis annuente « Illmo ac Rmo D. Episcopo N. publicum hoc instru- « mentum confeci et publicavi in forma de mandato « dictarum Monialium. Ideo in fidem heic subscripsi, « meumque solitum Notariatus signum apposui.

« Actum in Venerabili Monasterio N. N. apud N. in « aula Capitulari dicti Monasterii, praesentibus do- « minis N. N. testibus ut supra vocatis atque rogatis.

« Ita est N. N. Notarius et Cancellarius Episcopalis.

✠ Notarii sigillum.

Absoluto hoc acto, Episcopus autenthicum declarabit Cancellarii rogitum in hunc ferme modum:

« N. N. Dei Gratia ac Apostolicae Sedis Episcopus « N. etc.

« Omnibus et singulis ad quos haec nostrae literae « pervenient fidem perhibemus supradictum D. N. N.

« esse nostrae Curiae Episcopalis Notarium et Cancel-
« larium ac semper tam a Nobis quam ab aliis ple-
« nam ed indubiam praestitam fuisse et adhuc perhi-
« beri fidem omnibus attestationibus et subscriptionibus
« eius ac similibus, tam in iudicio quam extra. In
« quorum fidem etc.

« Datum... die... mense... anno.

N. N. Episcopus.

✠ Signum Episcopi.

Si autem eiusmodi Monialium actum ut validum sit Episcopi confirmatione indigeat, tum Cancellarii subscriptionem ac obsignationem sequetur Episcopi confirmatio quae his poterit exprimi verbis:

« N. N. Dei Gratia ac Apostolicae Sedis Episcopus
« N. etc.

« Actum Monialium Monasterii N. N. quo elegerunt
« ac deputarunt Dominum N. N. Postulatorem Causae
« Beatificationis et Canonizationis Servae Dei N. N.
« eique Postulatori facultates tribuerunt prouti constat
« ex Instrumento quod confecit in forma N. N. No-
« tarius et Cancellarius nostrae Curiae Episcopalis, nos
« auctoritate nostra plenissime confirmamus ita ut
« D. N. N. ab omnibus habeatur Postulator praefatae
« Causae legitime electus ac deputatus, atque omnibus
« in huius muneris exercitio uti possit facultatibus
« quas Moniales mandantes, prouti legitur in dicto In-
« strumento, eidem tribuerunt.

« Datum... die... mense... anno.

N. N. Episcopus.

✠ Sigillum Episcopi.

Haec de Monasteriis quae Episcoporum auctoritate reguntur; quod si subiacent Ordini religioso, non eli-

gunt Postulatorem si ex Constitutionum suarum praescripto hoc munere pro iis fungi debeat Postulator Generalis eius Ordinis: si autem secus, eligunt, aut saltem eligere possunt eodem modo ac caetera Monasteria annuente et probante Episcopo, uti supra.

Postulatoribus tum Generalibus, tum ad certam Causam specialiter constitutis, facultas tribuitur, uti jam dictum est, substituendi unum aut plures Vice-Postulatores: hoc si fiat a Postulatore certae Causae, dicitur hic Postulator *principalis*. Vice-Postulatores Mandatum Procurationis et ipsi accipiunt a Postulatoribus constituentibus, cuius Mandati superfluum est exemplum afferre, cum idem esse possit ac pro Postulatore certae Causae, facta vero mentione facultatis qua Postulator ipse praeditus fuit Vice–Postulatores deputandi.

Quoties in hisce *Monitis* et in *Instructionibus* pro Processibus rite conficiendis nominabitur Postulator, is intelligatur qui Processui construendo dat operam, sive Generalis sit, sive specialiter ad Causam constitutus, sive Vice-Postulator.

Itaque Postulator, cum in promptu habeat Articulos et testes inducendos, si de Processu Ordinario res sit (1); si vero de Processu Apostolico, Litteras S. Congregationis quae dicuntur Remissoriales in quibus Articuli et Interrogatoria continentur, Litteras Promotoris Fidei et testes; Ordinarium loci ubi Processus conficiendus est adibit, sese Postulatorem Causae per le-

(1) De Articulis jam dictum est in I. vol. Codicis, neque dicta heic repetuntur; vel enim agit Vice-Postulator, vel Postulator. Si Postulator, ea omnia sciat oportet quae in I vol. habentur: si Vice-Postulator, is a Postulatore Articulos jam digestos et scriptos accipiet.

gitimum Procurationis Mandatum demonstrabit, et cum eo privatim de Judicibus aliisque eligendis ad Processum condendum aget. Quod si Promotorem Fiscalem Ordinarius non habeat, uti nunc fit in nonnullis dioecesibus, ante omnia curet Postulator ut eiusmodi Magistratus eligatur ac nominetur: fieri enim Processus nequeunt sine Promotore Fiscali. Eligi autem ac nominari debet antequam eligantur Judices aliique;quando enim isti eligentur, jam Curia Promotorem Fiscalem habeat necesse est. Ordinarium vero enixe precetur ut eos eligat qui haud multis detineantur curis, ne Processus constructio ad longum tempus producatur.

In Processu Apostolico, ut eius acta valida sint, ex Litterarum Remissorialium praescripto adesse singulis Sessionibus debent, Judices quod attinet, vel Episcopus cum suo Vicario Generali, vel Vicarius Generalis cum duobus Judicibus, vel quatuor Judices *simul semper et conjunctim:* Judices vero aut Canonici aut Dignitates sint oportet cathedralis ecclesiae.

At praescriptum hoc servari aliquando vel minime vel difficulter admodum potest, sive quod inter Canonicos aut Dignitates qui munere Judicum fungi valeant non reperiantur, cum aut senes sint, aut pro dioecesi aliis vacent officiis, ut Processui vacare nequeant sive aliam ob causam. Tum solers Postulator a Summo Pontifice impetrandum curet Decretum quo vel numerus Judicum qui definitus fuit per Litt. Remiss. minuatur, vel munus illud conferri etiam possit viris ecclesiasticis etsi neque Canonici neque Dignitates sint, neque titulis academicis insigniti; vel etiam ut augeatur ipsorum Judicum numerus, quo fiet ut facilius quatuor ex iis Sessionibus adstare possint. Eiusmodi gratias aliquando S. Sedes indulsit, atque adeo indulsit etiam, cum Judicum nu-

merum auxit, ut munus hoc conferri posset alicui viro ecclesiastico Regulari.

Postquam Postulator ea cum Episcopo disposuerit, supplicem libellum *formaliter* scriptum ipsi exhibebit quo eum rogabit ut Processum inchoare velit ac Judices aliosque eligere. Episcopus Rescriptum edet pro electione Judicum aliorumque, seu pro *constitutione tribunalis*. Formula supplicis libelli ac Rescripti extat in Appendicibus seu Instructionibus ad conficiendos rite Processus, eaque varia est pro varietate Processum,, nam, ut de Rescripto loquamur, in Processibus Ordinariis Episcopus Rescriptum edit quo et Judices et alios ipse nominat, eosque per suum Cancellarium moneri jubet de die qua convenire debent ad munus acceptandum etc. citato Promotore Fiscali suae Curiae. Sed in Processibus Apostolicis, Episcopus suo Rescripto jubei citari Promotorem Fiscalem ut statuta die accedat ad videndum Litteras Remissoriales aperiri et perlegi, munus a Judicibus a se electis acceptari,aliaque fieri etc. uti habetur pag 241.

Cum vero, uti supra dictum est, Episcopus instante Postulatore jam privatim viros designaverit eligendos; idcirco, ut citius res expediatur, Postulator ipse Judices aliosque eligendos monebit ut statuta illa die accedant ad aedes episcopales, ut vix fuerint formaliter ab Episcopo electi, statim adesse possint, ne Sessionum numerus augeatur.

Quae vero in singulis Sessionibus tum a Postulatore, tum ab aliis agenda sunt, ex ipsis Appendicibus seu Instructionibus percipientur: scilicet, quidquid in iis formulis prouti factum a Postulatore aliisque dicitur, id a se faciendum esse omnes sciant. Postulator autem diligenter caveat ne quid praeter aut contra eas Instructiones fiat, ut validitas Processus in discrimen

non adducatur. Sed Instructiones illae ordinarium praebent agendi modum; at plura alia sunt quae vel fieri debent a Postulatore aliisque, vel evenire possunt in Processus decursu, quae Instructiones neque praevident, neque docent. Itaque de his dicendum; ac primum de iis quae Postulatoris sunt, quoniam de Postulatore heic est sermo.

Ad Postulatorem pertinet omnia apparare quae scriptioni Processus necessaria sunt, idest chartam, calamos, atramentarium, ceram rubram vulgo hispanicam, lumina et hujusmodi. Schedulas etiam typis imprimendas, si velit, curabit, quibus Iudices, testes, aliique moneantur de die qua Sessio habebitur.

Schedula continebit titulum Causae, nomen Servi Dei aut Venerabilis, diem ac locum quo Sessio est habenda, cuiusmodi sit Processus, nomen ejus qui monetur ut adsit. Exemplo sit:

« Romana seu Setina
Beatificationis et Canonizationis
Ven. Caroli a Setia
Laici Professi Ordinis Minorum Reformatorum
S. Francisci.

Die... mense... anno... hora... in... (indicatur locus) erit Sessio Processus Apostolici super virtutibus et miraculis in specie praefati Ven. Servi Dei. Ideo etc. »

Ad calcem vel retro scribitur nomen ejus ad quem schedula mittitur.

Titulus, sive appellatio Causae, desumitur a dioecesi ubi Processus fit, et ab ea, si alia sit, ubi mortuus est Dei Servus. Haec altera in appellatione semper praefertur. Si vero Processus in Urbe fiat, appellatio ab Urbe desumpta alias praecedet. Ex. gr. pone Dei Servum obiisse in dioecesi *Cusentina* et Processum tum in

hac dioecesi, tum in alia, in qua vel natus est vel diu commoratus, ex. gr. Neapolitana, condi: appellatio *Cusentina* aliam praecedet, etsi in hac alia potior conficiatur aut confectus fuerit Processus, et scribetur: *Cusentina seu Neapolitana.* Quod si Processus in Urbe quoque fiat aut sit factus, dicetur: *Romana seu Cusentina.* Nec contemnendum videatur monitum hoc de appellatione Causae: nam a definita appellatione pendet posse facile aut difficulter, post temporis intervallum elapsum, requiri ac reperiri documenta quae ad Causam pertinent, et quae in tabulariis vel S. R. Congregationis, vel aliis asservantur.

Nulla Iudicibus debetur merces: debetur vero Promotori Fiscali, Sub-promotoribus si Processus sit Apostolicus et extra Urbem, in Urbe Sub-promotori; Notariis, Nunciis, Amanuensibus: atque ea erit quam vel consuetudo loci, vel pactio, vel statuta taxatio definit. Iudicibus vero grati animi ergo Postulator donum aliquod offerat, ex. gr. saccarum, fabas arabicas et hujusmodi, vel prout ei videbitur.

Si testes ideo quia ad examen accedere debuerint, detrimentum aliquod suis negotiis passi fuerint, Postulator iis indemnitatem solvet. Sic etiam vel currum ipse apparabit, aut pecuniam pro curru impensam reddet Iudicibus, aliisque qui curru uti debuerunt ut ad locum Processus accederent.

Mos etiam est ut iis qui Sessionibus intersunt jentaculum praebeatur.

Chartam Postulator, atramentarium, calamos, ceram rubram quae vulgo hispanica dicitur, vittas, aliaque omnia suppeditabit Notario quae ad scribendum et obsignandum Acta Processus necessaria sunt, uti

superius diximus: si vero lubeat, Notarium ipsum ut apparet haec omnia precetur, pretiumque ei solvat.

Cum in Sessionibus plicus continens Interrogatoria ac testium responsa aperiri et denuo occludi debeat, Romae commoditatis et celeritatis ergo capsula adhibetur in qua illa asserventur. Clavis capsulae, postquam de serae integritate constiterit, alteri ex Iudicibus custodienda traditur. Quod Romae fit, etiam alibi fieri potest, capsulaque ipsa vittis sigillo obsignatis alligari.

Quod maximam Postulatoris diligentiam, solertiam, prudentiam requirit, delectus est testium.

Testes debent omnes pubertatis aetatem attigisse, nam qui puberes non sunt, non probationem faciunt, sed adminiculum: immo etiamsi postquam puberes facti fuerint inducantur ad testificandum de iis quae vel viderint vel audiverint ante pubertatem, tamen uti adminiculum habetur eorum testificatio. Non idcirco vero testes puberes, qui de iis quae ante pubertatem suam evenerunt testari possunt, semper rejiciendi sunt; praeterquamquod enim etiam adminicula valde utilia saepe sunt, aliquando fieri potest ut eorum testimonium sit ferme necessarium, ex. gr. cum agitur de miraculis; nam si impuber quisquam prodigiose ab aliquo morbo sanatus feratur, eius testimonium, cum puber factus fuerit, et etiam si nondum puber (dummodo tamen recte testificari possit) utile admodum erit.

Notissimum est testes admitti mares et feminas, dummodo sint fide digni atque omni exceptione maiores. Vitandi omnino qui infamiae nota inusti fuerint, qui ecclesiasticis censuris sint illaqueati. Vitandi etiam testes acatholici, nisi necessitas urgeat, ex. gr. probandi martyrium aut miraculum.

Testes eligendi qui utiliter ferre valeant testimonium, idest plenum, ac, quantum fieri possit, super singulis, non autem super una alterave re; et qui unde notitias hauserint de iis quae testaturi sunt possint declarare; testes enim suae scientiae causam reddere debent.

Ut facilius testes habeat Postulator, ad eos se primum vertat qui notitias tradiderunt ad Articulos digerendos. Testimonium ferre possunt etiam affines et consanguinei Servi Dei, contubernales, familiares, famuli; immo potiores ii sunt, quia Dei Servi gesta apprime novisse potuerunt. Cum de Dei Servis coenobitis agitur, praeter laicorum, requiritur etiam, ac maxime ad probandam regularem observantiam, testimonium sodalium coenobitarum. Non omittantur Confessarii Servi Dei.

Saepe fit ut testes *de visu* haberi nequeant in Processu Apostolico: tum Postulator inducet testes *de auditu a videntibus*, quorum testimonia deinde jungentur cum illis quae tulerunt testes oculares in Processu Ordinario: et Causa procedet duobus tantum propositis miraculis ad obtinendam Beatificationem. Quod si in Apostolico Processu nonnisi testes *de auditu auditus* haberi possint, Causa quidem procedet, dummodo testes Processus Ordinarii fuerint oculares, et dum ille sit testium utriusque Processus numerus, illa auctoritas, ea gravitas ac robur testificationum (de quo primum omnium sollicitus erit Postulator, ne laborem atque pecuniam perdat), ut viri prudentis ac de re gravi judicaturi assensum ac fidem comparare valeant. Sed ad Beatificationem obtinendam, tria proponi debent miracula.

Accidit aliquando ut Causa sit dignissima quae promoveatur, sed nonnisi testes de auditu habeantur, non modo ad Apostolicum, sed etiam ad Ordinarium con-

struendum Processum. Et eiusmodi Causa procedere poterit, si testes ii de auditu plenum reddere possint testimonium, ac majores suos a quibus notitias de Servo Dei hauserint certo indicare. Immo et testari etiam poterunt de iis quae apud probatos Auctores legerint, dummodo vero non sola habeantur testimonia *ex lectione*, nam necessaria omnino sunt testimonia ex auditu et traditione orali. Probationes hae *subsidiariae* dicuntur: sed ad assequendam Beatificationem quatuor omnino miracula proponantur oportet

Postulator Causam ipse juvare poterit exhibendo, seu, uti dicitur, compulsando documenta scripta in Processum ad probandas Dei Servi virtutes. Haec documenta authentica sint ac fide digna, et Postulator curet diligentissime ut de eorum authentia atque auctoritate solida exhibeantur argumenta. Modum quod attinet haec exhibendi argumenta, non adeo facile norma praeberi heic potest. Generatim vero dicimus authentiam atque auctoritatem documentorum probari per juratos Peritos calligraphos, custodes bibliothecarum et tabulariorum, doctos eruditosque viros etc. qui judicium suum vel voce, vel scripto quod voce debent confirmare, coram Iudicibus proferant. Hac in re Postulator prudentia ac peritia sua dirigetur.

Verum non semper autographon eorum documentorum exhiberi potest ut in Processus tabulas inseratur, vel ut exemplum sumatur in eas tabulas inserendum.

Olim facile (et fortassis etiam nunc in aliquibus locis) Iudices bibliothecas vel tabularia adire poterant, eorum custodes ad examen vocare, documentum e pluteis educi jubere, exscriptionem cum autographo conferre. Haec cum hodie plerumque fieri nequeant, Postulator (et hoc valeat etiam pro documentis ad pro-

bandum *Casum exceptum*) Iudices rogabit ut deputent juratum Amanuensem qui documentum describat, Actuarium Processus alterumque Notarium pariter juratos qui exscriptum documentum cum autographo conferant, ac de *concordantia* testimonium ferant; vel etiam ut praesidis bibliothecae, si vir sit honestus, testificationem requirant de concordantia apographi cum autographo.

Quot opportunum sit testes inducere, dicemus in singulis Appendicibus. Interim sciat Postulator se usque ad Processus publicationem novos semper posse inducere testes: sciat etiam posse nuncium mittere examini alicuius ex testibus quos induxit, si Promotor Fiscalis aut Sub-promotores annuerint: sed hoc parce admodum faciendum, et cum pateat nullam ex ea omissione examinis oriri posse suspicionem quod omittatur inductus ille testis ideo quia contrarius sit Causae.

In Processu Apostolico super virtutibus et miraculis in specie, ii omnes inducendi et examinandi sunt testes qui testimonium tulerant in Processu Ordinario Informativo: quod si jam obierint, aut ad examen accedere justa aliqua de causa non possint, testificationes authenticae de eorum obitu vel impotentia accedendi a Postulatore exhibendae sunt in Processus tabulas inserendae: si vero vel hae testificationes non afferantur, vel non inducantur testes illi cum adhuc vivant et accedere possint; testimonia ab iis jam lata, in Processu Apostolico nonnisi uti adminicula habebuntur. Prudentia Postulatoris est judicare utrum Causae damnum obvenire possit ex eo quod testimonia nonnulla Processus Ordinarii, in Apostolico adminiculi tantum vim sint habitura.

Curet etiam Postulator ut testes Regulares sui praesidis venia scripto tradita muniantur ad jurandum

et testimonium ferendum: quamquam venia haec si desit, non idcirco irritum eorum examen erit.

Postulator ferre nequit testimonium in Causa quam ipse promovet, aut promovit, quamquam Postulatoris munus dimiserit: sed neque testis qui jam sit examinatus, etsi non fuerit absolutum examen, Postulatoris munere in eodem Processu fungi potest. Patet ratio, nota enim ipsi sunt jam Interrogatoria, quae Postulatorem omnino latere debent donec Processus non publicetur.

Postquam testes selegerit Postulator, quoad eius fieri possit, curabit ut testimonium recte utiliterque ferant; ac primo quidem Articulos iis legendos tradet; quo fiet ut ipsi ad memoriam diligenter revocent quae de Servo Dei noverunt: legenda etiam tradet monita quae inferius pro testibus scripta extant. Caveat vero quam maxime ne iis suggerat quid dicere, quid silere debeant, quid uti dubium, quid uti certum proponere; hoc enim esset *instruere testes*, quod vetitum omnino est: immo alterum ex generalibus Interrogatoriis illud est, ut cogatur testis asserere *an ab aliquo edoctus fuerit vel voce vel scripto* de modo quo se gerere debeat in examine.

Et haec nunc sufficiant de ea Postulatoris officii parte quae testium delectum respicit.

In decursu inquisitionis Apostolicae saepe fit ut facultates a Summo Pontifice peti debeant extraordinariae; ex. gr. ut testis examinetur degens in aliena dioecesi; ut prorogetur *terminus* ad absolvendum Processum constitutus, et alia. Huiusmodi facultates a Summo Pontifice Postulator ipse petet per supplicem libellum a Procuratore Causae scriptum, nisi vero eae sint quae ad rem referantur quae secreto servare debent Judices.

Exemplum ponitur. Novit Postulator in aliena dioecesi testem degere cuius examen utile Causae sit, ac propterea praestet eius excipere testificationem: ille vero ad locum ubi Processus fit accedere nequeat. Ut examinetur in ea dioecesi, facultas concedatur oportet ab Apostolica Sede (cum de Judicibus agetur, dicetur quomodo et a quibus ad examen vocari iste debeat): facultatem hanc non Judices, sed Postulator petet. Si vero non Postulator, sed Judices ab altero ex testibus examinatis resciverint in aliena dioecesi quempiam degere cuius testimonium vel necessarium vel utile Causae ipsi existiment; et qui ad locum in quo Processus fit accedere nequeat aut nolit, facultatem ut ille examinari possit in aliena dioecesi ipsi Judices petent a Summo Pontifice, litteris hac de re ad Emum Cardinalem S. R. C. Praefectum directis. Postulator quidem cognoscet (nec secus esse potest) certum illum hominem ad examen esse vocatum: nesciet vero qua de causa, quoad Processus acta publici juris non fient. Sed etiam ipsi Judices Postulatori committere poterunt ut eam veniam impetret, illius habendi examinis causa occultata. Superfluum est dicere, si Processus sit Ordinarius, Apostolicae Sedis venia ad haec opus non esse.

Aliquando unus alterve in aliena dioecesi existit' cuius testimonium utile valde Postulator dijudicaverit, Processus vero sit Apostolicus. Ne pro uno alterove teste Postulator eas non modicas expensas ferre cogatur quae necessariae sunt in constructione Processus *formalis*, ab Apostolica Sede dispensationem impetret ab expeditione Litterarum Remissorialum. Indulgere id solet Apostolica Sedes, quae speciali Decreto quo modo examinentur illi disponit, adhibita Fidei Promotoris Instructione.

Si Episcopus ad Processum construendum a S. R. Congregatione delegatus decesserit, vel ad aliam Sedem fuerit translatus, vel ad aliud obeundum munus vocatus; ut qui ei successerit Remissoriales Litteras exequi possit decessori jam directas, facultas a Sede Apostolica habeatur oportet, quam pariter a Summo Pontifice petet Postulator per supplicem libellum a Causae Procuratore scriptum: facultas haec pro novo Vicario Generali quoque petatur. Qui vero jam a decessore Episcopo deputati fuerant ad Processum conficiendum Judices, Sub-promotores, Actuarius, Nuncii, in suo officio manent. Judices enim, quamquam ab Episcopo decessore electi, tamen a S. Sede jurisdictionem acceperant: Sub-promotores a Promotore Fidei: Actuarius et Nuncii a Judicibus fuerant deputati. Tum vero Judices omnes una simul Actis intersint oportet, nam Vicarius Generalis defuncti Episcopi, nullam amplius habet jurisdictionem, quam ipse a S. Sede acceperat uti Vicarius: munus autem hoc desiit per obitum Episcopi.

Si vero eodem manente Episcopo, alter (aut etiam omnes) ex deputatis ad Processum condendum munus dimiserit vel obierit; Postulator ipsi Episcopo supplicem libellum a se scriptum exhibebit, rogans ut alium vel alios substituat. In hac substitutione omnia peragenda sunt quae in priorum electione agi debuerunt, idest acceptatio muneris, lectio Litterarum Remissorialium, Litterarum Promotoris Fidei, juramentum etc.

Quando Processus est Ordinarius, si postquam Judices ab Ordinario deputati Processum ipsum inchoaverint, Ordinarius aut moriatur, aut dioecesim relinquat; Postulator Processus constructionem suspendat, quidquid contra quis dicat. Ex recenti enim S. R. Con-

gregationis Decreto infertur eam tenere in hisce Processibus *delegationem* per obitum *delegantis* cessare. Decretum hoc editum fuit in Causa Neapolitana ven. Jo. Baptistae Iossa super *Validitate Processuum.*

Sed et si Postulator obierit aut munus dimiserit, suspenditur Processus sive Ordinarius sive Apostolicus, donec alter substituatur Postulator, qui suum exhibere debet Procurationis mandatum, et juramentum *de calumnia* praestare.

Si dum Processus Apostolicus super virtutibus et miraculis in specie construitur, Deus Servum suum de quo agitur miraculo aliquo illustraverit, Postulator Articulos super miraculum illud scribet quos Sub-promotoribus tradet, et testes inducet quos examinari petet. Inter Promotoris Fidei Interrogatoria nonnulla sunt de miraculis. Haec Sub-promotores aptabunt ad miraculum quod probare contendit Postulator, additis etiam Interrogatoriis ex officio pro opportunitate, quorum proponendi facultas semper iis fit a Promotore Fidei. Caeterum satius esset Articulos Promotori Fidei in Urbe exhibere, eumque rogare ut Interrogatoria specialia super miraculum illud scribat, ac ad Sub-promotores Processus mittat.

Sed si Processus sit *ne pereant probationes*, cum in eo examinari nequeant nisi testes senes, valetudinarii, aut cito a dioecesi discessuri; testes illius miraculi inducere non potest Postulator, si neque senes sint neque valetudinarii neque cito discessuri: quare si velit eos inducere ad probandum miraculum, veniam petat oportet a Summo Pontefice per supplicem libellum a Procuratore scriptum. Decretum autem quod edetur, si Summus Pontifex indulgeat, Iudicibus tradet in Processus tabulas inserendum.

Etiam in Processu Ordinario Informativo examinari utiliter possunt testes super aliquo miraculo in specie *ad effectum* Beatificationis proponendo: miracula enim probantur non solum testimoniis Processus Apostolici, sed etiam Processus Ordinarii, utroque simul juncto; dummodo ea omnia habeantur quae ut ea fiat conjunctio necessaria sunt; de quibus non est heic locus disserendi.

Quae a Postulatore agenda sunt ut plena haberi possit miraculorum probatio, tradentur in *Appendice* seu Instructione pro Processu Apostolico super miraculis.

Dictum est superius aliquando petendam esse a Summo Pontifice veniam prorogandi terminum praestitutum in Litteris Remissorialibus ad Processum Apostolicum absolvendum. Postulator diligenter ad terminum illum attendat; eo enim elapso, quidquid in Processu agitur, irritum est: quapropter antequam praestitutum tempus elabatur, prorogationem petat Postulator. Quod si quidquam eo elapso actum fuerit, non prorogatio tantum, sed *sanatio* quoque impetranda eorum quae acta sunt a *vitio nullitatis*. Nunquam ferme accidit ut prorogatio haec non sit petenda.

Haec de Postulatoribus dixisse sufficiat: caetera in singulis Instructionibus habentur. Postulatoris munus, uti quisque videt, grave admodum est multamque requirit curam, diligentiam, studium, laborem: ac merito affirmari potest ad eum pertinere totam ferme inquisitionis directionem. Igitur neque labori, neque studio, neque diligentiae, neque curae parcat: in dubiis autem vel ad Postulatorem Generalem aut Principalem, vel ad Causae Patronum se vertat, ne forte accidat ut tot labores et impensae incassum cedant.

II.

De Iudicibus

Iudices aut Ordinarii sunt, qui agunt auctoritate sua ordinaria; aut Apostolici, qui agunt auctoritate ab Apostolica Sede delegata. Ordinarius, prouti notum est, potest ipse pro se Iudices ad Processus eiusmodi delegare: non potest autem si agat auctoritate Apostolica, nisi expresse facta ei fuerit subdelegandi facultas: quod pariter notissimum est.

Ordinarius postquam Summus Pontifex Commissionem Introductionis Causae signaverit, nullum auctoritate sua Processum conficere potest in ea Causa, nisi ab Apostolica Sede delegatus. Sed ut hoc vetitum locum habeat, necesse est ut Commissio fuerit revera signata; nam si Dubium de Causae Introductione fuerit in Sacra Congregatione disputatum: et si S. Congregatio censuerit Commissionem esse signandam; et etiam si tabula ipsa Commissionis signanda ad Summum Pontificem fuerit delata, Pontifex autem non signaverit; Ordinarius jure suo adhuc uti potest agendi et inquirendi in Causa.

Processus super Non Cultu et super Casu excepto Ordinarius auctoritate sua conficit, si Commissio signata non fuerit.

De numero Iudicum nunc dicendum in quolibet Processu.

In Processibus Ordinariis si Episcopus ipse per se agere velit, necesse non est ut Iudices qui nuncupantur *Adjuncti* deputet: ipse solus sufficit; ac propterea, cum rogabitur a Postulatore ut tribunal ad Processum conficiendum constituat, nullum deputabit Iu-

dicem. At nunquam ferme fiet ut Episcopo tantum a suis curis supersit temporis et quietis, ut ipse per se Processum condere possit; praesertim si de Processu Informativo res sit. Itaque vel suum Vicarium Generalem, vel alterum virum ecclesiastica dignitate insignitum aut Canonicum cathedralis Ecclesiae deputabit qui Iudicis munere fungatur, et qui *Iudex Deputatus* dicitur; ac duos adjunget quorum alter sit Iuris utriusque aut Iuris Canonici Doctor, vel saltem Baccalaureus; alter S. Theologiae Magister. Isti, uti dictum est, Iudices *Adjuncti* nuncupantur, et cum Iudice Deputato procedere semper debent, numquam sejunctim, nisi quando Sessionibus intersit Episcopus, qui etiam si solus sit Processum condere potest.

Quod si Iudices haberi nequeant aut in Theologia aut in Iure academicis titulis cohonestati, Episcopus hos Iudices adjunctos omittere potest. Nam Epistola Encyclica S. Congregationis scripta die 12 Martii anno 1631 praecipit ut in Processibus Ordinariis Iudices Adjuncti iis gradibus insigniti adhibeantur; verum, si secus fiat irritationem Processus non comminatur. Quapropter Processus validus erit cui condendo Iudices Adjuncti non adstiterint. Sed ut hic Processus haberi deinde possit *in linea aequalis probationis* cum Processu Apostolico qui postea conficietur, Episcopus a S. Sede impetret ut Ordinarium Processum condere possit adhibitis Judicibus Adjunctis iis titulis non insignitis.

Quod si Ordinarius viro episcopali dignitate insignito Processum condendum committat, Iudicibus adjunctis opus non est. In Urbe cum Emus Cardinalis Vicarius Processus Ordinarios Episcopis committere soleat, idcirco Iudices Adjuncti non deputantur.

In Processibus super Non Cultu, aut super Casu excepto qui fiunt auctoritate ordinaria, Ordinarius qui per se agere non possit, vel Vicarium suum Generalem, vel aliquem in conspicua dignitate ecclesiastica constitutum eliget qui Iudicis munere fungatur, nec necesse est ut Adjunctos Iudices addat, quamquam si addat utile id erit, opera enim ipsi et consilio Iudicem delegatum juvabunt: nihil tamen agent sine ipso Iudice delegato. In Urbe Emus Card. Vicarius etiam in eiusmodi Processibus Iudicis munus alteri ex Episcopis committit.

Si vero Processus isti apostolica fiant auctoritate, ac propterea Episcopi uti delegati a S. Sede inquirant, ex Litteris Remissorialibus dignoscent utrum et quem subdelegare poterunt; Urbis autem Vicarius ex Decreto quod ad rem editur: semper vero fit iis potestas subdelegandi. Sententiam quae in hisce fertur Processibus, ferre utique possunt, etsi Apostolici sint, Iudices ab ipso Episcopo delegato delegati; non ita vero in Urbe; statutum enim est ut Urbis Vicarius ipse ferre in Urbe debeat sententiam cum Processus Apostolici sunt, non autem ille quem ipse subdelegaverit etsi sit Episcopus.

In reliquis Processibus, cum omnes auctoritate fiant apostolica, tot Iudices esse debebunt, et tot semper singulis Sessionibus adesse, quot praescribunt Litterae Apostolicae, et quot concedunt Decreta quae aliquando a Summo Pontifice Postulatores impetrant, uti superius dictum (pag. 11). In collatione Processus originalis cum Transumpto, tot pariter Iudices adesse debent quot in aliis Sessionibus. Cum vero statutum nuper sit ut in Urbe alter tantum ex Iudicibus collationi adesse possit; sic caeteris in locis Iudices, si velint, Postulatorem excitare poterunt ad eamdem veniam pro se impetrandam; quae

si detur a Summo Pontifice, citius collatio, opus certe prolixum et molestum, expedietur.

Iudices, tum in Ordinariis, tum in Apostolicis Processibus jurare debent de munere rite ac diligenter implendo et secreto servando juxta conceptam formulam. Episcopi jurant stantes et tacto pectore: caeteri vero Iudices genuflexi et tactis Ss. Evangeliis. Si Episcopus nulli adstare Sessioni velit aut queat, juramento obstringatur necesse non est: verum nil scire debet de iis quae in Processu aguntur; quamobrem satius erit ut et ipse juret, cum fieri facillime poterit ut eius opera et consilio Iudices indigeant. Quisque autem formulae juramenti a se praestiti suum nomen subscribet.

In Processibus Apostolicis adsint semper oportet ex consueto Litterarum Remissorialium praescripto vel Episcopus cum suo Vicario Generali; vel Vicarius Generalis cum duobus ex Iudicibus; vel quatuor Iudices. Quando adest Vicarius cum duobus Iudicibus, si durante Sessione alter ex reliquis Iudicibus accedat, et alter ex iis qui jam adstabant discedat, valida erit Sessio, dummodo tamen nil actum fuerit nisi duobus Iudicibus adstantibus, et dummodo qui discedit Actis quibus interfuit subscribat, et Actuarius discessum unius et alterius describat. Idem dicatur de Sub-promotoribus.

Iudices constituti primum omnium jurisdictionem acceptabunt, deinde jurabunt, postea juramenta accipient eorum omnium qui in Processu condendo locum habent, et demum suo tempore juramentum Postulatoris et testium. Ad Iudices pertinet decernere citationem contra Promotorem Fiscalem aut Sub-promotores, et contra eos omnes qui examinandi sunt,

Exceptio fit pro Regibus et Emis PP. Cardinalibus qui rogantur ut testimonium reddant in Causa, et monentur de die qua eorum juramentum et examen excipietur: qui quidem dies de eorum consensu destinabitur: immo Reges rogantur ut ipsi diem destinent. Quando vero pro citatione satis sit monitio, suo loco in Instructionibus dicetur.

Ad Iudices pertinet destinare dies, horas, loca et locorum loca ad habendas audientias, ad juramenta et examina excipienda. Audientiae dicuntur Sessiones illae Processus, in quibus ea aguntur quae ad Processum ipsum disponendum, dirigendum, concludendum necessaria sunt, ex. gr. Iudicum deputatio, supplicum libellorum receptio, documentorum exhibitio et eiusmodi. Sessiones istae haberi possunt in loco non sacro a Iudicibus destinando. Cum vero juramenta praestanda sunt, etiamsi a Iudicibus, et examina habenda, locus sacer destinetur oportet *sub poena nullitatis Sessionis*, et etiam locus loci, idest, si ex. gr. in templo fiat Sessio in quo plura sint sacella, alterum ex iis sacellis etiam destinari debet. Locus et locus loci nominari debet ab Actuario in relatione quam scribit Sessionis. Locus sacer est templum, templi sacrarium, coenobium, asceterium, oratorium aedis episcopalis, et etiam oratorium privatum si in eo Sacrum quotidie peragatur aut saltem peragi licite possit. Locus loci non destinatur cum locus in plura loca distingui nequit. Moniales quod attinet, locus pro eorum juramentis excipiendis esse poterit vel locus ubi sacram sumunt Eucharistiam, vel ubi sacram peragunt exomologesim, vel ipsum *collocutorium*. Sed ad excipiendas earum testificationes potius videtur facultatem impetrare ingrediendi clausuram et intra septa asceterii locum eli-

gere: tum enim Judices suis ipsis oculis cernere poterunt jannas clausas durante examine, et neminem adstare qui adesse non debeat; quod quidem videre nullimode poterunt si Moniales examinent in loco Communionis aut Confessionis aut in collocutorio: quamquam haec loca idonea ad examina habeantur. Venia clausuram ingrediendi necessarium omnino est impetrare si testis monialis aegrotet. Pro reliquis testibus aegrotis examinandis, non locus sacer est destinandus, sed cubiculum in quo degunt. Cum examinandi sunt Reges, Cardinales, Principes regales, Judices ad eorum aedes accedent, eorumque juramentum et testimonium in eorum privato oratorio excipient.

In qualibet Sessione destinatur dies et hora pro Sessione proxime habenda. Dies semper excipiendi qui nunc sunt festi *de praecepto*. Fit aliquando ut ea jam praestituta die Sessio haberi non possit. Necesse tunc esset ut Postulator supplicem exhiberet libellum inter Acta Processus inserendum, quo causam cur Sessio haberi non potuit exponeret, et alium diem destinari peteret. Sed res facilius expediri potest ex recepto more: scilicet dies destinata non describitur ab Actuario in Sessione antecedenti nisi quando Sessio posterior habeatur.

Iudicum est procurare omni studio et industria ut testes rite recteque testificentur primo super Interrogatoriis Promotoris Fiscalis, aut Promotoris Fidei, deinde super Articulis Postulatoris. Curabunt nempe ut plena tradant responsa ad Interrogatoria et Articulos, nec sese expediant per verba — *affirmative* aut *negative*. — sed rem per longum et latum narrent: ut nullum ex Interrogatoriis praetermittatur: quod si praetermittatur quia iam testis responsione sua Interrogatorium occupaverit, causa praetermissionis declaretur in

Actis. Cum autem examinantur Reges, Cardinales, Principes regales, propter obsequium erga eorum dignitatem omittuntur Interrogatoria generalia, quibus quaeritur an testis fuerit aliquando de crimine inquisitus, an praeceptum Communionis Paschalis et Confessionis impleverit, an censura ecclesiastica notatus unquam fuerit. Curabunt quoque ut aperiant undenam, quomodonam ea quae testantur ipsi noverint, atque in hoc insistant Judices, plurimum enim interest scire an testes sint *de visu, de auditu, de facto proprio,* etc. In Processu de Non cultu, testes iubeant responsionem suam coarctare, si possunt; ex: gr: si dixerint nec luminaria, nec votivas tabellas extare ad sepulcrum Servi Dei, nec eius effigies publicae proponi venerationi; cur et quomodo id ipsi tuto asseverare possint, aperiant. Curabunt ut si quid obscure testes dixerint, enucleent, si quid quod iis quae iam ipsi aut alii dixerunt refragetur, explanent, atque ad rem possunt testes iam examinatos, etsi a Postulatore fuissent inducti, iterum ad examen *ex officio* vocare, ut veritas omnino patefiat: caveant autem ne arcani lex violetur, id est ne aliis testibus innotescant quae testis N. aut N. dixerit. Tum ad hoc, tum ad veritatem in caeteris eruendam, fas est Judicibus Interrogatoria addere his quae Promotor Fiscalis in Processibus Ordinariis, Promotor Fidei in Apostolicis exhibuit. Interrogatoria testibus explicabunt, ut id de quo rogantur facile intelligant. Ex his patet ad Judices pertinere testes interrogare: tamen in usu nunc est ut interroget Promotor Fiscalis, et Sub-promotores: quamquam vero isti interrogent, Judices ea omnia curabunt quae diximus cum opus fuerit: ac meminerint se non auditores esse eorum quae a testibus narrantur, sed Judices. Saepius Causae dignissimae ad silentium sunt adactae, quia

Judices non uti Judices, sed uti auditores se gesserunt in inquisitione.

Fieri aliquando potest ut in inquisitionis Ordinariae decursu, ea Judicibus innotescant ex testium responsis, quae obicem Causae inexsuperabilem ponant, vel ponere videantur. Judices hoc in casu ad Promotorem Fidei Romam secreto scribent, difficultatem proponent, et quid sibi agendum sit, postulabunt. Hoc quidem in Processu Ordinario: neque id omittant in Processu Apostolico: quamquam enim in Apostolico Processu Judices inquirunt delegati a Sede Apostolica, tamen rem bonam gerent si ipsi Apostolicae Sedi exponent quid eam inquisitionem inutilem Causae reddit, et Postulationi onerosam, quae impensas minime modicas incassum sustineret.

Judicum est contestes et testes *ex officio* ad examen vocare. Superfluum est dicere eos heic intellegi contestes, qui a testibus in sua testificatione nominati fuerint, utpote aliquid de Servo Dei, de quo agitur, scientes. Itaque si Judicibus necessarium vel opportunum videatur eos contestes in judicio audire, eos inducent, et ad examen vocabunt: quamquam in praesentia in usu sit ut a Promotore vel Sub-promotoribus tum contestes, tum testes *ex officio* inducantur. Necessarium autem omnino erit contestes vocare qui a testibus nominati fuerint tamquam gnari alicujus miraculi, aut alicujus facti quod Servi Dei sanctimoniae refragari videretur. Testes vero ex officio omnino vocandi sunt, et eligendi inter eos qui de Servi Dei gestis magis edocti sunt, ut eorum testimonium quae ab aliis narrata fuere confirmet, vel, si id veritas exigat, infirmet.

Aliquando contestes in aliena dioecesi degunt, et ad locum in quo fit Processus accedere nequeunt. Tum

vero aut Processus est Ordinarius aut Apostolicus. Si Ordinarius, Episcopum ejus dioeceseos Judices rogabunt ut ipse contestem illum aliosque, si opus sit, per se aut per Judicem deputatum juxta Instructionem et Interrogotoria, quae ipsi tradent, examinet, adhibito Promotore Fiscali suae Curiae, et Actuario, et iis servatis quae servanda necessario sunt in Processus constructione, idest juramenti obligatione, secreto, et ejusmodi: re autem absoluta, Actorum exemplar authenticum, clausum, sigillisque obsignatum ad Judices ipsos remittat. Idem agent si contestis aut etiam testis in aliena degens dioecesi a Postulatore fuerit inductus, et Postulator, ut parcat expensis, aut negotium citius expediatur, alterum Processum in illa dioecesi construere nolit, ac propterea Judices rogaverit, ut ipsi per ejus dioeceseos Episcopum, testem aut contestem illum examinent. Hoc vero in casu cum examen fiat instante Postulatore, iste ad eam dioecesim accedere debet, et Postulatoris partes explere. Si vero Processus sit Apostolicus, hoc omnino suademus, nempe ut Judices rem deferant ad S. Rituum Congregationem, etiam, si placet, et si fieri impune possit, adhibito supplicis libello Postulatoris, uti jam pag. 20 dictum est; eamque precentur ut examen in ea dioecesi excipiendum curet; Sacra Congregatio quod pro sua prudentia gerendum existimabit, geret.

Judices, si quae occurrat difficultas in decursu inquisitionis quae secreto tegi debeat, et a qua sese ipsi extricare nequeant aut nolint auctoritate et prudentia sua, ad Sacram Congregationem pariter recurrant.

Irrita erit quaelibet Sessio cui non omnes subscripserint Judices qui ex praescripto ipsi Sessioni adesse debent.

Hoc autem attente advertant Judices, et advertant etiam ut in Transumpto quas ipsi Actis originalibus ap-

posuerunt subscriptiones diligenter describantur; saepe enim deesse vidimus, et inde obiectio.

Litteras Judices, Processu absoluto sive Ordinario sive Apostolico, scribere debent ad S. Rituum Congregationem sive ad Emum Cardinalem eiusdem Congregationis Praefectum. Per hasce litteras certiorem facient S. Congregationem de fide quae sit testibus habenda; quod quidem maxime interest. Quapropter diligentissimi sint Judices in narrando an quis ex testibus suspectae fidei dederit argumenta, an vir sit minus honestus, an indoctus et rudis, qui idcirco putare potuerit obsequium se praestare Servo Dei mentiendo ad eius decus augendum: an quae contradictoria dixerit (si quidem explanare, Judicibus id curantibus, non potuerit) memoriae defectui an malitiae sit tribuendum: an, quamquam vel Paschale praeceptum non impleverit, vel alicuius criminis reus aliquando fuerit, vir tamen qui a periurio abhorreat existimetur: et huiusmodi.

Si nil adnotandum in testibus repererint, de fide omnibus habenda apertis verbis testentur. Factum haud semel est ut Judices testes omnes fide dignos, suis litteris ad S. Congregationem missis, dixerint, quorum tamen non pauci contraria his quae alii asseruerint testificati sunt. Quod quidem non modo Judicum incuriam in examinibus suscipiendis demonstrat, sed etiam levitatem in litteris ad S. Congregationem scribendis. Eiusmodi litterae scribantur etiam absoluto Processu Apostolico « *Ne pereant probationes* » et cum ipsis Processus tabulis secreto custodiantur.

Si Episcopus una cum Judicibus Sessionibus, quamquam non omnibus, adfuerit, una esse poterit eius et Judicum epistola; si non adfuerit, Judices ipsi epistolam

scribent, Episcopus vero, si placeat, etiam ipse scribet, qua et Processum et Judicum litteras mitti significabit, scilicet epistola erit, ut aiunt, *officiosa*.

Quae singula a Judicibus agenda sunt, et quomodo, in Appendicibus sive Instructionibus habentur, ad quarum normam se omnino gerant. Magnus et molestus labor in hisce Processibus Judicibus ferendus est: memorent vero se laborare ad Dei gloriam, Servorum Dei et Ecclesiae exaltationem.

Iudices qui ecclesiastico beneficio praediti sunt quod eos ad chorum frequentandum adigat, iis diebus quibus Processibus sive Ordinariis sive Apostolicis conficiendis incumbunt, ubique locorum tamquam choro adstantes habentur, ac proinde omnes lucrantur distributiones, et etiam eas quae *ex legatis piis ac dispositione Testatorum, Canonicorum praesentiam in choro expresse requirunt*. De hoc constat ex Decreto S. Rituum Congregationis edito die 15 Septemb. 1678, et a Pontificibus Innocentio XI, et Benedicto XIV approbato: ex Decretis editis in Neapolitana diei 6 Maii, et 23 Decembris 1817, in Florentina diei 27 Augusti 1836. Advertant autem hac se concessione frui posse his tantum diebus, quibus Processui conficiendo incumbunt.

III.

De Promotore Fiscali et Sub-promotoribus.

In quolibet Processu pro Causis Beatificationis et Canonizationis, qui Fisci partem agat semper adesse debet. In Processibus Ordinariis munere hoc perfungitur Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis; quod si Cu-

ria Fiscalem Promotorem non habeat, Episcopus eum magistratum creet opus est, antequam Rescriptum edat pro constitutione Tribunalis.

In Processibus Apostolicis Fisci partem agit ipse Promotor Fidei Urbis, qui tamen cum in Urbe degat, duos deputat pro se Sub–promotores, quorum alterum ipse nominat, idest Promotorem Fiscalem Curiae, alterum Iudicibus nominandum relinquit. Si Promotor Fiscalis in decursu Processus vel a munere se abdicet, vel decedat, Fidei Promotor non alium deputat, sed munus Sub-promotoris ad illum defertur, qui in Officio Promotoris Fiscalis succedit, epistola enim a Fidei Promotore scribitur non ad certum Fiscalem sed ad eum qui Fiscalis partes legitime agit. Quomodo vero haec substitutio facienda est, iam superius diximus cum de Postulatoribus loquuti sumus (V. pag. 21)

Fiscalis et Sub-promotorum est adesse et advigilare singulis Sessionibus, ut omnia recte ac rite fiant, ac juxta Decreta, et se semper praesentibus: sed in Processibus Apostolicis satis est ut alter adsit ex Sub-promotoribus, et Sessio valida etiam est si parti Sessionis alter, parti alteri alter adsit ex Sub-promotoribus: dummodo omnia Acta fiant eorum altero praesente.

Ex usu ad eos pertinet testes *ex officio* et contestes inducere, testesque omnes interrogare, eorumque responsa Actuario, ut ea describat, dictare. In quo quidem advertant ne iisdem, quantum fieri poterit, verbis et phrasibus utantur: secus enim in discussione quae fit in S. R. Congregatione, obiectioni fit locus de praevia inter testes conventione. Quod in superiori capite diximus, interrogandi modum quod attinet, id et sibi dictum intelligant Promotor Fiscalis, et Sub-promotores. Responsa testium eo idiomate dictanda

sunt, quo fuerunt prolata vel a teste vel ab interprete. Curent autem attentissime cum Judicibus, ut quilibet testis, testificationi suae subscribat, aut si scribere nesciat, signum crucis apponat. Subscribant etiam Fiscalis vel Sub–promotores singulis Sessionibus.

Epistolam quoque tum Promotor Fiscalis, tum Sub-promotores, Processu absoluto, scribere debent ad Fidei Promotorem, non secus ac Judices, uti diximus, ad S. Congregationem.

Promotoris Fiscalis et Sub-promotorum est Interrogatoria exhibere: Sub-promotores accipiunt a Fidei Promotore epistolam et plicum clausum Interrogatoriorum, quae ipse Fidei Promotor exaravit. Promotor Fiscalis ipse Interrogatoria scribit. Igitur in Processibus Apostolicis interrogantur testes juxta Interrogatoria Promotoris Fidei, in Processibus Ordinariis, juxta Interrogatoria Promotoris Fiscalis. Sed quemadmodum Iudices, sic etiam tum Promotor Fiscalis, tum Sub-promotores alia possunt addere Interrogatoria *ex officio*, juxta necessitatem aut opportunitatem.

Interrogatoriorum plicus aperiri nequit nisi in actu examinis, et examine expleto aut suspenso, claudi denuo debet una cum testium responsis. De modo opportuniori claudendi jam diximus cum ea exposuimus quae Postulator apparare debet ad constructionem Processuum. (V. sup. pag. 15).

Promotor Fiscalis, uti diximus, onus habet Interrogatoria scribendi. Postulator ei tradit Articulos; Fiscalis ex Articulis elementa capit Interrogatoriorum, quae secreto scribit. De his Interrogatoriis dicendum.

Advertat primo Promotor Fiscalis ne sua Interrogatoria suggestiva sint: suggestio in Interrogatoriis vetita est in Causis criminalibus: Causae vero Beatifica-

tionis et Canonizationis criminalibus aequiparantur, ideoque etiam in his vetita sunt Interrogatoria suggestiva. Suggestivum est Interrogatorium cum *ita proponit factum qualificatum, quale praetendit esse et habere Postulator:* cum interrogatur testis *de circumstantiis et qualitatibus specialibus alicuius actus:* verbi gr. *an Dei Servus eo die ad eum locum se contulerit, ibique haec et haec gesserit; an eo die et anno voto virginitatis servandae se obstrinxerit; an praesidi haec et illa iubenti, haec et illa responderit etc.* Interrogatorium genericum esse debet, ex. gr. *an et quae loca D. S. frequentaret: an voto aliquo sese obstrinxerit: an obediens esset etc.* Sed praevidere etiam Fiscalis debet responsum testis, ac parare Interrogationem quam illud responsum suggerit. Ex gr. *si testis responderit Dei Servum se voto obstrinxisse ad virginitatem perpetuo servandam, interrogetur an sciat vel dici audierit quando se obstrinxerit, an sua sponte, an ex confessarii consilio, an votum fideliter servaverit; et si testis dicat fideliter servasse, interrogetur quomodo id ipse sciat, et probare possit.*

Testium responsa facile praevidere potest Fiscalis ex ipsis Articulis. Articuli enim ex notitiis plerumque concinnantur, quae ab iis qui ad testificandum inducuntur haustae sunt.

Interrogatoria Promotor Fiscalis proponit in Processu Informativo super fama sanctitatis vitae, virtutum, et miraculorum, vel super fama martyrii et causa martyrii; in Processibus super Non cultu, et super Casu excepto quando fiunt auctoritate ordinaria.

In singulis iis Processibus praemittuntur aliqua Interrogatoria generalia; quorum 1.mo, quod monitum potius quam interrogatio est, monetur quilibet testis, ut advertat vim iuramenti, obligationem dicendi quae

vera sunt, gravitatem periurii etc. 2.° interrogatur testis de suo nomine, parentibus, aetate, patria, statu, exercitio aut professione, quibus opibus vitam ducat etc. 3.° an quolibet anno praecepto confessionis et communionis satisfecerit; an praeterea in anni decursu ad ea sacramenta accedat. 4.° an unquam de aliquo crimine fuerit accusatus, inquisitus, an condemnatus etc. 5.° An unquam fuerit ecclesiastica censura notatus etc. 6.° an ab aliquo edoctus fuerit de modo quo testificari debeat, an ad testificandum accesserit propter humanum finem, an ex zelo gloriae Dei. 7.° an unquam noverit aut nominari audiverit et a quibus Dei Servum, et quomodo, et quando; an de eo legerit, et quid, et a quo scriptum. 8.° An affectu, pietate Dei Servum prosequatur, an eius Beatificationem exoptet etc. Hisce praemissis ed ea veniat Interrogatoria quae ad materiam Processus pertinent.

In Processu Informativo super fama sanctitatis vitae, quaerat de ortu, patria, parentibus Servi Dei, de ejus adolescentia, de statu quem amplexus est, de muneribus quibus fuerit perfunctus, de virtutibus quas exercuerit, theologalibus et cardinalibus, de humilitate, castitate, obedientia, paupertate, quas omnes virtutes unum Interrogatorium complecti potest: de earum virtutum excellentia sive *heroicitate*; de fama quae de eo viguerit et vigeat, tum dum viveret, tum post obitum; an quis ei famae adversatus sit, aut adversetur; an persecutiones passus unquam fuerit; an scripta ediderit, et quae, et ubi illa extent; an divinis donis et prodigiis vivens et post obitum fuerit a Deo illustratus, etc.

In Processu super fama martyrii et causa martyrii non abs re erit quaerere de virtutibus et fama sanctitatis si id opportune et utiliter possit. Sed potissime

quaerendum an D. S. martyrium tulerit ex parte tyranni, in odium fidei aut alicujus ex fidei dogmatibus, ex parte sui in defensionem; et an martyrium sive in actu ipso, sive postea prodigiis aut signis illustratum fuerit.

In Processu super Non cultu, quaerendum de obitu Servi Dei, de fama quae de ejus vita et obitu viguerit et vigeat, de concursu ad funus, de loco sepulturae, an peculiaris sit, an inscriptione decoratus, an unquam immutatus, an a fidelibus visitetur, et quare: an lumina ad sepulcrum, aut ad ejus effigies, aut reliquias accendantur; an reliquiae et effigies inter Beatorum aut Sanctorum reliquias et effigies, vel in publicis templis asserventur; an publicae venerationi proponantur; an solemni supplicationis ritu deferantur; an effigies radiis, aureolis exornatae fuerint; an titulum *Beati* aut *Sancti* exhibeant; an titulo hoc Dei Servus honoratus fuerit aut honoretur in inscriptionibus, monumentis, etc. Demum quaerendum an Dei Servus aliquo modo cultu honoretur, quo Beati aut Sancti honorantur.

In Processu super Casu excepto, eadem quae in Processu super Non cultu quaeruntur ad dignoscendum utrum quidquam ab obitu Servi Dei actum sit quod Decretis Urbani VIII cultum publicum prohibentibus refragetur, quaerenda sunt ad dignoscendum utrum Dei Servus publico cultu honoretur, a quo tempore, quibus modis, quo iure etc.

Interrogatoriorum series absolvitur interrogando testem *an praeter illa quae testatus sit, aliud habeat addendum, minuendum, corrigendum, aut quomodolibet dicendum, de quo non fuerit interrogatus*; *et omnia fideliter ac sincere referat, sive causae prosint, sive obsint, quamquam* (si de fama sanctitatis vitae quaeratur) *sanctitati, virtutibus, aut famae sanctitatis et miraculorum*

Dei Servi contraria sint, ac nil prorsus minuat et occultet, gravissima enim urget obligatio omnia et singula aperiendi.

Indecorum omnino esset si Promotor Fiscalis alteri viro perito Interrogatoria scribendi negotium daret, quamquam non ideo daret ut ea sua faceret, sed ut normam haberet; quod si daret ut sua faceret, secreti legem violasset. Potius est ut legat Interrogatoria ad aliam Causam exhibita, praesertim in Processibus Apostolicis. Ponitur heic formula proaemii Interrogatoriorum:

« N. N. (appellatio Causae) Beatificationis et Canonizationis Servi D. N. N.

Interrogatoria infrascripta, dat, facit, exhibet atque producit N. N. ab Illmo et Rmo Domino Episcopo N. Promotor Fiscalis specialiter deputatus in Processu auctoritate ordinaria conficiendo in civitate N. super (fama sanctitatis vitae, virtutibus et miraculis, aut aliis) praefati Servi Dei, ac petit et instat ut omnes et singuli testes a Causae Postulatore inducti, vel inducendi, itemque omnes testes et contestes ex officio vocandi, super iis diligenter examinentur, priusquam interrogentur super Articulis et Positionibus a Causae Postulatore in Actis exhibitis, praevio juramento ab unoquoque teste aut conteste, seorsim praestando, se Promotore Fiscali semper praesente. Petit pariter et instat ut eadem Interrogatoria, qualibet Sessione absoluta, claudantur cum receptis testificationibus et obsignentur, nec aperiantur nisi in actu sequentis examinis, iterum eo absoluto aut suspenso claudenda, et obsignanda uti supra: alias de nullitate protestatur, non solum isto, sed et omni meliori modo. »

Post ultimum Interrogatorium addetur.

« In reliquis suppleat integritas et diligentia Remorum Judicum, quibus cum infrascripto Promotore Fiscali salva sit facultas addendi, dicendi, variandi, prout in Domino videbitur.

N. N. Promotor Fiscalis deputatus. »

Singula quae a Promotore Fiscali vel Sub-promotoribus agenda sunt, habentur in Appendicibus, sive Instructionibus. Tantum heic addimus, Promotorem Fiscalem et Sub-promotores posse ex officio vocare testes eos quos Postulator primum induxerit, ac deinde ne examinentur rogaverit; imo debere eos vocare si suspicio oboriatur idcirco a Postulatore eos praetermitti, quod merito obstaculum ex eorum testimoniis Causae obvenire possit; tum etiam neminem ex inductis a se testibus Postulatorem posse praeterire, nisi Promotore Fiscali, aut Sub-promotoribus assentientibus.

IV.

De Notariis.

In Processibus qui pro Causis Beatificationis et Canonizationis conficiuntur vel ordinaria vel apostolica auctoritate, Notarii omnino adhibendi sunt. Munus hoc etiam laici viri obire possunt, dummodo tamen sint Notarii Ecclesiastici vel Apostolici, idest vel ab Apostolica Sede vel ab Episcopis Notarii fuerint renunciati: locum enim in hisce Processibus non habent Notarii qui *Notariatum* a laica acceperint auctoritate. Regularis Ordinis alumni hoc munere fungi possunt in Processibus istis, non autem in Processu qui fiat pro Causa Servi Dei qui sodalis fuerit eiusdem Ordinis ad quem Notarius pertinet: hoc enim

Processum omnino irritum efficeret. Quod quidem servandum etiam est in Processibus qui construuntur in Causis Sanctimonialium, si Institutum quod ipsae fuerant professae, ad eumdem pertineat Ordinem ac Notarius.

Ut autem quaevis amoveatur dubitatio quae exoriri posset ex variis Franciscalium familiis, quarum alterae sunt Capuccinorum, alterae Observantium, alterae Conventualium, alterae, feminas quod attinet, Clarissarum, alterae Capuccinarum etc.; eumdem nos heic intelligimus Ordinem, qui eodem regitur Praeside Generali.

Si in dioecesi nullus sit Notarius Apostolicus aut Ecclesiasticus, Ordinarius eum creabit, vel ad omnes Causas ecclesiasticas, vel tantum ad conficiendum Processum, aut Processus de quibus agimus.

Plures adhibentur Notarii: 1° Notarius qui dicitur *de primordialibus rogatus:* 2° *Actuarius*: 3° Notarius *Adjunctus.*

Notarius de *primordialibus rogatus* ille est qui adest primis Processus Sessionibus, idest quando supplex libellus Postulatoris vel Apostolicae Litterae exhibentur: quando deputantur Judices, aliique omnes qui operam Processui conficiendo dabunt, quos inter *Actuarius*: quando istorum juramenta accipiuntur: brevi, ille est qui adstat Sessionibus iis omnibus quae necessario habendae sunt ad constituendum Tribunal. Ipse singula quae in iis Sessionibus acta sunt, et juramentorum formulas, ac etiam *jura* omnia sive documenta exhibita, inter quae Mandatum Procurationis Postulatoris, et *Privilegium*, ut aiunt, Notariatus Actuarii electi, suique, diligenter describit: ac de singulis iis Actis ab omnibus subscriptis (et juramento quilibet suo pariter subscribere debet) publicum de-

mum conficit Instrumentum quod sua subscriptione et sigillo confirmat, eaque Acta tradit electo Actuario, qui se illa accepisse sua syngrapha testatur, quae pariter in Acta inseritur. Itaque Notarius *de primordialibus rogatus*, de omnibus *fidem facit* quae peracta fuerunt ad Tribunal constituendum, et de legitima Judicum, Actuarii aliorumque electione.

Et hic Notarius Apostolicus vel Ecclesiasticus esse debet. Plerumque hoc fungitur munere Cancellarius Curiae Episcopalis. Notarius hic nullo obstringitur juramento in iis Actis: ac propterea iis absolutis, nullum habet locum in Processu, nec quicquam de iis quae secreto servanda sunt cognoscere ipsi licet.

Acta omnia non necesse est ut tunc describat quum aguntur; sed commoditatis causa domi prius digerere potest, loco subscriptionibus et aliis quae praevidere nequit relicto. Quo autem ordine describi debeant, dicetur in Appendicibus sive Instructioninibus.

Actuarius ille est qui describit Acta omnia Processus quae primordialia sequuntur, usque ad finem. Ipse, cum deputatur ad Processum, privilegium sui Notariatus, seu Patentes Litteras quibus Notarius Apostolicus vel Ecclesiasticus renunciatus fuit, exhibere debet: tum juramento obstringitur ad munus fideliter exercendum et secretum servandum: Actis illis *primordialibus* una cum Judicibus aliisque subscribit: Acta illa se a priore Notario accepisse testatur. Haec illi agenda primo sunt, ac postea caetera omnia quae in Appendicibus habentur, ad quarum omnino normam se geret. Nonnulla vero heic advertenda.

Acta cuiuslibet Sessionis domi scribere ipse potest antequam Sessio habeatur: non autem nomina Judi-

cum aut Sub-promotorum, quae, quamquam sciat quinam eorum adfuturi sint, scribet tamen in actu Sessionis, cum scilicet quinam adsint suis oculis viderit: fieri enim potest ut alter pro altero accedat. Si in decursu Sessionis alter ex Judicibus vel Sub-promotoribus discedat et accedat alter, ita ut Sessio rite continuetur, illius discessum, et accessum alterius describet, ac simul ut discedens Actis quibus interfuit subscribat curabit (*V. pag.* 27). Ac de subscriptionibus sit maxime sollicitus, et caveat diligentissime ne aliqua desit. Singulis Actis subscribere debent, Episcopus, si adfuit; tum Judices omnes qui adstiterunt, Promotor Fiscalis aut Sub-promotor vel Sub-promotores: testis quilibet (et interpres, quando interpres adhibetur) subscribit tum formulae juramenti qua devinctus fuit, tum testificationi quam tulit, vel suum ponens nomen si scribere valeat, vel crucis signum calamo efformans. In singulis Sessionibus in quibus non examinantur testes, duo adhibeantur testes qui dicuntur *instrumentarii*, testes scilicet eorum quae acta sunt, qui pariter Actis subscribunt: verum Sessio valida habetur etiamsi testes isti non adhibeantur. Iis omnibus appositis subscriptionibus, Actuarius Instrumentum conficit, quod sua subscriptione et sigillo confirmat.

Subscriptio et sigillum Actuarii authenticum efficit Actum: quamobrem attentissime caveat ne unquam omittat.

Formulam qua quisque juravit integram describat: nec satis erit si dicat eum iurasse. Testes vero quod attinet, cum ipsi juramentum repetant quoties ad examen accedunt, sufficit descripsisse integram formulam qua primo, cum scilicet citati sunt, jura-

runt; ac deinde brevius describetur formula sicut in Appendicibus dicetur, quamquam testes integram recitent. Advertat etiam diligentissime ut citationes, ac relationes Nuncii de citationibus peractis, sint rite exaratae, easque in Acta Processus inserat. Formulam juramenti testium eo scribat idiomate quo testis pronunciavit, aut quo pronunciavit interpres, si interprete opus fuerit. Testificationes, idest testium *responsa,* eo idiomate quo vel Judices vel Fiscalis dictabunt: caeterum idioma erit quo utitur testis aut interpres, si per interpretem testetur. Si autem rudi testis idiomate aut *dialecto* utatur qui haud facile in Urbe intelligi possit, Actuarius verba intellectu difficilia, dictantibus tamen Judicibus aut Fiscali, explicabit. Sed Acta idiomate latino essent scribenda: verum indulgetur ut extra Italiam vulgari etiam idiomate scribantur.

Interrogatoria Actuario custodienda traduntur plico obserata sigillis munito. Actuarius plicum aperit non ante quam testis examen incipiatur, quod dicitur *in actu examinis.*

Suspenso aut absoluto examine, testificationem Actuarius ipsemet, vel per interpretem, elata voce legat ut testis eam audiat, eamque vel ratam habeat, vel emendet, vel aliquid ei, si quid habet, addat: et Actuarius confirmationem, emendationem, additionem describet: postea vero testi subscribendam testificationem tradet. Sed lectio fieri etiam potest in ea Sessione qua testis examen suum totum absolvit, subscriptio vero in singulis Sessionibus a teste ponatur. Subscriptionibus a teste, a Judicibus, a Fiscali vel Sub-promotoribus aut eorum altero (si unus tantum adfuerit) appositis, Actuarius Interrogatoria ac testis responsa sive ad Interrogatoria sive ad Articulos, plico claudet, et sigillo

Judicis obsignabit. In Processibus Apostolicis sufficit sigillum unum, idest alterius ex Judicibus delegatis, quo Actuarius semper utetur, etiamsi Judex ille non adfuerit. Postquam haec omnia Actuarius egerit, Instrumentum conficiet quo se ea egisse testabitur, illudque suo nomine et sigillo sui Notariatus obsignatum, inseret in Acta Processus, quae interim ab Interrogatoriis et testificationibus sejuncta serventur. De faciliori modo custodiendi Interrogatoria et testium responsa jam superius diximus pag. 15.

Plicus Interrogatoriorum ac testificationum non aperietur nisi in actu futuri examinis. Actuarius vero in singulis Sessionibus et occlusionem et aperitionem plici describere omnino debet, et caveat ne descriptio haec omittatur. Tum etiam describat semper, antequam plicus aperiretur Postulatorem aliosque quibus examini testium adesse vetitum est, ex aula discessisse, foresque aulae fuisse clausas. Minuta sunt haec quae tamen in Processus tabulis describantur oportet.

Fit aliquando ut ad Processum citius absolvendum, subinde Scribae tradantur Acta et testium responsa ut Transumptum conficiatur. Actuarius describet semper et quando ea facta fuit traditio, et quando Scriba Acta originalia et eorum exemplum retulerit, ac diligenter etiam describet quot tradita fuerint folia, quorum testium responsa, quot foliis constet exemplum a Scriba exhibitum, et utrum Acta illa originalia integra reddita fuerint. Superfluum autem est dicere et Scribae electionem eiusque juramentum de munere fideliter exercendo et secreto servando esse pariter describendum, et juramento a Scriba subscribendum esse : quisquis enim jurat, sui juramenti formulam subscriptione sua muniat oportet. Factum

quandoque est ut ipse Actuarius hoc Scribae munere perfunctus in decursu Processus fuerit. Vitandum hoc omnino dicimus, quia pluribus Actuarius teneretur negotiis, et quia, cum speciali se jurameuto quod proprium Scribarum est obstringere deberet, deberet etiam ipse de juramento suo fidem facere.

Documenta saepius exhibentur vel a Postulatore, vel a testibus. Si, prouti sunt originalia, in Processus tabulas inseri non possunt, Actuarius ea diligenter transcribat. At si eiusmodi sit documentum ut haud brevi tempore ad illud transcribendum opus sit, poterit deputari Scriba, et exemplum ab eo confectum, ex Judicum mandato Actuarius cum altero Notario a Judicibus designando, cum documento conferet coram ipsis Judicibus et Fiscali. Scriba et alter ille Notarius de munere fideliter implendo jurabunt, et si a teste documentum fuerit exhibitum, etiam de servando secreto, eorumque electionem et juramentum Actuarius describet. Hisce documentorum exemplis exceptis, non licet Actuario in Processus Actis scribendis aliena uti manu, nisi in Actis iis, de quibus mox dicendum, quae fiunt postquam Amanuenses Transumptum confecerint Processus: quorum Actorum duplex fieri debet exemplum, alterum Processui, alterum Transumpto adnectendum.

Absoluto Processu et Transumpto, Actuarius una cum Notario Adjuncto, de quo inferius, coram Judicibus et Fiscali vel Sub-promotoribus, Transumptum cum Actis originalibus confert. In hoc maxima eius requiritur diligentia, ut nil sit in Transumpto deordinatum, nil obscurum, nil desit: ut omnes transcriptae sint subscriptiones etc. Si quid autem corrigendum aut addendum sit, corrigant vel addant

ipse et Notarius Adjunctus sua manu, correctionemque et additionem in margine folii scribant, suoque subscripto nomine confirment. Quod si verbum aliquod sit delendum, linea illud signent, suumque apponant nomen subtus aut supra deletum verbum. Si spatium supersit, addant etiam verbum *approbo*. Tum verbum hoc tum nomen potest brevius scribi. Longum quidem ac molestum opus est Actuarii, pro quo merita ei debetur retributio; si vero maxima non illud perficiat diligentia, Processus ipse vitiis scatebit, quae aliquando eius validitatem graviter inficiunt.

Ex nuper dictis patet jam quinam sit *Notarius Adjunctus* : Notarius nempe ecclesiastica vel apostolica actoritate creatus, qui adjungitur Actuario ad conferendum Transumptum cum Actis originalibus. Juramento ipse obstringitur ad munus rite obeundum, non autem ad secretum servandum, nisi forte collatio incipiatur antequam Processus publici juris factus fuerit, seu, uti aiunt, *publicatus:* qui tamen usus haud facile probandus videtur, tum quia augetur eorum numerus quibus quae in Processu aguntur innotescant: tum etiam quia turbatur ordo inquisitionis, ex quo fit ut vel maiori diligentia, ac propterea maiori labore opus sit ad omnia rite peragenda : vel facile a recta norma aberretur.

Notarius Adjunctus etiam deputatur ad conferenda documenta quae ex autographis in bibliothecis aut tabulariis extantibus descripta fuerunt, de quibus diximus pag. 17, et alia de quibus diximus paullo ante : et jurat vel tantum de munere rite implendo, vel etiam de secreto servando, prouti opus erit, ut eo loco diximus.

Ad Notarii Adjuncti munus exercendum destinari

potest, et plerumque destinatur, Notarius de primordialibus rogatus.

Formulae ab hisce Notariis adhibendae et caetera singula quae agenda sunt, habentur in Appendicibus seu Instructionibus.

V.

De Nunciis

Pauca de Nunciis. Nuncius in hisce Processibus idem est ac *Apparitor* in caeteris Tribunalibus. Nobilius autem officium hoc est in Processibus qui pro Causis Beatificationis et Canonizationis conficiuntur: ac propterea munus hoc viris etiam ecclesiasticis defertur.

In Processibus Ordinariis Nuncius ab Ordinario eligitur: in Processibus Apostolicis a Judicibus a S. Sede delegatis. Unus aut plures eligi possunt. Nuncius jurare debet se commisso sibi munere rite ac diligenter perfuncturum. Munus autem eius praecipuum est citationes quas ex Judicum mandato Actuarius ad Promotorem Fiscalem vel Sub-promotores, et ad testes mittit ut praestituta die ad Tribunal accedant, iis exhibere: atque Judicibus testari se eos citasse. Advertant Nuncii ut in relatione quam de peracta citatione scriptam tradere debent, nomina eorum quos citaverint, ac diem qua citationem exhibuerint diligenter describant: ac pro singulis citatis testibus singulas scribant relationes.

Demum Nuncii munus est Judicum mandata et decreta fideliter exequi.

VI.

De Testibus

Testes alii sunt *instrumentarii*, idest qui vocantur, non tamen necessario, ut adsint et subscribant Actis publicis Processus: et nihil est quod sit heic de iis peculiariter dicendum, eorum enim actio in Processibus Causarum Beatificationis et Canonizationis eadem est ac in reliquis Processibus et Instrumentis.

Alii testes sunt qui a Postulatore inducuntur; alii qui *ex officio* inducuntur a Judicibus, seu, prouti nunc magis receptum est, a Promotore Fiscali vel Sub-promotoribus. Postulator testes inducit ad probandum quae ipse suis Articulis proposuit et probare contendit. Judices vero aut Fiscalis vel Sub-promotores, et ipsi *ex officio* testes inducunt (et necessario duos saltem inducere debent) ut quod testes alii dixerint, vel confirment, vel, si id veritas exigat, infirment.

Ex officio quoque ab istis inducuntur testes quos innotuerit vel Servo Dei vel Causae aliquomodo contrarios esse: secus enim gravis excitabitur postea difficultas, quia nempe fautores testes tantummodo auditi fuerint non autem contrarii.

Sunt etiam contestes, ii scilicet qui a testibus in sua testificatione fuerunt nominati utpote de iis quae ipsi enarrarunt edocti. Isti a Judicibus vel a Fiscali seu Sub-promotoribus inducuntur *(Vid. sup. pag.* 31*)*.

Isti omnes, quos uno verbo testes dicemus, quamquam inducti, tamen ad examen accedere nequeunt nisi fuerint citati. Si non citati accederent, testes essent *ultronei* quorum nulla habetur ratio.

Citantur testes ad jurandum et ad testificandum:

sed, exceptis iis qui ex officio inducti sunt, non una eademque die jurare possunt et examinari; quamquam si ita fiat, validum erit examen, maxime si Fiscus non refragetur, et necessitas id exigat. Postquam vero juraverint, necesse non est citationem iterare ut ad examen accedant, sed ex Judicum mandato Actuarius eos de die qua accedere debent monebit.

Quilibet testis separatim ab aliis jurat, genuflexus ac tactis SS. Evangeliis nisi sit Cardinalis aut Episcopus; ac formulae qua juravit ab Actuario descriptae subscribit. Juramentum iterat quando et quoties examinatur, sed non subscribit formulae. Pro testibus qui sint Ordinis Regularis Alumni, aut Sanctimoniales, facultatem petat Postulator ab eorum Superioribus ut jurare et ad examen accedere illi possint: facultatem hanc scripto traditam Judicibus exhibebit.

Juramentum est de veritate dicenda, et de secreto servando. *De veritate dicenda*: testis nempe quidquid novit, sive ipse per se noverit sive per alios, vel in laudem vel in dedecus Servi Dei cedat, vel noceat vel prosit Causae, omnino manifestare debet. *(Causam* dicimus ut uno verbo Processus et super virtutibus et super cultu, fama, miraculis, etc. significemus). Et si Processu absoluto, et etiam in Urbem misso, aliquid meminerit quod Servo Dei aut Causae contrarium sit, et quod cum examinaretur fuerit oblitus; Episcopum de hoc certiorem facere tenetur: in Urbe satis erit si id Promotori Fidei aperiat. *De secreto servando*: scilicet testis nemini manifestare potest ea de quibus interrogatus fuerit, et quae ipse ad Interrogatoria et Articulos responderit, quoad Processus non fiat publici juris. De his tantum cum Judicibus, Promotore Fiscali vel Subpromotoribus et Actuario loqui potest: minime cum

Episcopo si iste juramento sese, uti Judices, non obstrinxerit. Caeterum loqui cum omnibus potest de iis quae ipse de Servo Dei aut de Causa novit, quamquam ea testatus in Sessione fuerit; dummodo ex ipso examine non noverit, et non dicat se de illis testimonium tulisse. Periurius est et poena excommunicationis latae sententiae Summo Pontifici reservatae mulctatur qui falsum dicit, vel occultat veritatem, vel secreti legem violat.

Testes plenum et clarum dabunt responsum ad singula Interrogatoria et ad singulos Articulos: numquam respondeant - *affirmative* - aut - *negative* - eiusmodi enim responsa inutilia omnino sunt: sed quamquam Interrogatorio aut Articulo plene ac minutim factum de quo interrogantur proponatur, factum tamen ipsi plene ac minutim narrent prout noverunt. Advertant etiam ita sibi respondendum esse, ut ad responsum intelligendum necesse non sit Interrogatorium aut Articulum ob oculos habere. Quod si de aliquo testis interrogetur quod ipse jam ad praecedens Interrogatorium respondens plene enarraverit, tum se ad Interrogatorium illud referre potest, quin quae dixerat iterum enarret. Item si quid Articulo aliquo proponatur quod iam ipse ad Interrogatoria respondens plene manifestaverit, potest se ad ea quae ad Interrogatoria respondit, referre.

Testes apertis, claris, aptis, quantum per eos fieri potest, verbis utantur, ne quid obscurum aut dubium maneat, ex quo postea difficultates, non raro graves, excitabuntur. Diligentissimi sint in adiunctis etiam minutioribus enarrandis: quandoque enim fit ut altero ex iis adiunctis praetermisso, dubitatio deinde exurgat an actio illa Servi Dei bona, an mendosa fuerit. Haec eadem servanda sunt cum agitur de Non cultu, de Fama in genere, de miraculis etc.

Quidquid testes enarrant, quomodo noverint aperiant necesse est, sive per sese eorum notitiam acceperint, sive ab aliis audiverint qui testes fuerint oculares aut de auditu, quos nominabunt: sive legerint in historiis: sive publica fama ea vulgaverit: debent enim testes suae scientiae causam diligentissime manifestare: neque Judicum aut Promotoris interrogationem de scientiae causa expectent: ipsi eam praeoccupent. Cum vero in Processu de Non cultu aut de Fama in genere testantur nullo vetito cultu Servum Dei honorari, aut nihil esse quod eius famae adversetur, *coarctare* quoque debent responsionem suam, idest rationem cur id asseveraverint reddere, ex. gr. quia si secus esset non eos lateret etc.

Testantes in Causis antiquis aut super cultu ab immemorabili tempore praestito, debent nominare maiores suos a quibus ea quae testantur audierunt, et etiam maiores maiorum si possint, ut de continuata constet traditione aut de continuato cultu.

Testes antequam ad examen accedant, Articulos petant a Postulatore; illos attente perlegant, et diligenter quae ipsi noverunt in memoriam revocent. Articuli memoriam optime iuvant. Non autem licet testibus testificationem suam iam domi digestam et scriptam Judicibus exhibere, etiamsi iurent verum esse quidquid scripserunt. At licet iis scribere quae testaturi sunt, et coram Judicibus legere quoties scriptum ad Interrogatoria aut ad Articulos respondeat, idem enim esset ac si responderent; et scriptum legitur memoriae iuvandae causa. Ad secreti vero legem servandam, scriptum ipsum Judicibus tradant destruendum.

Si quod habeant testes documentum quod Causae vel prosit vel noceat, Judicibus exhibeant in Processus

Acta inserendum: qua polleat auctoritate documentum illud dicant. Item si quem Causae adversarium noverint, nominent, et etiam quamnam ille fidem mereatur testentur.

Testibus facultas, immo lex est iis quae dixerint addendi aut demendi, vel etiam ea corrigendi, prouti veritas exigat. Facere id possunt in postrema Sessione, cum scilicet legitur quam ipsi tulerunt testificatio. Sed hortamur ut tunc subito id faciant cum adverterint esse faciendum, ne forte postea obliviscantur. Si quid aliter ac ipsi dixerint, vel a Judicibus aut a Fiscali dictatum, vel ab Actuario conscriptum fuerit, aperte ipsi corrigant. Demum testificationem suam ratam habere et confirmare, eique subscribere debent.

Testes antequam ad examen, expedit ut ad sacrum poenitentium tribunal et ad sacram synaxim accedant.

Aliquando ad exterorum hominum testimonia accipienda interpretes adhibentur. Interpretes jurant de munere fideliter implendo et de secreto servando: ac periurii rei fiunt et eadem ac testes excommunicatione puniuntur si a juramento deficiant. Munus hoc diligenter implere idem est ac interrogationes Judicum vel Promotoris, et testis responsa fidelissime ac diligentissime interpretari. Quapropter nemo hoc interpretis munus accipiat, nisi testis idioma et idioma, quo conscribuntur Processus Acta apprime calleat: etenim una phrasis et etiam verbum unum testis non rite redditum, difficultatibus aditum aperire potest.

Interpres a Judicibus destinatur, non autem citatur: jurat prius quam testis, et juramento subscribit: juramenti formulam in idioma quo testis utitur vertit, et advigilat ut ille eam recitet prout oportet, ac Judicibus de ea rite a teste recitata fidem facit: testi-

ficationi a teste prolatae quam ipse interpretatus est una cum teste subscribit. Ab Apostolica Sede venia ejusmodi interpretes adhibendi petatur.

VII.

De Amanuensibus

Postquam publicatus fuerit Processus, traditur Amanuensibus ut eius exemplum seu *Transumptum* conficiant in Urbem deferendum. Amanuenses a Judicibus deputantur: iurant de munere fideliter implendo: ab Actuario accipiunt Processum, ac domi transcribunt. Transcriptione absoluta, Processum ac Transumptum reddunt Actuario coram Judicibus.

Si vero causa sit aliqua cur Transumptum quam citius in Urbem mittatur, Amanuensibus tradi Processus partes possunt etiam prius quam fuerit absolutus, et subinde ac pars ejus aliqua perfecta est: sed Amanuenses tum etiam de secreto servando iurare debent.

Plures deputari possunt Amanuenses, et eo munere fungi etiam potest Postulator, dummodo tamen Processus jam fuerit publicatus.

Amanuenses deputantur aliquando in decursu Processus ad transcribenda, Postulatore instante, documenta ex libris aut scriptis quae asservantur in bibliothecis et tabulariis, et ad alia. Et hi quoque jurant de munere fideliter implendo et etiam de secreto servando, si opus sit, ut superius diximus pag. 17 et 47.

VIII.

De Portitoribus.

Qui deputatur ad Processum in Urbem deferendum et S. R. Congregationi exhibendum, appellatur *Portitor*. Ad officium hoc eligi potest ipse Postulator.

Portitor jurat Transumptum se Romam laturum, ac S. R. Congregationi traditurum. Ab Actuario coram Judicibus accipit Transumptum et Plicum quo custodiuntur *Instrumentum clausurae* Processus et epistolae Judicum ac Promotoris Fiscalis vel Sub-promotorum. Caveat attentissime ne in itinere sigilla frangantur; et optimum erit Transumptum et Plicum capsa lignea vel stanea protegere.

Cum in Urbem pervenerit, adibit Secretariam S. R. Congregationis, Transumptum et Plicum ibi deponet, et Secretarium rogabit ut diem designet qua *formaliter* ipse concreditam sibi traditionem exequi possit. Praestituta die ad Secretariam se conferet, ubi coram Secretario Cancellarius S. R. Congregationis Plicum aperiet, ac perleget *Instrumentum clausurae* Processus. Tunc Portitor suo munere perfunctus est. Si autem in Urbe degat Postulator Generalis aut Principalis, eius utatur consilio et directione: sed Transumptum et Plicum tradere ipse debet, neque ex Urbe discedat antequam id expleverit, nisi forte S. R. C. Secretarius veniam ei discedendi fecerit priusquam Instrumentum clausurae perlegatur, quod deinde perleget Cancellarius absente Portitore.

In Urbe Actuarius ipse deputari solet, ut ad Secretarium S. R. Congregationis deferat Transumptum ac epistolas.

IX.

De aliis in Processuum constructione advertendis.

Quae diximus singulos respiciunt qui Processui concinnando incumbunt. Nunc aliqua dicenda sunt quae *generatim* ad Processuum constructionem referuntur.

Postulator cum Articulos exhibet, declarat nolle se adstringere ad onus superfluae probationis. Hoc Judices et qui Fisci partes agunt firma teneant mente, ne Postulatorem ad immodicas easque, superfluas ferendas cogant impensas. Ex. gr. si dum conficitur Processus Informativus, aut Apostolicus super virtutibus, aliquod dicatur patratum miraculum, Postulator vero nolit de eo miraculo testes examinari quia vel dubitat an vere miraculum sit, vel novit de eo haberi non posse legitimas probationes; superfluum opus agerent Judices et Fiscalis si testes super illo asserto miraculo vellent examinare, nisi forte aliqua urgeat causa, ex. gr, si Judices aut Fiscalis merito vereantur ne falsa vulgentur miracula ad famam sanctitatis propagandam. Si quis ex testibus de aliqua re leviori quam ipse enarraverit (dummodo tamen ex iis non sit quae Causae aliquo modo nocere possint) contestem nominaverit; superfluum esset contestem ad examen vocare. Contra vero haud temperent a vocandis contestibus utilibus si a teste miraculum referri audierint quod efficaciter proponi posse existiment ad Beatificationem assequendam, quamquam nullam de eo notitiam Postulator accepisset. Sic etiam se gerant si testis quidquam prodiderit quod Causae obesse videatur; contestes enim a teste nominati difficultatem testificatione sua explanare possunt,

maxime si testis *ex auditu* fuerit testatus, contestis vero *ex visu* testari possit.

Aliquando Postulatores, cum Acta Processus non italico aut latino idiomate conscripta sunt, petierunt a Judicibus ut ipsi interpretes eligerent qui illa ex idiomate quo conscripta fuerant, in latinum aut italicum converterent. Versio haec quamquam a juratis interpretibus confecta et a juratis Peritis revisa, nullum tamen pondus obtinet legitimae interpretationis, et nova versio ac nova revisio in Urbe per Peritos a S. R. Congregatione vel a Cardinali Causae Ponente designandos peragenda est. Superfluum igitur opus fecerunt Postulatores; quamquam enim a lege novae versionis aliquando solvat Summus Pontifex, numquam tamen solvit a nova revisione. Duplicem igitur Postulatores expensam tulerunt, saltem quod Revisorem spectat.

Judices, Fiscalis, Actuarius, negotio certe laborioso ac molesto dant operam cum Processus conficiunt. Sed mente recolant se negotio illi operam dare, quod in Dei gloriam cedit et in S. Ecclesiae exaltationem. Quapropter omnem adhibeant diligentiam, omne studium; ne nimis properent ad opus illud perficiendum, ex ea namque properatione damnum aliquod Causae obvenire potest; sed etiam ne nimis lenti sint, neque breves habeant Sessiones, ut eas multiplicare admodum oporteat ad testificationes omnes excipiendas: quo enim plures sunt Sessiones, eo maiores perferri a Postulatoribus debent expensae. Cum autem de Processibus Informativis res est, recolant, quo magis producitur tempus ad Processum absolvendum, eo minorem fieri probabilitatem ut qui deinde confici debet Processus Apostolicus, testes habere possit oculares.

Si quod occurrat dubium, si quae difficultas quam neque istis neque aliis Instructionibus solvere tuto valeant; non renuant per Postulatorem alicuius ex harum Causarum Patronis, vel Causae pro qua Processus fit Patroni sententiam exquirere. Quod si res sit quam secreti lex tangat, jam diximus pag. 31 ad quem se vertere debeant.

Decreto Generali S. R. C. die 10 Decembris anno 1870 proposito et a sa me. Pio Papa IX die 22 sequuta confirmato, statutum est *ne deinceps in condendis quibusvis Processibus tam Ordinariis, quam Apostolicis ad ejusdem Servi Dei Causam pertinentibus, eadem persona diversis officiis, ne successive quidem, utcumque priori expleto et dimisso, fungi possit sub poena nullitatis.* Decretum hoc illa officia percellere intelligendum est, quae sunt ad invicem adversantia ; ita ut qui in Processu conficiendo fuerit Judex, Fiscalis, Sub-promotor, Notarius utcumque, Scriba, Nuncius (non loquimur de Portitore quia Portitor nullum in Processu munus obivit, sed tantum Processum absolutum et clausum Romam detulit), in ejusdem Servi Dei Causa, quamquam in diverso Processu, partem agere non possit Postulatoris aut testis, neque Periti (Peritus inter testes recenseri potest), et viceversa : Postulator testis esse nequeat, nec testis Postulatoris munus obire. Brevi, officia ad invicem adversantia sunt: 1° officia quaelibet quae ad Tribunal constituendum pertinent : 2° Postulatoris: 3° testis. Horum officiorum fieri non potest immutatio. Quae vero ad Tribunal pertinent immutari inter se possunt.

Diximus superius (*pag.* 45) prolatas testificationes elata voce legendas ab Actuario esse ut testes eam audiant, ratam habeant, emendent etc. Hanc vero lectio-

nem dictatio ipsa Judicum aut Fiscalis supplere potest. Idem enim est eos dictantes, ac Actuarium legentem audire. Sed si examen pluribus expletum sit Sessionibus, in postrema Sessione omnino legatur tota testificatio. Si autem interpres adhibeatur, lectio illa per interpretem fiat.

Testes aliique qui latinum non callent idioma, juramenti formulam idiomate vernaculo recitabunt.

Etsi Processus nondum sit absolutus, testes tamen novo sunt juramento obstringendi si, postquam suum expleverint examen, iterum ad examen aliqua de causa vocentur.

Varia sunt juramenta quae in hisce Processibus dantur, prouti varia sunt officia: omnia vero servanda sunt *sub poena periurii*: at quando intererit secreti lex, tum servanda sunt etiam *sub poena excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a Summo Pontifice, excluso etiam Majori Poenitentiario, praeterquam in articulo mortis, absolvi quis possit.* Norma haec est *generalis*: sed in aliquibus adiunctis, sub eadem excommunicationis poena servanda sunt juramenta quamquam ad secretum non obstringant: quod speciali edicitur lege. Utramque poenam conceptis verbis enunciare debet formula juramenti quo quisque se obstringit.

Satis de *Monitis Generalibus*. Quae propria sunt cujusque Processus, in Appendicibus, sive Instructionibus pro singulis conficiendis Processibus, quae sequuntur, exponentur.

APPENDIX I.

Instructio pro conficiendo Processu Ordinario Informativo super Fama sanctitatis vitae, Virtutibus et Miraculis.

Series Processuum qui conficiuntur in Causis Beatificationis Servorum Dei incipit a Processu *Ordinario Informativo* qui nempe conficitur ab Ordinario ad *informandam* Apostolicam Sedem de fama sanctitatis vitae, de virtutibus et de miraculis eius Servi Dei cuius Causa promovetur. Magni momenti Processus hic est, tum quia nunquam ferme proponitur in S. R. Congregatione Dubium *de virtutibus heroicis* nisi simul conjunctis Processu Ordinario et Apostolico; tum quia qui testantur in hoc Processu, plerumque de visu testantur, ac pleniores idcirco haberi possunt de Servo Dei notitiae, solidiores probationes, ac facilior difficultates solvendi ratio. Quamobrem quamquam satis esset ad Causam *introducendam* si probationes in Processu Informativo haberenur tantummodo de fama sanctitatis, ac *generice* de virtutibus et miraculis: attamen curandum diligentissime Postulatoribus est ut plene probetur fama sanctitatis et miraculorum; et etiam plene et *in specie* probentur virtutes, et difficultates omnes explanentur: cum enim haud breve tempus labatur necesse est antequam Processus Apostolicus super virtutibus et miraculis *in speeie* conficiatur: interim potiores testes, et e quorum testimoniis ratio solvendi difficultates desumeretur, decedere e vita possunt, aut etiam alio se transferre, ut ad testificandum postea accedere nequeant.

Si autem aliquod feratur patratum miraculum quod proponi utiliter possit ad assequendam Beatificationem, curet Postulator ut de eo *in specie* accipiantur probationes per testes oculares : nam si deinde in Processu Apostolico, vel per eosdem testes oculares Processus Ordinarii; vel per alios etsi numero paucos, dummodo sint oculares, idem miraculum confirmetur: utriusque Processus probationes jungi possunt, et facilior et plenior habebitur miraculi demonstratio. Quae vero agenda sunt ut plene accipiantur de miraculis *in specie* probationes, habentur in *Instructione pro conficiendo Processu super miraculis:* Instructio illa conferatur si in Processu Informativo etiam de miraculis in specie testimonia sint ferenda : Instructio autem praesens est solummodo de Processu Ordinario Informativo super fama sactitatis vitae, virtutibus et miraculis.

Et famae probationem quod attinet, testes adhibendi sunt qui de eius origine, progressu, existentia, diffusione tum in vita, tum post obitum Servi Dei apprime sint edocti, eaque sint prudentia et auctoritate praediti ut recte discernere valeant veram opinionem de sanctitate eius Servi Dei quae insideat in saniore populi parte, prudentioribus ac spectabilioribus hominibus, a rumore vulgi. Fidei Promotor hoc primum omnium severe scrutatur, et nisi fama plene probata sit, graves meritasque suas objicit animadversiones; frustra enim petitur Introductio Causae, si de vera sanctitatis fama non constet.

Testes quot inducendi sunt, Postulatori prudentiae committitur. Major testium numerus erit inducendus in magnis urbibus quam in parvis; ad probandam enim *publicam vocem publicamque famam* eo plures testes sint oportet, quo plures cives. Testium numerus pendet etiam

a conditione vitae Servi Dei: patet enim, ex. gr. non plurimos induci posse testes de virtutibus Servi Dei qui vitam duxerit solitariam: qui vero iis perfunctus sit officiis propter quae publicum quodammodo aut satis apertum duxerit vitae genus; de ejus virtutibus ut plures testimonium ferant opus est. Dicimus *generice* leve esse probationum pondus quae saltem a triginta testibus desumi nequeunt. Nam si modicus adeo testium numerus haberi tantum possit in Processu Informativo; minimus certe erit in Apostolico; et difficile Causa ad bonum exitum procedet.

Caeterum auctoritas ac prudentia testium parvum eorum numerum supplere poterit: quapropter Postulator eos inducat potissimum qui prudentia et auctoritate praecellant: cum vero testes abundant, advertat utiliores eligendos esse ac magis de Servi Dei gestis eruditos, ne inanes aut parum utiles testificationes cumulentur.

Quae adnotanda occurrent in formulis Actorum, ad calcem cujuslibet Sessionis adnotabuntur.

(Formula supplicis libelli Postulatoris)

Illustrissime ac Reverendissime Domine

N. N. specialiter constitutus a...Procurator sive|Postulator in Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N. N... quemadmodum constat ex Mandato Procurae quod reverenter exhibet (1), humillime exponit Dominationi Tuae Illmae ac Rmae praefatum Dei Famulum qui obiit in... die... eam sibi dum viveret sanctitatis famam comparasse ob omnium christianarum virtutum exercitium, eamque adhuc vigere constantem famam, immo auctam, ut plures pii fideles eius apud Deum patrocinium invocent, pluresque docti prudentesque viri di-

gnum illum existiment qui, accedente S. Apostolicae Sedis Judicio, Beatificationis et Canonizationis honoribus decoretur, praesertim quod eo intercedente plura mirabilia patrata ferantnr. Quamobrem idem Postulator tam proprio quam sui mandantis nomine, ad majorem Dei gloriam qui se mirabilem in servis suis ostendere non desinit, Dominationem Tuam enixe adprecatur, ut construere velit auctoritate sua Ordinaria Processum super ea *Fama sanctitatis,* ac super *Virtutibus* et *Miraculis* ejusdem Servi Dei, juxta formam et tenorem Decretorum Generalium S. R. C. et praesertim novissimorum, quae confirmata fuere a Ven. Servo Dei Innocentio Papa XI (2), ne, si ulterior fiat mora, ob Testium obitum probationes pereant. Quod si Dominatio Tua ob gravia negotia id per se ipsam explere non valeat, postulat ut ad hunc effectum deputare dignetur in Judicem Ordinarium suum Vicarium Generalem, vel aliquem alium virum in Dignitate ecclesiastica constitutum, ac duos alios prudentes ac peritos in Judices Adiunctos; Promotorem Fiscalem qui unicuique actui assistat; Notarium aliquem Apostolicum sive Ecclesiasticum qui Acta et Testium testificationes describat; Cursorem sive Nuncium unum aut plures ad citationes et alia jussa exequenda. Et de gratia etc.

(Formula Rescripti Ordinarii Dioeceseos).

Viso hoc supplici libello Nobis porrecto a Postulatore praedictae Causae prouti constat ex Mandato Procurae quod Nobis idem Postulator exbibuit; ac non valentes ob gravia et legitima quibus detinemur impedimenta praesentes assistere constructioni Processus de quo in precibus, juxta formam et tenorem Decretorum Generalium S. R. C. deputamus ad hunc effectum

in Judicem N. N... et in Adjunctos N. N. in utroque Jure Doctorem (aut *graduatum* vel *licentiatum* in Jure Canonico), ac N. N. Sacrae Theologiae Magistrum pro constructione dicti Processus: In Promotorem Fiscalem D. N. N. Fiscalem Nostrae Curiae: in Notarium Actuarium ad Acta et testificationes testium conscribendas N. N. Ecclesiasticum Notarium: in Cursorem seu Nuncium N. N.: praetereaque mandamus eosdem per infrascriptum Nostrum Cancellarium de huiusmodi deputatione moneri ut compareant coram Nobis die ... hora... in... (v. gr. « sacello nostri palatii episcopalis » aut alio sacro loco), commissum sibi munus acceptent, et suum praestent juramentum. Fiscalem vero mandamus citari pro die dicta et hora ut in eodem loco compareat non modo ad munus acceptandum et juramentum praestandum, sed etiam ad videndum et opponendum contra hoc Rescriptum quidquid in Domino videbitur aliaque etc (3). Datum etc. (4).

N. Episcopus — (Sigillum Episcopi).

N. Cancellarius Curiae Episcopalis — (Sigillum eiusdem)

(Formula citionis adversus Fiscalem)

Ex mandato Illmi ac Rmi D. N. Episcopi... citetur Rmus D. N. Episcopalis Curiae N. Promotor Fisci, et in Causa Beatificationis et Canonizationis S. D. N... specialiter in Promotorem Fiscalem deputatus ab eodem Illmo et Rmo D. Episcopo N., ad comparendum die... hora... in... coram praelaudato D. Episcopo et tunc ad videndum et opponendum quidquid in Domino expedire judicaverit contra Rescriptum ipsius D. Episcopi pro inchoatione Processus Ordinarii super Fama san-

/

ctitatis vitae, virtutibus et miraculis praefati Servi Dei heic N. construendi: ad videndum Judicem et Adjunctos per Illmum ac Rmum Episcopum ad Processum delegatos aliosque pariter deputatos juramentum praestare: necnon ad illud per seipsum emittendum, ad formam Decretorum S. R. C. et praecipue novissimorum: aliaque videndum fieri et interponi necessaria et opportuna etc. dicta die hora et loco.

Instante N. Causae Postulatore.

N. N. Cancellarius.

(Formula qua creatur Notarius Ecclesiasticus)

Nos Episcopus N...

Dilecto filio etc.

Quum idoneum Notarium renunciare cupiamus qui Nobis et Tribunali nostro inserviat pro construendis Processibus aliisque agendis in Causis quae apud nos pertractantur (aut tantum « in Causis Servorum Dei »), hinc Nos te, de cuius vitae honestate, fide, diligentia, idoneitate aliisque qualitatibus multiplici testimonio constat, tenore praesentium Auctoritate Nostra Ordinaria et omni alio meliori modo quo possumus in nostrum sive Ecclesiasticum Notarium et Tabellionem pro iisdem Causis et Processibus (aut « pro iisdem tantum Causis et Processibus Servorum Dei ») eligimus ac deputamus cum facultate omnia et singula agendi tam voce quam scripto quae gerere et facere possunt ac debent hac de re Notarii, ita ut tuis scripturis omnis fides habeatur; ac insuper cum omnibus et singulis honoribus et emolumentis, quibus tam de jure quam de consuetudine huiusmodi Notarii Ecclesiastici in similibus uti, frui, potiri, gaudere solent et

debent. Praesentibus ad Nostrum beneplacitum valituris. In quorum fidem etc.

Datum...

N. Episcopus. — (Sigillum).

N. Secretarius.

ADNOTANDA

(1) Si non sit Postulator Generalis aut Principalis, sed Vice–Postulator, tunc scribat: — constitutus a N. N. Postulatore Generali (aut « Principali ») Causae Beatificat. et Canonizat. Servi Dei N. Vice-Postulator Causae eiusdem cum necessariis et opportunis facultatibus, prouti constat etc. —: hoc vero in casu Mandatum Procurationis confirmatum fuerit oportet *legalitate* Cancellarii S. R. Congregationis, qua nempe probetur Mandantem verum esse Causae Postulatorem si hic in Urbe degat; aut legalitate Curiae Ecclesiasticae eius loci in quo Mandans degit. Si autem Mandatum detur a pio aliquo coetu aut sodalitio quod sit juridice constitutum et in eo loco degat in quo Processus est conficiendus, non opus est ea legalitate, cum ipsum Mandatum subscriptione Secretarii et sigillo munitum auctoritatem per se faciat.

(2) In fine harum Instructionum Decreta quae in iisdem Instructionibus nominantur, et alia ponentur.

(3) Fiscalem si non habeat Episcopus, eum creet antequam Rescriptum hoc edat, ut habent *Monita Generalia* pag. 35. Citationem de qua in Rescripto, exequetur adversus Fiscalem Cursor Curiae. Sed etiam potest novus Fiscalis nominari pro constructione Pro–

cessus tantum; quo in casu haec nominatio fiet eodem Rescripto quo alii nominantur.

(4) Fieri potest ut Processus construi debeat in aliquo loco a Sede Episcopali dissito: quando nempe ibi testes commorentur, neque ad locum Sedis Episcopalis accedere possint etc.

Tunc Episcopus, si non habeat quos illuc mittat, deputabit viros qui eo in loco commorantur, et Vicarium ejusdem loci Foraneum aut aliquem alium virum ecclesiastica dignitate insignitum delegabit ad recipienda illorum juramenta: vel etiam constructionem Processus committet Vicario Foraneo aut alteri viro ecclesiastica dignitate insignito, quem Judicem constituet data facultate eligendi Judices Adjunctos, Actuarium Nuncios, datisque aliis facultatibus necessariis et opportunis. At Fiscalem ipse nominet, si eo in loco Fiscalis non sit. Provideat vero ut duo ibi sint Notarii Ecclesiastici, alter enim Acta primordialia, alter caetera Processus Acta conficere debet. Quod si nemo ibi sit ecclesiastica dignitate, aut titulis academicis insignitus, ad S. Sedem recurrat, uti habent *Monita Generalia* pag. 25. Patet hoc in casu aliam debere esse tum supplicis libelli tum Rescripti formulam, quae prout adjuncta ferent scribetur. Diversa etiam erit Rescripti formula si Episcopus vel semper, vel aliquando Sessionibus Processus interesse velit : si vero semper intererit, idest si ipse per se Processum construet, Judices non deputabit.

SESSIO I.

In Dei Nomine Amen.

N. N. (titulus seu appellatio Causae)

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N. N.

Anno a salutifera Domini Nostri Jesu Christi Nativitate Millesimo..... Indictione Romana..... die... hora . . . .

Pontificatus autem SSmi Dni Nostri N. PP. N. feliciter Regnantis anno . . . . .

Coram Illmo et Rmo Dno N. N. Episcopo N. pro Tribunali sedente in Sacello Palatii Episcopalis (aut alio loco sacro) praesentibus N. N. Judice deputato necnon N. N. J. U. D. (aut « Licentatio, etc. ») et N. N. S. T. M. Adjunctis, D. N. N. in Actuarium electo, D. N. N. in Cursorem deputato, omnibus pro his die, hora, et loco praecedenter per me monitis, et D. N. N. Promotore Fiscali ex mandato Illmi ac Rmi D. Episcopi ad hoc citato, Testibusque infrascriptis praesentibus specialiter adhibitis atque rogatis, comparuit N. N. Postulator seu Procurator specialiter constitutus a . . . . prout docuit per literas patentes Mandati Procurae in sui personam factas Dominationi suae Illmae et Rmae alias exhibitas, et nunc reproductas ad quas etc. atque humillime exposuit, praefatum S. Dei N. cum magna fama sanctitatis diem clausisse extremum quae magis magisque diffunditur, unde a pluribus doctis prudentibus authenticis personis Beatorum honoribus dignus reputatur: hinc efflagitat ut Illmus et Rmus Dnus per se vel per Judicem et Adjunctos jam ab eodem Illmo et Rmo Dno Deputatos in suo Rescripto exarato die ..... ad calcem supplicis libelli ab ipso Postulatore eidem R. D. Episcopo porrecti, quod pariter exhi-

buit, Processum Informativum construere velit, et juxta illius Rescripti formam et tenorem devenire dignetur ad juramentum a se, si Processus Actis interesse velit, neque non a Deputato Judice et Conjudicibus, Promotore Fiscali, Notario Actuario, et Cursoribus praestandum, ac simul loca et loca locorum deputari ac praefigi dies et horas tam pro Audientis et Actis publicis praesentis Processus, quam pro examinibus Testium recipiendis ad formam Decretorum generalium S. R. C., et actum ac Decretum aliud quodcumque desuper necessarium et opportunum fieri et interponi in forma, omni etc.

Tunc dictus Illmus et Rmus Dnus Episcopus iis visis et auditis, primum inspexit Procurae Mandatum ac inspiciendum tradidit Promotori Fiscali, qui cum nihil opponendum haberet, illud tamquam legitimum et authenticum admisit et declaravit: cum autem legitima sit Persona Postulatoris in Causa comparentis, ulterioribus ejus supplicationibus annuendo admisit supplicem libellum cum Rescripto deputationis ab eadem Dominatione Sua facto; quod uti integrum genuinum nullaque in parte vitiatum recepit et admisit, et cum Promotor Fiscalis nihil se habere fassus sit adversus illius authenticitatem et integritatem, mandavit ad calcem hujus Sessionis illius tenorem registrari: confirmavit proinde deputationem in Rescripto a se factam, et quatenus opus sit, pro majori cautela, de novo deputavit pro confectione hujus Processus N. N. in Judicem, et in Adjunctos N. N. J. U. D. (aut . . .) et N. N. Sacrae Theologiae Magistrum, in Promotorem Fiscalem qui cuilibet actui assistat N. N., in Notarium Actuarium N. N., et in Cursorem pro exequendis citationibus et juridicis intimationibus N. N. Qui omnes

sibi collatum munus acceptarunt ea qua par est reverentia, et obsequio. Exinde Dominatio Sua Illma et Rma unicuique eorum juramentum detulit, quod immediate unus post alterum reverenter obtemperantes praestiterunt ad contactum Sacrosanctorum Evangeliorum coram se positorum prout infra:

Et primo N. N. Judex genuflexus ac propriis manibus supra Sancta Dei Evangelia positis, juramentum praestitit sequentia recitando verba, videlicet:

Ego N. N. infrascriptus, tactis hisce Sacrosanctis Dei Evangeliis coram me positis juro et promitto fideliter et diligenter adimplere munus mihi commissum circa constructionem Processus Informativi in Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N ad formam Decretorum S. R. C. et praesertim novissimorum, quae confirmata fuere a S. Mem. Innocentio PP. XI., necnon juro et promitto religiose servare secretum tam de contentis in Interrogatoriis per D. Promotorem Fiscalem producendis, quam de Testium depositionibus juxta eadem Interrogatoria et super Articulis, nec de iis loqui cum aliqua persona exceptis Dominis Judice et Conjudicibus, Promotore Fiscali et Actuario pro eodem Processu deputatis, sub poena perjurii et excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam Majori Poenitentiario) praeterquam in mortis articulo absolvi possim, et ita promitto et juro: sic me Deus adiuvet, et haec Sancta ejus Evangelia.

N. N. Judex Deputatus (1).

Deinde Rmus N. N. Juris Utriusque Doctor (aut...) simile praestitit juramentum dicens... (eadem describitur formula per extensum).

N. N. J. U. D. Adjunctus Deputatus.

Postmodum Rmus N. N. Sacrae Theologiae Magister simile emisit juramentum dicens...

N. N. S. Th. M. Adjunctus Deputatus.

Immediate R. D. N. N. Promotor Fiscalis, genuflexus et manibus tangens eadem Sacra Evangelia, juravit ut infra:

Ego infrascriptus N. N. specialiter deputatus in Fiscalem in Causa S. Dei N. tactis hisce Sacrosanctis Dei Evangeliis coram me positis, juro et promitto fideliter et diligenter adimplere munus mihi commissum circa constructionem Processus Informativi in dicta Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei ad formam Decretorum S. R. C. et praesertim novissimorum, quae confirmata fuerunt a S. Mem. Innocentio PP. XI., necnon juro et promitto religiose servare secretum tam de contentis in Interrogatoriis per me producendis, quam de Testium depositionibus juxta eadem Interrogatoria et super Articulis , nec de iis loqui cum aliqua persona exceptis D. D. Judicibus et Notario Actuario pro eodem Processu deputatis sub poena perjurii et excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam Majori Poenitentiario) praeterquam in mortis articulo absolvi possim, et ita juro et promitto: sic me Deus adjuvet et haec Sancta ejus Evangelia.

N. N. Promotor Fiscalis Deputatus.

Deinde D. N. N. in Notarium Actuarium Deputatus sui Notariatus privilegium exhibens mihi traditum, ad effectum illud registrandi in fine praesentis Sessionis, praedictum juramentum genuflexus et ad contactum Sacrorum Evangeliorum praestitit ut sequitur: (eadem est formula ac illa Judicum, usque ad sequentia verba) nec de iis loqui cum aliqua persona exceptis D. D.

Judicibus et Promotore Fiscali pro eodem Processu deputatis sub poena periurii et excommunicationis etc.

N. N. Notarius in Actuarium Deputatus.

Immediate D. N. N. in Cursorem Deputatus suum praestitit juramentum ad contactum Sacrosanctorum Evangeliorum proferens sequentia verba, videlicet:

Ego N. N. Cursor seu Nuncius ut supra deputatus, tactis hisce Sacrosanctis Dei Evangeliis coram me positis, juro et promitto fideliter adimplere munus mihi commissum circa constructionem Processus Ordinarii in Causa Beatificationis et Canonizationis Servi D. N. sub poena periurii; et ita promitto et juro: sic me Deus adiuvet et haec S. ejus Evangelia.

N. N. Cursor Deputatus.

Hujusmodi juramentis expletis, instante eodem Causae Postulatore pro deputatione loci et loci locorum, tam pro Actis publicis praesentis Processus, quam pro juramentis et examinibus Testium, ac pro destinatione dierum et horarum, necnon pro relaxatione citationis contra Promotorem Fiscalem ad dicendum contra Jura et Articulos, videndum Testes induci ac jurare, dandum Interrogatoria, dictus R. D. N. N. Promotor Fiscalis protestatus est nihil fieri nisi in sua praesentia, et nisi prius N. N. Postulator comparens juret de calumnia, et quoad Testium examen, nisi antea exhibitis opportunis Interrogatoriis, quae omnino dare intendit. Quocirca idem Causae Postulator huic protestationi inhaerendo statim calumniae juramentum emisit, quod genuflexus ad Sacra Dei Evangelia praestitit ut sequitur:

Ego N. N. infrascriptus tactis Sanctis Dei Evangeliis coram me positis, juro et promitto, me non eccedere neque accessisse, nec accessurum ad hanc

Causam et confectionem Processus, neque ad aliquem illius actum, odio, amore, timore, seu alio quovis respectu humano, sed solum zelo honoris et gloriae Dei, qui glorificatur in Sanctis suis, et hanc intentionem habet etiam qui me Postulatorem constituit, in cujus animam sicut et in animam meam juro, sub omnibus clausulis in simili calumniae juramento latius contentis et expressis: sic me et dictum Constituentem Deus adjuvet et haec S. ejus Evangelia.

N. N. Postulator in Causa specialiter constitutus.

Hoc autem praestito juramento Illmus et Rmus Dnus Episcopus sedens etc. una cum Delegato Judice atque Adjunctis, omnes simul communi sententia deputarunt pro loco et loco loci Audientiarum et Actorum publicorum praesentis Causae ..... (quilibet locus eligi potest), ac pro loco et loco loci juramentorum et examinum Testium (locus sacer designandus): pro Testibus infirmis aut alio impedimento detentis eorum domus et cubiculum in quo jacent infirmi, pro Monialibus eorum Monasteria et Crates ipsorum Collocutorii, sive fenestram unde ipsae Sacram Eucharistiam suscipiunt. Pro diebus et horis destinarunt omnes dies in posterum decurrendos, exceptis festis in honorem Dei et Sanctorum de praecepto, de mane ab hora ... usque ad horam opportunam, et vespere a meridie usque ad solis occasum, reservata sibi facultate praedicta loca, dies et horas variandi toties quoties opus fuerit, necnon decreverunt futuram Sessionem habendam die ... hora ... et ideo relaxarunt petitam citationem contra D. Promotorem Fiscalem ad comparendum die dicta in ... (describitur locus), mandantes Actuario deputato ut illam extendat et exequendam tradat Cursori deputato, et mihi mandarunt ut postquam in fine praesentis Sessionis registra-

verim tenorem privilegii Notariatus Actuarii deputati ac etiam Notariatus mei ipsius de praemissis rogati, omnia Acta originalia huc usque gesta tradam et consignem D. N. N. Notario ut supra in Actuarium deputato, prout me facturum promisi: et tandem injuncto mihi ut de omnibus in praesenti Sessione gestis publicum Instrumentum conficiam, sese una cum Promotore Fiscali subscripserunt ut sequitur:

N. N Episcopus N. (nominatur Dioecesis).
N. N. Judex Deputatus.
N. N. J. U. Doctor Adjunctus Deputatus.
N. N. S. T. Magister Adjunctus Deputatus.
N. N. Promotor Fiscalis Deputatus
N. N. Notarius in Actuarium Deputatus.
N. N. Testis vocatus.
N. N. Testis vocatus.

Super quibus omnibus et singulis ut supra gestis ego infrascriptus ad praemissa vocatus, hoc praesens publicum Instrumentum confeci.

Actum . . . . . die . . . . . mense et anno ac Pontificatu quibus supra.

Ita est N. N. Cancellarius Episcopalis Curiae N. N. (aut « Notarius Ecclesiasticus » si qui Instrumentium confecit non sit Cancellarius).

(Sigillum Cancellarii aut Notarii)

(Inserenda nunc sunt documenta omnia exhibita prout sequitur:)

Tenor Jurium de quibus supra facta fuit mentio, sequens est, videlicet:

1. Supplex libellus Episcopo a Postulatore porrectus et Rescriptum ipsius Episcopi (inseritur libelli et Rescripti autographon).

2. Tenor citationis contra Promotorem Fiscalem

(inseritur citationis autographo cum relatione Cursoris Curiae: formula huius citationis extat superius).

3. Mandatum Procurae (inseri postet Mandati exemplum nam autographo indigere alias potest Postulator: Notarius vero testetur de concordia exempli cum autographo, quo exemplum fiet authenticum).

4. Privilegium Not riatus per Actuarium supra exhibitum (inseritur exemplum authenticum Litterarum Patentalium quibus Notarius Ecclesiasticus renunciatus fuit).

5. Litterae Patentales Cancellarii Episcopalis de praemissis rogati (vel « Privilegium Notariatus Notarii de praemissis rogati »: inseritur exemplum authenticum).

(Hisce Juribus insertis, Notarius de praemissis rogatus Acta omnia huc usque descripta tradit Actuario deputato, qui testimonium scribet de hac traditione prout sequitur :

Ego N. N. Notarius publicus Ecclesiasticus in Actuarium Deputatus ad conscribendum Processum Ordinaria Auctoritate construendum super Fama sanctitatis vitae, Virtutibus et Miraculis Servi Dei N. N. accepi a D. N. Cancellario Episcopalis Curiae (aut « Notario ») omnia et singula praesentis Processus Acta primordialia, Jura sive documenta suprascripto dictorum Actorum Instrumento contenta. In quorum fidem hanc ei dedi apocham mea subscriptione meoque signo munitam.

Datum... die...

N. N. Notarius in Actuarium
deputatus
(Sigillum Actuarii).

(Apocha haec pariter inserenda. Sed cum autographon penes Notarium ipsum qui Acta tradidit asservetur oportet, inseretur exemplum, quod ipse Notarius de primordialibus rogatus authenticum efficiet hac testificatione:)

Extractum est supradictum exemplum e proprio originali penes me existente, cum quo, collatione facta, concordat, salvo semper etc.

Ita est: N. Cancellarius (aut « Notarius »).

(Post haec Actuarius tradet Nuncio citationem adversus Promotorem Fiscalem quam Judices decreverunt: cujus haec esse potest formula :)

De Mandato Illmi ac Rmi D. Episcopi N. (si ipse intersit Processus Sessionibus) Illmorum N. N. Judicis deputati, N. N. et N. N. Judicum Adjunctorum ad construendum Processum Ordinarium Informativum in Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N. citetur N. N. Promotor Fiscalis ad comparendum coram iisdem Illmis Judicibus die...hora...in...(locus describitur) loco destinato pro Audientiis et Actis publicis praesentis Causae, et tunc ad dicendum contra Jura et Articulos quidquid in Domino expedire judicaverit, illosque videndum ad probandum admitti, necnon induci Testes in Causa examinandos, eisque juramentum deferri : item ad exhibendum Interrogatoria super quibus iidem Testes examinari debeant, et assistendum juramentis et examinibus praefatorum Testium, et actum ac Decretum aliud quodcumque desuper necessarium et opportunum fieri et interponi dicta die et hora.

Instante N. N. Causae Postulatore.

(Subscriptio Actuarii)

ADNOTANDA

(1) Si Episcopus interesse Sessionibus velit, ipse prior jurabit, sed stans, et tacto pectore, ac juret « diligenter adimplere munus assumptum » etc. et omittat postrema illa verba « et haec Sancta ejus Evangelia ». Praestat vero Episcopum jurare etsi interesse aut nolit aut nequeat, ut habent *Monita Generalia* pag. 27. Praestat etiam Episcopum jurare si Processus procul a sua Sede fiat, ut nempe rescire et ipse possit quae secreto tegi debent, et consilio suo Judices juvare. Tunc vero praesentatio supplicis libelli, et Rescriptum, fiet solemniter in Curia, idest praesente Promotore Fiscali citato et Cancellario sive Notario Ecclesiastico : et Episcopus postquam decreverit juramentum a Judicibus aliisque dandum, ipse suum praestet: et Cancellarius de omnibus actis Instrumentum conficiat, adstantibus duobus testibus specialiter vocatis.

Si Episcopus juret, Judices aliique loqui cum eo possunt de testium responsis etc., quapropter dicant in formula sui juramenti « nec de iis loqui cum aliqua persona, exceptis Illmo et Rmo D. Episcopo » etc.

SESSIO II.

In Dei Nomine Amen.

Anno a salutifera Domini Nostri Jesu Christi Nativitate millesimo... Indictione Romana... die vero... hora... Pontificatus autem SSmi in Christo Patris et Dni Nostri N. Divina Providentia PP..... anno.....

Coram Rmis N. N. Judice, et N. N. Adiunctis specialiter ab Illmo et Rmo Dno Episcopo N. N. deputatis in praesenti Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N. pro Tribunali sedentibus in... pro Audientiis et Actis publicis praesentis Causae et Processus specialiter uti loco et loco loci destinato, praesentibus N. N. Promotore Fiscali, Testibus infrascriptis specialiter vocatis, meque Notario Actuario pariter infrascripto, comparuit N. N. Cursor in causa deputatus, et retulit in scriptis se die... personaliter citasse N. N. Promotorem Fiscalem, ad comparendum in hoc loco his die et hora, et videndum fieri prout in originali citatione continetur, cujus exemplum in eius manibus reliquit, et modo originaliter reproducit, una cum relatione executionis in casu, tenoris inferius registrandi. Relatione facta comparuit N. N. Postulator, et repetita citatione jam supra per Nuncium reproducta una cum relatione legitimae illius executionis, in illius termino produxit Positiones seu Articulos super quibus Testes examinari debent, instititque pro eorum admissione, nec non eodem tempore exhibuit aliud separatum folium seu Notulam continentem nomina et cognomina Testium, quos facto induxit, petiitque illis juramentum deferri et successive examinari super dictis Positionibus sive Articulis, salvo jure ac reservata facultate alios Articulos et alios

Testes, quatenus opus fuerit, aut sibi placuerit producendi et inducendi, non se tamen adstringens ad omnes et singulos Testes inductos, aut denuo inducendos, examinandum, etiam in casu quo juramentum ab illis praestitum fuerit, de quo expresse et solemniter protestatus fuit et protestatur, non solum praemisso, sed et omni alio meliori modo etc. Statim vero dictus Postulator tradidit mihi Notario Actuario nonnulla folia continentia dictas Positiones et Articulos, nominaque et cognomina Testium inductorum, et in Causa examinandorum, tenoris pariter inferius registrandi. Petiit insuper Postulator antedictus moneri Dnum Promotorem Fiscalem ad comparendum in.... (scribitur locus) uti loco et loco loci ad recipienda juramenta et examina Testium specialiter, prout in Actis, destinato, et assistendum juramentis ab ipsis Testibus praestandis, et successive dandum Interrogatoria, nec non assistendum eorumdem Testium examinibus, alias videndum etc. et citationem decerni contra Testes inductos ad comparendum in eodem loco et praestandum juramentum, nec non perhibendum veritatis testimonium, sive se subjiciendum examini; et Actum et Decretum aliud quodcumque desuper necessarium et opportunum fieri et interponi in forma etc.

Ex adverso dictus Dnus Promotor Fiscalis contra asserta Jura et Articulos dixit pro nunc generalia verba, salvo jure etc. quoad vero Testes inductos et alios quoscumque in posterum quomodocumque inducendos, protestatus fuit et protestatur non posse deveniri, nec esse deveniendum ad receptionem juramentorum, et examinum eorumdem, nisi in sua presentia, et insuper quod examen non fiat nisi cum Interrogatoriis ab ipso dandis: et in reliquis nihil fieri nisi servata

forma Decretorum generalium atque novissimorum Sacrae Congregationis Rituum, aliisque de jure stylo et consuetudine servandis, alias protestatur de nullitate non solum etc. sed et omni etc.

Tunc praefatae Dominationes Suae Rmae productos Articulos et Testes inductos admiserunt, si et in quantum, et deinde mandaverunt ut in fine praesentis Sessionis per me Notarium Actuarium registretur tenor citationis superius per Nuncium reproductae, una cum relatione illius executionis, atque etiam tenor tum Articulorum per Postulatorem supra productorum, tum etiam Notulae continentis nomina et cognomina Testium inductorum, et demum decreverunt sequentem Sessionem habendam esse die... hora... ad quem effectum monuerunt dictum D. Promotorem Fiscalem ut compareat in... loco et loco loci pro juramentis et examinibus Testium inductorum specialiter destinato, dictis die et hora, et adsistat Testium juramentis, nec non citationem relaxaverunt contra Testes inductos (1) ad praestandum juramentum et successive se subjiciendum examini, ac testimonium veritatis perhibendum; alias cogendos et compellendos per censuras et poenas Ecclesiasticas arbitrio Dominationum Suarum; mihique Notario Actuario mandarunt ut tandem citationem extendam atque exequendam tradam Nuncio, sive Cursori Deputato. Demum injunxerunt pariter mihi Notario Actuario, ut de omnibus gestis in praesenti Sessione publicum Instrumentum conficiam in forma, ac se una cum Promotore Fiscali subscripserunt ut infra:

N. N. Judex Deputatus.

N. N. J. U. Doctor Adiunctus Deputatus.

N. N. S. T. Magister Adiunctus Deputatus.

N. N. Promotor Fiscalis.

N. N. Testis vocatus.

N. N. Testis vocatus.

Super quibus omnibus et singulis sic ut supra gestis, ego Notarius publicus et Actuarius specialiter deputatus, hoc praesens publicum Instrumentum de Mandato dictorum Rmorum Dominorum N. N. Judicis et Adiunctorum Deputatorum confeci et publicavi in forma, et in fidem hic me subscripsi, meumque solitum Notariatus signum apposui.

Datum . . . . die, anno, Pontificatu et loco quibus supra.

Ita est N. N. Notarius Actuarius specialiter Deputatus. (Sigillum Actuarii)

(Inserenda nunc Jura et Documenta prout sequitur:)

1° Tenor Citationis contra Promotorem Fiscalem per Nuncium reproductae.

(Inseritur citatio *originalis* cujus formula extat superius in fine Sessionis antecedentis, et advertendum quamlibet citationem non esse inserendam Sessioni in qua decernitur, sed in fine Sessionis sequentis: in hac enim Sessione Nuncius eam *reproducit*; inserenda vero cum relatione Cursoris de ejus executione, quam relationem ad calcem ipsius citationis scribet semper Nuncius, et quae scribi sic poterit:)

Ego subscriptus Cursor sive Nuncius in praesenti Causa specialiter deputatus, refero ac testor me hesterna die personaliter citasse N. N. Promotorem Fiscalem ad contenta in praesenti Citatione, cujus exemplum, ostenso

prius originali, in ejus manibus reliqui. In fidem etc. Hac die . . . .

N. N. Cursor in Causa specialiter deputatus.

2° Tenor Positionum seu Articulorum quos exhibuit Postulator. (Inseruntur omnes) (2)

3° Notula Testium quos induxit Postulator.

(Notula haec scribi sic poterit a Postulatore:)

N. N. Postulator constitutus in Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N. nominat et inducit Testes quorum nomina sequuntur, eosque petit examinari in Processu Ordinario construendo in hac Curia N. super Fama sanctitatis vitae, Virtutibus et Miraculis praefati Servi Dei N. (describuntur nomina testium eorumque conditio.) Hos itaque Testes petit N. Postulator examinari super Articulis a se exhibitis, servato sibi jure alios etiam inducendi, quatenus et quoties opus fuerit aut sibi placuerit, non se tamen adstringens ad omnes et singulos Testes inductos aut inducendos examinandum, etiam in casu quo juramentum jam ab iis praestitum fuerit.

N. N. Postulator.

Ita est. N. N. Notarius in Actuarium specialiter deputatus. (Sigillum Notarii) (3)

(Absoluta hac Sessione, Actuarius scribet citationes adversus Testes, quas tradet Nuncio ut eas exequatur. Haec esse poterit formula:)

De Mandato Rmi D. N. N. Judicis Deputati, et Rmorum DD. N. N. Adiunctorum specialiter deputatorum ab Illmo et Rmo D. Episcopo N. in praesenti Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N. citetur Testis inferius nominandus a Causae Postulatore inductus ad comparendum coram iis Illmis et Rmis Dominis Judicibus, die . . . . hora . . . . in . . . . loco

et loco loci destinato, et ad praestandum juramentum veritatis dicendae et secreti servandi ad formam Decretorum S. R. C. et successive examini se subjiciendum, alias cogendus et impellendus per censuras aliasque poenas ecclesiasticas ad arbitrium eorumdem Rmorum Judicum infligendas etc.

Instante N. N. Causae Postulatore.

(Nomen Testis.)

N . . . . Die . . . .

N. N. Notarius in Actuarium specialiter deputatus.

ADNOTANDA

(1) Dictum est in *Monitis Generalibus* pag. 49 Nuncios pro singulis citatis testibus singulas scribere debere relationes de citationis executione; quod secum fert ut tot citationes scribere debeat Actuarius, quot sunt testes. Verum in nonnullis Processibus una tantum scripta fuit citatio contra plures testes distinctim nominatos, ac propterea una Nuncii relatio qua singuli citati nominantur. Usus hic reprobatus non fuit a S. R. C.

(2) Articuli prae manibus a Judicibus et Promotore habendi sunt ut super iis testes examinentur: quamobrem vel duplex Articulorum fiat exemplum, quorum alterum heic inseratur, altero interrogantes utantur: vel spatium heic relinquatur, in quo demum, omnium testium expleto examine, Articuli collocentur.

(3) Actuarius postquam documenta ad calcem Sessionum inseruerit, suam etiam apponet subscriptionem

semper « Ita est: N. Notarius in Actuarium deputatus: » et apponet etiam suum sigillum.

SESSIO III.

In Dei Nomine Amen.

Anno a salutifera Domini Nostri Jesu Cristi Nativitate millesimo .... Indictione Romana ..... die vero .... hora .... Pontificatus autem SSmi in Christo Patris et Dni Nostri. N. Divina Providentia PP.... anno . ..

Coram N. N. Judice et N. N. atque N. N. Adjunctis specialiter deputatis ab Illmo et Rmo D. N. N. Episcopo N. in praesenti Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N. pro Tribunali sedentibus in ..... loco et loco loci pro juramentis et examinibus Testium in praesenti Causa examinandorum specialiter destinato, praesentibus N. N. Promotore Fiscali, pro his die hora et loco specialiter monito, Testibus infrascriptis specialiter vocatis, meque Notario pariter infrascripto, comparuit N. N. Nuncius sive Cursor in Causa deputatus, et retulit in scriptis se hesterna die personaliter citasse omnes et singulos Testes in calce originalium citationum descriptos, et ostenso prius originali, in propriis manibus illorum exemplum reliquisse, quas quidem citationes una cum relatione executionis hic facto reproduxit in forma, tenoris inferius registrandi.

Relatione facta comparuit N. N. Causae Postulator' et repetitis citationibus per Nuncium modo reproductis ac relationibus executionis illarum, in earum termino,

sicut et in termino monitionis in praeterita Sessione factae antedicto Dno Promotori Fiscali, reverenter petiit et institit deferri Testibus inductis atque citatis juramentum de veritate dicenda et secreto servando, et successive destinari diem et horam pro inchoando illorum examine, et ad hunc effectum moneri tam dictum Dominum Promotorem Fiscalem, quam Testem primo loco examinandum, ut compareant in hoc eodem loco, die et hora destinandis, atque ipse Promctor Fiscalis producat Interrogatoria, et idem Testis se subjiciat examini; et Actum et Decretum aliud quodcumque desuper necessarium et opportunum fieri et interponi in forma etc. omni etc.

Ex adverso dictus Dominus Promotor Fiscalis hic praesens dixit nihil fieri nisi se praesente, et ad Testium examen super Articulis non deveniri, nisi prius examinati fuerint super Interrogatoriis, quae ipse omnino dare intendit: in reliquis servari formam Decretorum generalium et novissimorum S. C. R. alias protestatus fuit et protestatur de nullitate omnium actorum et agendorum non solum etc. sed et omni etc.

Et tunc praefati D. D. Judex et Adjuncti Deputati visis et auditis praedictis, mandarunt mihi Notario, ut in fine praesentis Sessionis registrem tenorem citationum per Nuncium reproductarum una cum relationibus illarum executionis; et deinde Testibus inductis juramentum detulerunt, quod illi unus post alium separatim genibus flexis, et tactis Sanctis Dei Evangeliis praestiterunt, ut infra sequitur, videlicet:

Et primo N. N. Testis inductus et citatus suum praestitit juramentum ut infra:

Ego infrascriptus N. N. tactis his Sacrosanctis Dei Evangeliis coram me positis, juro et promitto dicere

veritatem tam super Interrogatoriis, quam super Articulis super quibus examinabor in Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N... necnon juro et promitto religiose servare secretum, nec alicui penitus revelare tam contenta in iisdem Interrogatoriis, quam responsiones et depositiones a me faciendas super iisdem et super Articulis, nec de iis loqui cum aliqua persona, exceptis Illmo et Rmo D. Episcopo N. (si Episcopus juravit) et Dominationibus Vestris Judice et Adiunctis, R. D. Promotore Fiscali, et Notario Actuario ad Causam deputato, sub poena perjurii et excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam Majori Poenitentiario) praeterquam in mortis articulo absolvi possim. Ita promitto et juro, sic me Deus adjuvet et haec Sancta ejus Evangelia.

(Subscriptio testis) N. N. Testis juravi ut supra.

(Sic caeteri testes jurabunt, latino vel vernaculo idiomate, juxta eorum intelligentiam, et subscribent, vel si scribere non valent, crucis signum apponent.)

Quibus juramentis sic ut supra praestitis, antedicti Rmi Dni N. N. Iudex atque N. N. Adiuncti Deputati, mandaverunt inchoari Testium examen die... hora... et ad hunc effectum monuerunt dictum N. N Promotorem Fiscalem ut compareat in hoc eodem loco (1) dictis die et hora, et assistat examini primi Testis, exhibeatque Interrogatoria (2) super quibus Testes examinari debeant alias etc. et respective monuerunt N. N. Testem primo loco examinandum (3) ut compareat et se examini subjiciat, et deinde injunxerunt mihi Notario Actuario, ut de omnibus gestis in praesenti Sessione publicum Instrumentum conficiam in forma, et tandem se una cum Promotore Fiscali subscripserunt ut infra:

N. N. Iudex Deputatus.

N. N. J. U. D. Adjunctus Deputatus.

N. N. S. T. Mag. Adjunctus Deputatus.

N. N. Promotor Fiscalis.

N. N. Testis vocatus.

N. N. Testis vocatus.

Super quibus omnibus et singulis sic ut supra gestis ego Notarius publicus et Actuarius specialiter deputatus, hoc praesens publicum Instrumentum de mandato Dominationum Suarum Judicis et Adiunctorum confeci et publicavi in forma: et ideo in fidem hic me subscripsi meumque solitum Notariatus signum apposui.

Actum die, mense, anno, Pontificatu et loco quibus supra.

Ita est. N. N. Notarius publicus in Actuarium specialiter deputatus. (Sigillum Actuarii)

(Hic inseruntur citationes contra Testes).

Tenor vero citationum contra singulos Testes per Nuncium reproductarum est qui sequitur:

(Formula citationis superius extat in fine Sessionis antecedentis; formula vero relationis executionis a Cursore ad calcem cujuslibet citationis scribendae, haec esse potest:)

Ego subptus Nuncius in praesenti Causa specialiter deputatus, refero ac testor me hesterna (aut alia) die personaliter citasse N. N. ad contenta in praesenti citatione, cujus exemplum, ostenso prius originali, in ejus manibus reliqui. In fidem etc. Die....

N. N. Cursor deputatus.

(Si quis ex testibus Regularis Ordinis sit alumnus, inserenda est venia eidem a praeside facta ut jurare et examinari possit)

Tenor licentiae pro testibus Regularibus est qui sequitur...

Ita est: N. N. Notarius in Actuarium deputatus.

ADNOTANDA

(1) Si locus idem est, sufficit monitio; si diversus, citari debet Promotor; et sic semper.

(2) Illa dies pro futura Sessione erit destinanda, qua Promotor Fiscalis sua Interrogatoria commode et diligenter exarare potuerit.

(3) Iudices quem velint designabunt primo examinandum ex inductis a Postulatore testibus; sed, quantum fieri possit, ipsorum testium commoditati, et Causae utilitati prospiciant. Testes senes, valetudinarios, priusquam caeteros, ad examen vocent. Non officit si testis examinetur post longum temporis intervallum a die quo juravit: sed si annus elapsus fuerit, satius erit eum denuo citari et juramentum iterare.

SESSIO IV.

In Dei Nomine Amen.

Anno a salutifera Dni Nostri Iesu Christi Nativitate millesimo.... Indictione Romana.... die vero... hora.... Pontificatus autem SSmi in Christo Patris et Dni Nostri N. Divina Providentia PP.... anno....

Coram N. N. Judice et N. N. atque N. N. Adiunctis specialiter ab Illmo et Rmo Dno Episcopo N. deputatis in praesenti Causa Beatificationis et Canonizationis S. D. N. pro Tribunali sedentibus in.... loco et loco loci pro juramentis et examinibus Testium in praesenti Causa examinandis specialiter destinato, praesentibus N. N. Promotore Fiscali, meque infrascripto Actuario, comparuit N. N. Postulator in Causa constitutus, et in termino monitionis in praecedenti Sessione factae tam dicto D. Promotori Fiscali quam D. N. N. Testi primo loco examinando, reverenter petiit inchoari ejusdem Testis hic praesentis examen, item prosequi et absolvi, et Decretum insuper quodcumque necessarium et opportunum fieri et interponi in forma etc.

Ex adverso dictus Dnus Promotor Fiscalis ibidem praesens facto exhibuit Plicum clausum et sigillatum continentem Interrogatoria, super quibus petit et inat Testes omnes et singulos examinari, priùsquam examinentur super Articulis; completo autem sive suspenso cujuslibet Testis examine petit quod dictus Plicus claudatur et obsignetur, una cum depositionibus Testis examinati, non aperiendus nisi in actu futurae Sessionis seu examinis; similem clausuram et aperitionem respective in principio et fine cujuslibet Sessionis servandam et adhibendam esse dixit, et ulterius institit quod ante inchoationem examinis cujuslibet Testis, denuo deferatur ipsi Testi examinando juramentum alias praestitum, et in reliquis servetur forma Decretorum generalium et novissimorum S. R. C. aliaque adimpleantur de jure, stylo et consuetudine servanda et adimplenda, alias protestatus fuit et protestatur de nullitate examinum et totius Processus non solum etc. sed et omni etc.

Quibus visis et auditis, praefati Rmi Dni Judex atque N. N. Adiuncti Deputati mandarunt inchoari examen N. N. Testis inducti, citati atque jurati, cui denuo detulerunt juramentum de veritate dicenda, et secreto religiose servando, quod ille iterum praestitit genibus flexis et manu imposita super librum Evangeliorum repetendo eadem praecisa verba alias in Actis registrata dicens: « Ita promitto et juro, sic me Deus adjuvet et haec SS. ejus Evangelia: » et postea mandaverunt ex hoc loco discedere Causae Postulatorem, prout ille statim recessit, et clausis foribus jusserunt aperiri Plicum Interrogatoriorum, quem clausum et sigillatum exhibuit D. Promotor Fiscalis. Quo quidem Plico statim per me Notarium de mandato etc. aperto, deventum fuit ad examen dicti Testis, qui ad interrogationes sibi factas a Promotore Fiscali dixit et deposuit prout infra, et ego Notarius Actuarius ad dictamen ejusdem Promotoris, Testis responsiones de verbo ad verbum nihil penitus addito dempto aut immutato, eodem quo ab ipso relatae sunt idiomate descripsi et registravi ut infra, videlicet:

Juxta primum Interrogatorium, Recte respondit. (1)

Juxta secundum Interrogatorium, respondit . . .

(Testis examen nisi expleri in hac Sessione possit, suspendatur, et toties iteretur quoties opus erit ut expleatur super Interrogatoriis et super Articulis. Hac vero posita suspensione, sic absolvetur Sessio):

Et attenta horae tarditate, suspensum fuit examen dicti Testis N. animo illud reassumendi et continuandi die .... in hoc eodem loco, ad quem effectum moniti fuerunt a dictis DD. Judice et Adiunctis tam idem Testis quam Promotor Fiscalis, ut compareant in hoc eodem loco dictis die et hora, et Testis iterum examini se subj-

iciat, Promotor vero adsistat. Deinde ego Notarius eidem Testi perlegi ejus depositionem, data facultate addendi, minuendi, corrigendi si quid etc. Ipse vero eam ratam habuit et confirmavit (vel « . . . . Ipse vero addidit » aut « minuit » aut « correxit sequentia quae ego dictante Rmo N. fideliter descripsi, videlicet . . . Quibus additionibus per me Notarium eidem Testi perlectis, ipse depositionem suam totam ratam habuit et confirmavit ») et injuncto ei a DD. Judicibus ut se subscriberet, illico accepto calamo subscripsit ut sequitur:

Ego N. N. Testis ita pro veritati deposui.

(Subscribet vernaculo idiomate testis si latinam linguam non calleat, et signum crucis efformabit, si scribere non valeat. Omitti autem potest lectio hujus partis testificationis quam supplere valet ipsa Promotoris dictatio; sed fiet lectio totius testificationis in postrema Sessione quando examen expletum fuerit super Interrogatoriis et super Articulis, ut commoditas detur testi omnia bene in memoriam revocandi si quae addenda etc. habeat. Si lectio ejus partis testificationis omittatur, tunc facta a Judicibus monitione testi et Promotori ut praestituta die iterum accedant, statim Notarius scribat « Et injuncto ei a D. D. Judicibus ut se subscriberet etc. » deinde sequitur Notarius:)

Dimisso praedicto Teste Rmi N. N. Judex et Adiuncti mandaverunt mihi Notario Actuario ut clauderem et sigillo Rmi Judicis ad hoc mihi tradito (2) obsignarem Interrogatoria et Testis depositiones, non aperienda nisi in actu futuri escaminis; et ego coram ipsis statim clausi et obsignavi prout in mandatis habui; deinde mihi iniunxerunt ut de omnibus sic ut supra gestis Instrumentum conficiam ac demum cum Promotore Fiscali sese subscripserunt ut sequitur:

N. N. Judex Deputatus.

N. N. Judex Adiunctus.

N. N. Judex Adiunctus.

N. N. Promotor Fiscalis.

Super quibus omnibus et singulis sic ut supra gestis ego Notarius in Actuarium specialiter deputatus hoc praesens Instrumentum confeci in forma etc. Ideo in fidem hic me subscripsi, meumque solitum Notariatus signum apposui.

Actum die, mense, anno, Pontificatu et loco quibus supra.

Ita est. N. N. Notarius in Actuarium deputatus. (Sigillum Notarii).

ADNOTANDA

(1) Primum Interrogatorium nil aliud est quam admonitio de gravitate et juramenti periurii, de poenis quibus periurii puniuntur etc. ac propterea nil aliud respondere potest testis quam se id novisse aut intellexisse: idoque dicitur « Recte respondit. »

Leguntur testi Interrogatoria et Articuli, sed non describitur eorum *tenor*, ac solummodo dicitur « Juxta primum Interrogatorium respondit... Ad primum Articulum dixit..... » Sed describuntur *per extensum* interrogationes quae in actu examinis pro re nata fiunt ex officio vel a Judicibus vel a Promotore. In testis responsis scribendis non tertia sed prima adhibeatur persona, ex. g. « respondit: Novi Dei Servum etc. » non autem « repondit se novisse Dei Servum etc. » Sed si ad aliquid Interrogatorium aut ad aliquem Articu-

lum nil habeat testis quod respondeat, scribatur « Juxta Interrogatorium (ex. gr. 11) respondit se nihil scire », heic enim adhibetur persona tertia, nam nullum heic est periculum immutationis verborum testis. Et si ad plures succesivos Articulos nil habeat testis quod respondeat, Actuarius scribere potest, ex. gr. « A decimoquarto Articulo ad vigesimum dixit se nihil scire ».

(2) Notarius reddere semper debet sigillum Judici postquam obsignationem explevit.

SESSIO V.

In Dei Nomine. Amen,

Anno.. Indictione ..... die vero... hora.... Pontificatus...

Coram... pro Tribunali sedentibus in... praesentibus N. N. Promotore Fiscali, meque Notario Actuario infrascripto, comparuit N. N. Causae Postuator et in termino monitionis in praeterita Sessione factae institit penes Rmos Judices pro prosecutione examinis N. N. Testis alias inducti, citati, jurati et ex parte examinati.

Ex adverso R. D. N. Promotor Fiscalis protestatus est nihil fieri nisi se ipso praesente, et nisi servata forma Decretorum etc... alias etc...

Tunc, ex mandato Rmorum Judicum, praedicto N. N. Testi delatum iterum fuit juramentum quod ille praestitit genuflexus, tactis Sacrosanctis De Evangeliis, juxta eamdem formulam alias in Actis registratam, et dicens « Ita promitto et juro. Sic me Deu adjuvet, et haec Sancta ejus Evangelia »: ac postea njuncto Postulatori ut discederet, et postquam ipse dicessit, clau-

sis januis ac manentibus in hoc loco solis Rmis dictis Judicibus, Promotore, et dicto Teste, ego Notarius exhibui plicum Interrogatoriorum, et Testis depositionis clausum et obsignatum: quem cum Rmi Judices recognovissent illaesum, ex eorum mandato aperui, et continuatum fuit examen dicti Testis, prout infra sequitur:

Et juxta Interrogatorium..... respondit.....

(Si testis in praecedenti Sessione, quando suspensum fuit examen, responsum suum ad Interrogatorium super quo examinabatur non expleverit, dicatur « Et prosequendo juxta Interrogatorium... dixit... »

Expletis omnibus Interrogatoriis, examinetur testis super Articulis prout sequitur:)

Et expletis Interrogatoriis deventum est ad examen super Articulis a Causae Postulatore exhibitis, ut infra, videlicet:

Ad Articulum primum interrogatus dixit...

(Aliquando testis nil habet quod ad Articulos respondeat: tum scribat Notarius:)

Et expleto examine super Interrogatoriis deventum est ad examen super Articulis a Causae Postulatore exhibitis, super quibus N. N. Testis dixit se tantum scire quantum supra deposuit super Interrogatoriis.

(Deinde):

Et sic absoluto praedicti Testis examine (vel « Et absoluto examine praedicti Testis etiam super Articulis » si ad Articulos testis respondit), de mandato Rmorum Judicum integram Testi depositionem perlegi, data ei facultate addendi, minuendi, corrigendi si quid etc. Ipse vero ratam habuit et confirmavit. (Si quid addidit, minuit, correxit, jam dictum est in Ses-

sione IV quomodo scribendum). Et injuncto ei a Judicibus ut se subscribere, illico accepto calamo subscripsit ut sequitur:

N. N. Testis ita pro veritate deposui.

Dimisso autem praedicto Teste, Rmi D. D. N. N. Judex et Adjuncti destinarunt diem... horam... et hunc locum ad examinandum N. N. alterum Testem alias inductum citatum et juratum, per me ex Rmo Judicum mandato monendum ut compareat et examini se subjiciat, et ipsi Rmi Judices monuerunt Promotorem Fiscalem ut compareat, et examini adsistat. Deinde iidem Rmi Judex et Adjuncti, mandaverunt mihi Notario ut clauderem et sigillo Rmi Judicis obsignarem Interrogatoria et testis depositionem, non aperienda nisi in actu futuri examinis; et ego coram ipsis statim clausi et obsignavi, prout in mandatis habui; deinde mihi injuxerunt ut de omnibus supra gestis Instrumentum conficiam, ac sese demum susbripserunt cum Promotore Fiscali ut sequitur:

N. N. Judex Deputatus

N. N. J. U. D. Judex Adjunctus

N. N. S. Th. M. Judex Adjunctus.

N. N. Promotor Fiscalis.

Super quibus omnibus et singulis sic ut supra gestis, ego Notarius in Actuarium deputatus, hoc praesens Instrumentum confeci in forma etc. Ideo in fidem hic me subscripsi, meumque solitum Notariatus Signum apposui.

Actum... die, mense, anno, Pontificatu et loco quibus supra.

Ita est. N. N. (subscriptio et sigillum Actuarii).

SESSIO VI.

In Dei Nomine. Amen.

(Poterit haec Sessio esse VII aut VIII etc. juxta numerum Sessionum quae habitae sunt ad primum testem examinandum).

Anno... Indictione Romana.. die vero... hora... Pontificatus...

Coram... pro Tribunali sedentibus in... praesentibus N. N. Promotore Fiscali, meque infrascripto Notario Actuario, comparit N. N. Postulator in Causa constitutus, et in termino monitionis in praecedenti Sessione factae tam dicto Promotori Fiscali, quam D. N. N. per me monito Testi secundo loco examinando, reverenter petiit inchoari ejusdem Testis examen, item prosequi et absolvi, et Decretum insuper quodcumque necessarium et opportunum fieri et interponi in forma etc.

Ex adverso dictus Dnus N. N. Promotor Fiscalis dixit et protestatus fuit nihil fieri nisi ipso praesente, et iterato prius juramento per Testem ad Sacrosancta Dei Evangelia de veritate dicenda et secreto servando, servataque in omnibus forma Decretorum generalium et novissimorum Sacrae Congregationis Rituum, instans et petens ut Testis debeat primo examinari super omnibus et singulis Interrogatoriis a se Promotore exhibitis, et nunc clausis et obsignatis penes me Notarium Actuarium asservatis, et deinde super Articulis a Causae Postulatore productis.

Quibus visis et auditis praefati D. N. Judex et N. N. Adjuncti mandarunt inchoari dicti Testis examen, cui

denuo delatum fuit juramentum de veritate dicenda et secreto religiose servando, quod ille praestitit flexis genibus et tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis, juxta eamdem formulam alias in actis registratam, et dicens « Ita promitto et juro, sic me Deus adjuvet et haec Sancta ejus Evangelia » ; ac postea mandarunt discedere Postulatorem, qui statim discessit, clausisque januis ac manentibus in hoc loco solis dictis Rmis Judicibus, Promotore Fiscali, et praefato Teste, ego Notarius exhibui plicum Interrogatoriorum et depositionum Testium huc usque receptarum clausum et obsignatum, quem cum Rmi Judices recognovissent illaesum, ex eorum mandato aperui, et deventum fuit ad examen dicti Testis, qui ad interrogationes sibi factas a Promotore Fiscali, dixit et deposuit prout infra ; et ego Notarius Actuarius ad dictamen ejusdem Promotoris, Testis responsiones de verbo ad verbum, nihil penitus addito dempto aut immutato, eodem quo ab ipso relatae sunt idiomate descripsi et registravi, videlicet:

Juxta primum Interrogatorium.....

(Habentur jam formulae prosecutionis, suspensionis et absolutionis Sessionum. Nunc variae ponuntur formulae ad varios casus accomodatae.)

§ I.

Inductio novorum Testium

(Inductio haec, nisi quid urgeat, fit expleto examine omnium testium, quos jam Postulator induxerat. Cum igitur postremus testis suae testificationi subscripserit et abierit, sic Sessio continuabitur:)

Dimisso autem praedicto Teste, Rmi DD. NN. Judex et Adiuncti, mandaverunt mihi Notario ut clauderem et obsignarem sigillo Rmi Iudicis Interrogatoria et testis depositiones huc usque receptas, non aperienda nisi in actu futuri examinis, et ego coram ipsis statim clausi et obsignavi prout in mandatis habui. Deinde injunxerunt ut fores aperirem, quibus apertis ingressus est D. N. N. Causae Postulator, qui juxta facultatem sibi ab initio reservatam novos testes quatenus opus sit et sibi placuerit inducendi, induxit DD. NN. Testes in Causa examinandos, (aut D. N. N. Testem in Causa examinandum) petens illos admitti eisque juramentum deferri in forma etc. illosque examinari, non se tamen adstringens etc. ut in priorum Testium inductione.

Ex adverso D. N. Promotor Fiscalis renovavit protestationes jam factas in Sessione II. etc.

Tunc Dni Judices Testes inductos admiserunt si et in quantum, et decreverunt Sessionem pro recipiendo eorum juramento et examine habendam esse in hoc eodem loco, die . . . hora . . . et monuerunt dictum Promotorem Fiscalem ut compareat et adsistat eorum Testium juramentis, nec non decreverunt expediri citationes contra Testes dictos ad praestandum in hoc eo-

dem loco jurámentum, et successive examini se subjiciendum ac testimonium veritatis perhibendum, alias cogendos et compellendos per censuras et poenas ecclesiasticas ad arbitrium etc; item mandarunt mihi ut in fine registrem notulam novorum Testium inductorum, et de omnibus his publicum Instrumentum conficiam in forma, ac tandem se una cum Promotore Fiscali subscripserunt, ut infra:

N. N. Judex Deputatus.

N. N. Judex Adiunctus.

N. N. Judex Adjunctus.

N. N. Promotor Fiscalis.

Super quibus omnibus et singulis sic ut supra gestis, ego Notarius Actuarius deputatus hoc praesens Instrumentum confeci in forma etc.

Datum die et loco uti supra.

Ita est N. N. Notarius Actuarius specialiter deputatus.

(Sigillum Notarii)

Notula novorum Testium inductorum (aut « Nomen Testis novi inducti . . . »)

(Sessiones autem pro juramento et examine novorum testium, eodem modo habebuntur et describentur, ac pro caeteris testibus de quibus supra. Sed aliquando causa urget cur novus testis inductus examinari debeat priusquam caeteri jam initio Processus inducti examinentur, imo etiam priusquam absolvatur testis alicuius jam inceptum examen. Tum vero Judices, si examen suspendatur, diem futuri examinis illi testi non constituent, et scribetur in actis « . . . suspensum fuit examen animo illud continuandi die designanda de qua

monebitur Testis....»; deinde postquam testis abierit, Sessio continuabitur uti supra, et in Sessione sequenti novus testis postquam juraverit, illico examinari poterit annuente Promotore ; ac scribetur «... Quo juramento sic praestito, cum moram Testis pati non possit, annuente D. N. Promotore Fiscali, Rmi Judices decreverunt illico procedere ad examen dicti testis, et ideo mandarunt discedere Postulatorem... etc »,.

Neque solum ad examinandum novum testem, sed etiam ad examinandum aliquem ex iis quos primo induxerat Postulator, vel quia aegrotaverit, vel quia discedere debeat, suspensio haec examinis fieri potest Postulatore petente, cujus petitionem Actuarius describet ex: gr. « Ingressus est Postulator qui cum sciverit Testem N. inductum et juratum discedee ex urbe debere, vel... Rmos Judices rogavit ut suspenso Testis N. examine, ad examinandum alterum Testem N. procederent etc. ». Si vero examen non suspendatur, quod absolutum jam fuerit, Judices, dimisso teste, non mandabunt moneri alterum testem ex inductis, sed clausis Interrogatoriis et testificationibus, Postulatorem recipient etc.

Patet autem Judicibus jam antea significandum esse consilium Postulatoris de novis testibus inducendis, vel necessitatem suspendendi examinis incepti et alterius testis illico examinandi.)

§ II.

Inductio et examen Monialium.

(Inducuntur Moniales eodem modo ac novi testes de quibus nuper diximus; sed Postulator exhibere debet veniam ab Antistita aut ab alio qui Monialibus

praesit, factam Monialibus jurandi et sese examini subjiciendi: ac petet eis deferri juramentum « praevio accessu ad Monasterium ». Judices autem sic decretum edent:)

Tunc Rmi DD. Judices Moniales testes admiserunt si et in quantum, et decreverunt Sessionem pro recipiendo earum juramento et examine habendam esse in... (« collocutorio » aut « Ecclesia » vel alio loco sacro jam in prima Sessione designato), et decreverunt expediri citationem tam contra Promotorem Fiscalem, ut in eo loco compareat et adsistat illarum Monialium juramentis, quam contra Moniales ipsas ad praestandum in eo dicto loco juramentum et successive examini sese subjiciendum ac testimonium veritatis perhibendum, alias cogendas etc. (Alia sequuntur quae jam superius extant.)

(Formula citationis contra Promotorem et testes descripta fuit: loci tantum designatio est immutanda. Praestituta die, Judices, Promotor, Actuarius Monasterium adibunt, et in designato loco Monialium juramenta excipient, ac postea destinabunt diem ad inchoandum Monialium examen. Prouti patet, omnia agenda sunt eodem modo ac pro examine caeterorum testium. Si autem Moniales inductae fuerint a Postulatore una cum aliis testibus, in Judicum arbitrio est Monasterium adire ad juramenta excipienda vel antequam testium examina inchoentur, vel postquam reliquos testes examinaverint. Hoc in casu Judices ex sese agent, nec nova petitione Postulatoris opus est. Advertimus Judices eadem perdurante Sessione posse alio se transferre, ex. gr. ex loco in quo aliorum testium receperunt juramentum, ad Monasterium. Notarius de-

scribet tum hanc translationem, tum continuationem Sessionis.)

§ III.

Inductio et examen Testium aegrotantium.

(Nihil novi heic occurrit, nisi quod aliquantulum diversa est citationis formula, dicitur enim « De mandato etc. citetur N. N. ut die... coram iisdem Rmis Judicibus in suo ipso cubiculo praestet juramentum etc. et successive examini se subjiciat etc. »

§ IV.

Exhibitio novorum Articulorum.

(Fieri potest ut postquam nonnulli ex testibus inductis examinati fuerint, prodigiose quis a morbo aliquo sanatus fuerit, intercessione Servi Dei advocata. Si Postulator de hac sanatione inquisitionem fieri velit, novos Articulos exhibebit, et petet super illis examinari testes vel jam inductos et examinatos, si isti de sanatione illa testimonium ferre queant, vel alios quos apposite inducet. Priores testes quod attinet, si jam examinati fuerint, iterum citandi sunt ac novo juramento adstringendi (cfr. *Monita generalia* pag. 60), non item si nondum ad examen accesserint, aut non expleverint. Ponitur heic formula exhibitionis novorum Articulorum, quae mutabitur juxta rerum adiuncta:)

Dimisso praedicto teste etc. ingressus est N. Postulator Causae, qui dixit se juxta facultatem sibi ab initio reservatam producendi novas Positiones seu Ar-

ticulos dixit se habere novos Articulos exhibendos, quos de facto exhibuit, addendos iis quos jam exhibuerat, institítque pro eorum admissione, nec non eodem tempore exhibuit etiam separatum folium seu notulam continentem nomina et cognomina Testium, quorum alios facto induxit, alios de novo inducit, eos videlicet quos jam antea induxerat et examinati jam sunt, petiitque illis juramentum deferri et successive tum eos tum caeteros testes omnes jam primitus a se inductos examinari super dictis novis Articulis, salvo jure ac reservata facultate etc.(uti supra in Sess. II.cum primi testes inducti sunt).

Ex adverso Dnus Promotor Fiscalis etc. (uti supra).

Tunc Rmi Judices etc. productos Articulos et Testes inductos vel de novo inductos admiserunt si et in quantum, et deinde mandaverunt in fine praesentis Sessionis per me Notarium Actuarium registrari Tenorem novorum Articulorum per Postulatorem productorum (1), et etiam tenorem notulae continentis nomina et cognomina testium inductorum, et demum decreverunt sequentem Sessionem habendam esse die ..... hora .... ad quem effectum monuerunt dictum D. Promotorem Fiscalem ut compareat in ... loco et loco loci pro juramentis et examinibus Testium inductorum specialiter destinato, dictis die et hora et adsistat testium juramentis, nec non citationem relaxaverunt contra Testes inductos etc. (uti supra in Sessione cit.).

(Habenda est, uti patet, Sessio ad recipienda horum testium juramenta, et deinde aliae Sessiones ad eos examinandos (2).

Pro formula « jusserunt aperiri plicum Interrogatoriorum quem clausum et sigillatum exhibuit dictus Dnus Promotor Fiscalis » ... dicatur « Promotor exhibuit

Plicum novorum Interrogatoriorum clausum et sigillatum, quem ex mandato Rmorum Judicum ego Notarius aperui, et Interrogatoria in eo contenta adnexui aliis Interrogatoriis jam antea ab eodem Promotore exhibitis quae una cum Testium depositionibus servabantur in altero Plico quem ego Notarius exhibui clausum et absignatum, et cum iidem Rmi Judices recognovissent illaesum, aperui: et deventum est ad examen dicti testis etc.».)

ADNOTANDA

(1) Quando conficietur *Transumptum* Processus, Amanuenses horum novorum Articulorum exemplum scribant et adnectant aliis Articulis jam antea a Postulatore exhibitis, descripta die et Sessione in qua exhibiti sunt; in cujus Sessionis fine scribant « Tenor Novorum Articulorum. Adnexi sunt hi novi Articuli aliis jam a Postulatore in Sessione II. productis.»

(2) Testes jam examinati et nunc de novo inducti, non examinandi sunt super Interrogatoriis generalibus, sed tantum super novis Interrogatoriis et novis Articulis. Testes autem novi etiam super Interrogatoriis generalibus: et si Postulator eorum inductionem ad novos Articulos non limitaverit, examinandi super omnibus Interrogatoriis et Articulis.

§ V.

De Testibus extra dioecesim degentibus.

(Si alter ex testibus a Postulatore inductis extra dioecesim degat, neque ad locum judicii accedere possit;

testis vero ejusmodi sit cujus testificatio Causae videatur admodum utilis, Postulator Judices rogabit ut eum testem, aut etiam testes ab Ordinario suo examinandos curent (cfr. *Monita Generalia* pag. 32). Ad calcem hujus Instructionis ponentur formulae Actorum ad examen in ea dioecesi recipiendum : heic vero ponitur formula petitionis Postulatoris et Decretorum Judicum.

Postulator nempe in principio vel in fine alterius ex Sessionibus, Judices adibit, et agetur prout sequitur : sed advertimus nos ponere formulam adhibendam in fine Sessionis, quae paucis mutatis adhiberi poterit etiam si Postulator in principio Sessionis petitionem hanc faciat:) ..... Comparuit N. N. Causae Postulator et dixit N. N. Testem inductum degere in urbe N. Dioeceseos N. nec posse ad hunc locum judicii accedere. Quamobrem Rmos DD. Judices rogavit ut per suas Litteras, Illmum ac Rmum D. N. Episcopum ejus Dioeceseos precentur ut dictum Testem N. examinare velit missis ad opus Articulis quos ipse Postulator exhibuit.

Ex adverso R. D. Promotor Fiscalis protestatus est nihil fieri nisi servata forma Decretorum S. R. C. et nisi Testis ille priusquam super Articulis, examinetur super Interrogatoriis quae omnino dare intendit, clausa et obsignata dirigenda Promotori ab Episcopo N. specialiter deputando, alias de nullitate etc.

Tunc Rmi Judices, his visis et auditis instantiam Postulatoris admiserunt, et decreverunt mittere suas Litteras ad Illmum et Rmum D. N. Episcopum N. et eum rogare ut Testem N. examinare velit servatis omnibus de jure communi et Apostolicis Constitutionibus servandis et praesertim servata forma Decretorum S. R. C. et maxime novissimorum quae confirmata fuere a V. S. D. Innocentio Papa XI, ac expleto

examine, omnia Processu Acta et Testium dicta, et jura producta aliaque omnia clausa et obsignata ad ipsos Rmos Judices transmittere, additis Litteris super fide Testi habenda etc. Rmum Promotorem autem monuerunt ut sua Interrogatoria exhibeat clausa et obsignata una cum dictis suis Litteris ad praefatum Rmum D. Episcopum N. mittenda. Deinde mihi Notario mandarunt, ut de his omnibus Instrumentum conficiam et demum cum Promotore sese subscripserunt etc.

(Promotor deinde extra tribunal Interrogatoria dabit, quae eadem esse poterunt ac illa pro caeteris testibus exhibita, plico clausa et obsignata et directa Promotori Fiscali ab Ordinario illius dioeceseos eligendo, non aperienda nisi in actu examinis etc. Judices eidem Ordinario litteras suas scribent, in quarum plico Articulos Postulatoris et plicum Interrogatoriorum occludent, et tradent Postulatori, ut ipse, cui sunt directae curet exhibendas. Postulator, si ipse in illam dioecesim ire nolit aut nequeat, illic Vice-Postulatorem legitime constituet ut litteras Ordinario exhibeat et Processus confectionem procuret; qui Processus absolutus cum fuerit, per Portitorem, quo munere vel Postulator vel Vice-Postulator fungi poterit, ad ipsos Judices transmittetur, addito Instrumento clausurae, de quo suo loco dicetur. Tum Postulator in fine alterius ex Sessionibus, nisi Sessionem apposite habere placeat, Processum illum exhibebit, et haec erunt Acta:)

.... Ingressus est N. Causae Postulator, et dixit advenisse D. N. Portitorem Processus constructi in Dioecesi N. pro examine Testis N. a se inducti, pro quo examine ipsi Rmi Judices Litteras dederant ad Episcopum N, et petiit Processum ipsum recipi, et inter Acta Processus qui hoc construitur, inseri.

Ex adverso D. N. Promotor Fiscalis protestatus est non posse recipi Processum nisi prius constet de authentica persona Portitoris, et nisi recognoscantur sigilla Processus esse integra et illaesa, alias etc.

Et tunc Rmi Judices mandarunt illico arcessiri supradictum N. qui statim ingressus est, et Rmis Judicibus exhibuit plicum clausum et sigillatum directum ipsis Rmis Judicibus, asserens in illo contineri Instrumentum clausurae dicti Processus quem pariter exhibuit. Quem plicum, cum Rmi Judices et Promotor recognovissent sigilla, Illmi et Rmi D. Episcopi, mandarunt per me Notarium aperiri. Quo aperto inventum in eo est Instrumentum clausurae dicti Processus, quod ego de mandato etc. legi, et quo designabatur N. N. ut Portitor electus ad deferendum Processum. Postea acceperunt Processum clausum et obsignatum, cujus sigilla, quae reperta sunt integra et illaesa, recognoverunt esse sigilla Illmi ac Rmi Episcopi N. cujus pariter recognoverunt subscriptionem in externa Processus facie, et mandarunt eumdem Processum per me Notarium alio plico claudi et obsignari sigillo Rmi Judicis, prouti ego statim feci, et sic asservari usque ad publicationem praesentis Processus. Demum injunxerunt mihi ut in fine hujus Sessionis registrem supradictum Instrumentum clausurae, et de omnibus in Sessione gestis Instrumentum conficiam, ac cum Promotore sese subscripserunt etc.

(Si vero non agatur de teste a Postulatore inducto, sed de teste aut conteste quem ex officio Judices aut Promotor induxerint, eadem, paucis mutatis, agentur: nam Postulatoris omnino est instare ut qui testis aut contestis ex officio inducitur, examinetur: ac reprobanda est formula illa in nonnullis Processibus

usitata, qua testes aut contestes ex officio inducti, dicuntur citari et examinari « instante Promotore ». Scilicet Promotor protestatur « non posse ad ulteriora procedi nisi examinentur testes ex officio » aut si qui fuerint « contestes »; Postulator autem rogare debet Judices ut eos testes aut contestes vocent ad examen.)

§ VI.

De substitutione Officialium Processus.

(Si quis ex Officialibus Processus e vita cesserit, aut discesserit, aut munere se abdicaverit, Postulator per supplicem libellum Episcopum rogabit, ut alterum substituat. Interim vero Processus suspendetur. Episcopus Rescriptum edet quo alterum Officialem deputabit, et statuet diem quo novus deputatus ad munus acceptandum et jurandum se conferat, vel coram se praesentibus reliquis Officialibus, si novus Officialis sit alter ex Judicibus aut Promotor; vel coram se, aut coram ipsis Judicibus adstante Promotore, et Notarium agente Cancellario Episcopali, si novus Officialis sit Actuarius: si sit Nuncius locus non est Cancellario Episcopali. Non opus est ut formula Sessionis heic describatur: eadem agenda et scribenda mutatis mutandis, quae acta et scripta sunt cum primum Tribunale ab Episcopo constitutum fuit.)

(Expleto examine testium omnium quos induxit Postulator, ad examen vocandi sunt, Promotore proponente, testes *ex officio* saltem duo. Itaque cum dimissus fuerit testis postremo examinatus, et clausa et

obsignata Interrogatoria ac testium responsiones, omniaque haec descripta ab Actuario uti superius, sic continuabitur Sessio:)

Ingressus est N. N. Causae Postulator, qui coram Rmis DD. Judice et Adjunctis, dixit et declaravit se non habere alios Testes inducendos: ideoque cum jam absolutum fuerit examen Testium a se inductorum, institit ut procedatur ad ulteriora in publicatione et transcriptione Processus, et Decretum etc. omni etc.

Ex adverso R. D. Promotor Fiscalis dixit et protestatus fuit, non posse ad ulteriora procedi, nisi prius ad formam Decretorum Congregationis Sacrorum Rituum alii Testes *ex officio* examinentur. Et in eiusmodi Testes ex officio induxit N. N. (1). Tunc N. N. Causae Postulator Rmos Judices rogavit ut juberent dictis Testibus ut supra *ex officio* inductis, deferri juramentum de veritate dicenda, et secreto servando ad formam Decretorum S. R. C. et postea illos examinari diebus et horis destinandis.

Ex adverso R. D. Promotor Fiscalis protestatus est nihil fieri nisi seipso semper praesente, et nisi servata forma Decretorum etc. et prius quam super Articulis, debere examinari super Interrogatoriis a se exhibitis, alias de nullitate etc. Exinde praefati Rmi Judex et Adjuncti pro Tribunali sedentes praedictos Testes *ex officio* inductos admiserunt, et destinarunt diem . . . . horam . . . pro nova Sessione habenda in . . . ad recipienda juramenta dictorum Testium *ex officio*, et successive eorum examina, ideoque jusserunt expediri citationes necessarias et opportunas contra eosdem Testes ut compareant dicta die et hora in supradicto loco, et juramentum praestent, et successive examini se subjiciant, nec non monuerunt R. D. Promotorem Fi-

scalem, ut die et hora praedictis intersit, mihique Notario commiserunt ut citationes ipsas extendam, Cursorique deputato exequendas tradam. Deinde mandaverunt mihi Notario ut de omnibus et singulis Instrumentum conficiam, ac demum sese cum Promotore subscripserunt, ut infra:

(Subscriptiones Judicum et Promotoris.)

Super quibus omnibus et singulis etc. (consuetum Instrumentum, subscriptio, et sigillum Actuarii.)

(Formula citationis contra testes *ex officio* eadem est ac contra alios testes, hisce tantum immutatis « citetur N. N. Testis *ex officio* nominatus etc.

Instante N. N. Causae Postulatore. »

In fine Sessionis in qua testes *ex officio* inducti sunt, non describetur eorumdem testium notula.)

ADNOTANDA

(1) In *Monitis Generalibus* pag. 18 diximus licere Postulatori nuncium mittere examini alicujus ex testibus jam inductis si Promotor, aut Sub-promotores cum Processus est Apostolicus, annuant: et pag. 41 Promotorem vel Sub–promotores posse, immo aliquando debere ex officio vocare testes illos quos Postulator induxerat, ac postea ne examinarentur rogaverit. Absque strepitu fieri haec possunt: scilicet Postulator consilium suum de testibus omittendis Judicibus et Promotori *extra tribunal* aperiat. Si Promotor non annuat, quin ab ipso testes illi ex officio vocentur, Postulator eos utpote a se inductos examinari sinat; si vero Promotor assentiat, in Actis sic scribetur: « Ingressus est Postu-

lator et inhaerendo protestationi suae jam alias emissae, cum jam sufficientes in Causa probationes fuerint assumptae, et nolit se oneri superfluae probationis subjicere, petit reverenter ut omissis aliis Testibus a se inductis, et nondum examinatis, quamquam citatis et juratis, procedatur ad ulteriora in publicatione et transcriptione Processus, et Decretum etc. omni etc.

Ex adverso R. D. Promotor Fiscalis dixit se non renuere omitti reliquos Testes a Postulatore inductos, citatos et juratos et nondum examinatos, quoniam constat ideo a Postulatore omitti, ne sese oneri superfluae probationis subjiciat: sed protestatus fuit non posse ad ulteriora procedi nisi prius ad formam Decretorum Congregationis Sacrorum Rituum alii Testes *ex officio* examinentur. Et tunc Rmi DD. Judex et Adjunti induxerunt *ex officio* etc. »

Si vero aliquis ex inductis a se testibus vel obierit, vel omnino ad examen accedere nequeat, certiores de hoc faciet Judices, documentum de obitu aut de impotentia accedendi suo tempore exhibiturus.

SESSIO A.

In Dei Nomine. Amen.

(Formula hujus Sessionis in qua testes *ex officio* nominati jurant et examinantur, aliquantulum diversa est ab aliis, nam non Postulator sed Promotor inducit. Hanc et sequentes Sessiones Litteris notamus, ut in reliquis Instructionibus, cum opus fuerit, eas citare possimus).

Coram.... pro Tribunali sedentibus in.... praesentibus R. D. Promotore Fiscali, meque Notario Actuario infrascripto, comparuit N. N. Nuncius sive Cursor deputatus, et retulit in scriptis se die... personaliter citasse Testes *ex officio* a R. Promotore Fiscalis inductos, et in calce originalis citationis descriptos, et ostenso prius originali, in propriis eorum manibus illius exemplum reliquisse, quam quidem citationem, una cum relatione illius executionis hic facto reproduxit in forma tenoris inferius registrandi.

Relatione facta N. N. Postulator hic praesens re petita citatione per Nuncium supra producta, ex relatione illius executionis, in illius termino, sicut et in termino monitionis in praeterita Sessione factae, institit ut dictis Testibus *ex officio* deferatur juramentum de veritate dicenda, et de secreto servando, et successive destinetur dies et hora pro inchoando illorum examine, ed ad hunc effectum moneatur primus Testis examinandus, ut compareat in hoc eodem loco die et hora destinandis ut se subjiciat examini, et Actum et Decretum aliud quodcumque desuper necessarium fiat et interponatur in forma, omni etc. Et tunc praefati N. N. Judex et Adjuncti, visis et auditis praedictis, mandaverunt mihi Notario, ut in fine praesentis Sessionis registrem tenorem citationis superius per Nuncium productae una cum relatione illius executionis, et deinde Testibus *ex officio* citatis, et hic praesentibus juramentum detulerunt, quod ipsi flexis genibus, et tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis unus post alium praestiterunt ut infra:

Et primo N. N. juravit sequentia verba recitando:

Ego infrascriptus Testis *ex officio* vocatus tactis

hisce Sacrosanctis Dei Evangeliis etc. . . . (Eadem est formula ac pro aliis testibus, cui pariter testis quilibet *ex officio* subscribet.

Postquam singuli testes *ex officio* juraverint, alterius ex ipsis inchoari statim potest examen, uti habent *Monita Generalia* pag. 51, et scribetur:)

Quibus praestitis juramentis Rmi D. D. Judex et Adjuncti, Postulatore instante, decreverunt illico procedere ad examen jurati Testis *ex officio* N. N., et reliquis Testibus (aut « altero teste ») dimissis, clausis januis, solisque remanentibus praefatis D. D. Judicibus, Promotore et dicto Teste, ego Notarius de mandato etc. exhibui plicum Interrogatoriorum, et Testium depositionum clausum et obsignatum in ultima Sessione habita die.... quem cum ipsi Rmi Judices recognovissent illaesum, aperui et deventum fuit ad examen dicti Testis, qui ad interrogationes sibi factas sive a Judice Deputato, sive ab alterutro ex Adjunctis, aut a Promotore Fiscali, dixit et deposuit ut infra, et ego Notarius Actuarius ad dictamen alterutrius uti supra, Testis responsiones de verbo ad verbum, nihil penitus addito, dempto aut immutato, eodem quo ab ipso relatae sunt idiomate descripsi et registravi ut infra : videlicet....

(Examen testium *ex officio*, eodem modo recipitur, suspenditur, et absolvitur ac examen aliorum testium. Si vero non illico, sed in alia Sessione examinabitur testis, sic scribetur:)

Sessio B.....

Coram.... Rmis Judicibus pro Tribunali sedentibus, praesente R. D. N. Promotore Fiscali, D. N. N. Teste

ex officio nominato meque Notario infrascripto; comparuit N. N. Causae Postulator, et in termino monitionis in praeterita Sessione factae, institit procedi ad examen dicti Testis *ex officio*. Exinde Rmi Judex et Adjuncti decreverunt ad examen procedi, iterato prius ab eodem Teste juramento, quod ille praestitit genuflexus tactis SS. Dei Evangeliis, juxta eamdem formulam alias in Actis registratam dicens — Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta ejus Evangelia — et clausis januis solisque remanentibus etc. (uti supra)

(Raro accidit ut testes aliquem *contestem* non nominent, cui quod ipsi testati sunt sit apprime notum. Promotor Fiscalis si existimaverit utile esse horum contestium examen, praesertim si de re aliqua agatur quae Causae nocere possit, absoluto examine postremi testis *ex officio*, clausisque et obsignatis Interrogatoriis et testium responsionibus, protestabitur non esse ad ulteriora procedendum nisi examinentur contestes, uti sequitur):

Quibus peractis etc. ingressus est D. N. Causae Postulator et petiit procedi ad ulteriora in publicatione et transcriptione Processus. Tum R. D. Promotor Fiscalis dixit et protestatus fuit non posse ad ulteriora procedi nisi prius examinatis aliis Testibus Contestibus indicatis in Actis, quorum nomina in notula quam facto exhibuit (1) descripta induxit et praesentavit; quos Contestes nunc, salvo jure, et sine praejudicio alios vocandi et nominandi, quatenus etc. non alias etc. nominat et nominavit.

Tunc dictus N. Causae Postulator Rmos Judices rogavit ut hos Contestes vellent admittere, et destinare alteram Sessionem ad effectum deferendi dictis Contestibus juramentum de veritate dicenda et de secreto

servando ad formam Decretorum S. R. C. et postea illos examinare diebus et horis certis intimandis.

Quibus auditis, auditisque protestationibus R. D. Promotoris Fiscalis, praefati RR. DD. Judex et Adjuncti pro Tribunali sedentes dictos Contestes in notula descriptos ab eodem Promotore Fiscali exhibita admiserunt, et mandaverunt eam notulam in fine praesentis Sessionis per me Notarium Actuarium registrari, et destinarunt diem.... et horam.... pro nova Sessione habenda in.... ad recipienda juramenta dictorum Contestium, et successive eorum examina, ideoque jusserunt expediri citationes necessarias et opportunas etc. (Sequuntur omnia uti supra quando inducti fuerunt testes *ex officio*.) (2)

ADNOTANDA

(1) Ut Promotor Fiscalis contestes nominare possit, subinde ac ipsi a testibus nominantur eorum nomina et etiam actionem ac factum super quibus nominati fuerunt describere poterit in folio, quod licet ab actis separatum, tamen plico una cum Interrogatoriis et testium responsionibus occludetur ne periculum ullum subsit infrangendi secretum.

(2) Duo heic advertenda. 1° fieri potest ut is contestis nominetur a teste, qui et ipse testis fuerit, et de facto super quo nominatur nullum verbum fecerit. 2° fieri potest ut aliquis ex testibus jam examinatus, quidquam aliud habeat vel addendum vel demendum vel corrigendum, et de hoc certiores fecerit Judices vel Promotorem. Primum quod attinet, si de re haud

levis momenti agatur vel quae Causae difficultatem aliquam ponere potest, Promotor, examine absoluto testis qui contestem illum nominavit, protestabitur ad ulteriora procedi non posse, nisi contestis iste ad examen iterum vocetur. Postulator Judices rogabit ut eum iterum ad examen vocent: Judices vero eum moneri jubebunt ut designata die accedat; non enim opus est ut citetur; et postquam iterum juraverit, examinabunt super re de qua contestis nominatus fuit, adhibitis apposite Interrogatoriis *ex officio*, adhibitaque omni cautela et diligentia, ne contestis scire possit a quonam nominatus fuerit et quid ille fuerit testatus. Dicetur vero :

« Coram Rmis Judicibus pro Tribunali sedentibus; praesente R. D. N. Promotore Fiscali, N. N. Teste jam examinato, et iterum de mandato Rmorum Judicum, Postulatore instante, ad examen vocato, dictus Postulator in termino monitionis in praeterita Sessione factae, petiit et institit deferri eidem Testi juramentum de veritate dicenda et secreto servando, et successive examinari ex officio etc ».

Juramenti formula *per extensum* est describenda.

Quod ad alterum spectat, eodem modo agetur, scilicet Promotor protestabitur non posse ad ulteriora procedi nisi teste N. N. iterum examinato, quin causam dicat huius novi examinis. Postulator rogabit ut testis ille vocetur iterum etc. Judices eum testem moneri jubebunt etc. Sequentis autem Sessionis Acta haec erunt:

« Coram Rmis Judicibus N. N. pro Tribunali sedentibus, praesente R. D. N. Promotore Fiscali, N. N. Teste jam examinato, et iterum ad examen de mandato Rmorum Judicum, Postulatore instante, vocato, dictus Postulator, in termino monitionis in praeterita Sessione

factae, petiit et institit praefato N. Testi deferri juramentum de secreto servando et veritate dicenda, et successive eidem Testi mandari ut examini se subjiciat ». Testis jurabit more solito, et juramenti formula *per extensum* describetur. Deinde : « Quo praestito juramento, clausis januis solisque remanentibus etc. ... ego Notarius exhibui plicum etc. .. quem cum Rmi Judices illaesum recognovissent, aperui, et inchoatum est novum examen dicti Testis, qui ad interrogationes sibi factas respondit prout sequitur: et ego ad dictamen Rmi Promotoris Fiscalis de verbo ad verbum fideliter scripsi, videlicet: ... » Promotor nempe interrogabit an aliquid habeat addendum, demendum etc. Si opus fuerit, alias interrogationes *ex officio* pro re nata tum Judices tum Promotor addent.

SESSIO C.

(Pro examine contestium)

Anno etc...

Coram Rmis DD. N. Judice et N. N. Adjunctis etc. pro Tribunali sedentibus... praesentibus R. D. N. Promotore Fiscali meque Notario Actuario comparuit N. Cursor deputatus et retulit in scriptis se die... personaliter citasse omnes contestes a R. D. Promotore Fiscali inductos in calce originalis citationis descriptos, et ostenso prius originali, in propriis eorum manibus illius exemplum reliquisse : quam quidem citationem una cum relatione illius executionis hic facto reproduxit in forma tenoris inferius registrandi. Relatione facta D. N. N. Causae Postulator hic praesens, repetita citatione per Nuncium supra producta, ex relatione

illius executionis, in illius termino sicut et in termino monitionis in praeterita Sessione factae, institit ut dictis contestibus deferatur juramentum de veritate dicenda et de secreto servando, et successive examinentur, et Actum et Decretum aliud quodcumque desuper necessarium et opportunum fiat et interponatur in forma, omni etc.

Et tunc praefati N. N. Judex et Adjuncti, visis et auditis praedictis, et auditis solitis protestationibus R. D. Promotoris Fiscalis, mandaverunt mihi Notario ut in fine praesentis Sessionis registrem tenorem citationis superius per Nuncium productae, una cum relatione illius executionis, et deinde contestibus citatis et hic praesentibus juramentum detulerunt, quod ipsi flexis genibus et tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis unus post alium praestiterunt ut infra:

Et primo N. N. juravit sequentia verba recitando:

Ego infrascriptus contestis *ex officio* vocatus tactis hisce SS. Evangeliis etc...

(Eadem est formula ac pro aliis testibus, cui pariter quilibet contestis subscribet. Postquam vero singuli contestes juraverint, alterius ex ipsis inchoari statim potest examen, immo plures contestes, at separatim, in eadem Sessione examinari possunt: et Sessio sic continuabitur:)

Quibus praestitis juramentis, Rmi DD. Judex et Adjuncti, eodem Postulatore instante, et Promotore Fiscali assentiente, decreverunt illico procedere ed examen N. N. contestis jurati, et reliquis contestibus dimissis, clausis januis solisque remanentibus praefatis DD. Judicibus, Promotore et dicto conteste, ego Notarius de mandato etc. exhibui plicum Interrogatoriorum et Testium depositionum clausum et obsignatum in

ultima Sessione habita die.... quem cum Rmi Judices illaesum recognovissent, aperui, et deventum fuit ad examen dicti contestis N. ut sequitur:

Juxta primum Interrogatorium

Recte respondit.

Juxta secundum Interogatorium respondit...

(Examinatur quolibet contestis super Interrogatoriis generalibus; deinde vero)

Omissis aliis Interrogatoriis, interrogatus fuit juxta Interrogatorium (ex. gr. « 10 » aut. « Interrogataria... » vel « super Articulum... » aut « super Articulis . . . ») super quo (aut « super quibus ») inductus fuit in Actis uti Contestis.

Interrogatus igitur juxta.... respondit:

(Si factum super quo inductus fuit, neque Interrogatoriis neque Articulis enunciari possit, proponantur opportunae interrogationes ex officio; ex. gr. « Omissis reliquis Interrogatoriis, interrogatus fuit *ex officio* an sciat . . . et respondit . . . »: vel etiam, si adjuncta id ferant: « Ad opportunas interrogationes sibi factas respondit... » Tot sint interrogationes hujusmodi, quot opus erit. Cavendum autem ne contesti innotescat a quonam teste nominatus fuerit, et quid ille testis fuerit testificatus. Si vero contestis se scire demonstrat etiam alia, super omnibus Interrogatoriis interrogabitur.)

Et completo examine dicti contestis N. lecta ei fuit integra ejus depositio alta et intelligibili voce a me Notario Actuario, data ei facultate addendi, corrigendi, minuendi si quid etc. qua is bene audita et intellecta declaravit nihil se habere addendum aut detrahendum vel corrigendum, sed eam ratam habuit et

confirmavit (aut « addidit » etc....) et tandem se subscripsit.

N. N. ita pro veritate deposui.

Dimisso supradicto N. N. conteste, illico accitus fuit N. N. alter ex dictis contestibus, remanentibus aliis extra locum examinis, et statim, Postulatore instante, et Promotore Fiscali assentiente, ad ejus examen deventum est ut sequitur:

Juxta primum Interrogatorium...

(Omnia uti supra. Quando plures contestes in eadem Sessione examinantur, Interrogatoria et testium responsa non occluduntur post singula examina, sed post ultimum.

Contestes qui in eadem examinantur Sessione in qua jurarunt, non iterant juramentum in actu examinis; iterant vero si in altera Sessione examinentur. Et examen, etiam primi contestis, differri ad alteram Sessionem potest: tum vero Sessio praesens absolvitur more solito, idest monitis Promotore et conteste de die qua accedere debent.

Interim vero Postulator Jura omnia et documenta paraverit oportet quae Actis inserenda sunt: idest testificationes de obitu testium a se inductorum si quis obierit antequam ad examen accederet; vel de eorum impotentia accedendi ad examen: documenta de baptismate Servo Dei collato, chrismate, Sacris Ordinibus, professione religiosa, de ejus coelibatu, viduitate, facultatibus ei concessis, et ejusmodi (1). Absoluto vero examine omnium contestium, et clausis et obsignatis Interrogatoriis et testium responsionibus more solito, sic continuabitur Sessio:)

Dimisso dicto Teste seu Conteste, de mandato eorumdem DD. NN. Judicis et Adjunctorum fuit per me

Notarium accersitus N. N. Postulator qui cum ab ipsis Rmis Judicibus audivisset completum jam fuisse examen omnium Testium et Contestium *ex officio* vocatorum, institit pro compulsatione nonnullorum Jurium et documentorum, quae producere intendit, nec non pro publicatione ejusdem Processus, et electione Scribae seu Amanuensis pro conficiendo illius transumpto seu exemplo Romam ad S. R. C. transmittendo, nec non pro deputatione Notarii Adjuncti qui una mecum auscultet et conferat dictum transumptum cum originali, Petiit etiam et institit opportunas expediri citationes, aliaque fieri necessaria et opportuna.

Ex adverso D. Fidei Promotor protestatus fuit Jura et documenta non esse admittenda neque compulsanda, nisi recognita prius a se illorum authenticitate et legalitate, et ad publicationem Processus et electionem Amanuensis, et Notarii Adjuncti aliaque omnia deveniri non posse, nisi se praesente, et nisi servata forma Decretorum S. R. C. tam generalium quam novissimorum, alias de nullitate etc. Quibus auditis RR. DD. Judex et Adjuncti decreverunt alteram Sessionem pro admissione et compulsatione dictorum Jurium seu documentorum, nec non pro publicatione Processus et electione Amanuensis et Notarii Adjuncti, habendam esse die .... hora .... in .... ad quem effectum decreverunt expediri citationem contra R. D. Promotorem Fiscalem ut compareat dicta die et hora in antedicto loco etc. Demum mandarunt mihi Notario ut de omnibus in Sessione gestis Instrumentem conficiam ac sese cum Promotore Fiscali subscripserunt prout sequitur etc. (Omnia ut in aliis Sessionibus).

(Formula citationis contra Promotorem).

De mandato etc. (ut in aliis citationibus) citetur R. D.

Promotor Fiscalis ad comparendum die .... hora .... in ... coram praefatis Rmis DD. Judicibus, et tunc videndum per D. N. Causae Postulatorem exhiberi nonnulla Jura et documenta in ipsum Processum compulsanda, et per ipsos Rmos Judices deveniri ad publicationem, et electionem Amanuensis pro illius transumpto sive exemplo conficiendo, et Notarii Adjuncti pro auscultatione et collatione dicti transumpti cum originali, aliaque fieri et interponi necessaria et opportuna quatenus etc.

Instante Causae Postulatore.

N. Die ... etc.

ADNOTANDA

(1) Ea intelligimus heic documenta quae ut authentica reddantur, non opus est interventu Judicum aut Notarii de quo diximus in *Monitis Generalibus* pag. 17, et quae adnexam habent *legalitatem*, quae primo intuitu a Judicibus et Fiscali inspici et recognosci potest. Alia documenta quod attinet, quae scilicet, ut cit. loc. *Monit. Gener.*, authentica fiunt vel auctoritate Peritorum vel collatione cum eorum autographo etc. Postulator ea in decursu Processus exhibenda curabit, iis omnibus adhibitis diligentiis de quibus in *Monitis Gener.* loc. cit., ne scilicet omnium testium examine expleto Processus absolutio retardetur. Facile autem erit formulas Sessionum ad haec agenda accomodare. Caeterum, si lubeat, haec agi etiam poterunt expletis examinibus, quando scilicet alia documenta exhibentur.

SESSIO D.

In Dei Nomine. Amen.

Anno .... Indictione ..... Pontificatus .... Coram .... pro Tribunali sedentibus, in .... praesente R. D. Promotore Fiscali, Testibus infrascriptis, meque Notario in Actuarium specialiter deputato, comparuit N. N. Cursor deputatus qui reproduxit citationem per ipsum executam contra dictum Promotorem Fiscalem, quam facto dedit cum relatione illius executionis tenoris inferius registrandi.

Qua facta reproductione comparuit N. N. Causae Postulator, et in termino dictae citationis produxit sequentes legales Attestationes et Jura, videlicet ... (describitur titulus cujusque documenti), et petiit illas Attestationes et Jura admitti et compulsari in Processum, et cum dixisset se nulla alia habere documenta et Jura producenda, institit deveniri ad publicationem Processus ejusdem, nec non eligi scribam seu Amanuensem qui conficiat ipsius Processus transumptum sive exemplum, Romam ad Sacrorum Rituum Congregationem transmittendum, et Notarium Adjunctum pro auscultatione et collatione ejusdem transumpti cum originali, et Decretum aliud quodcumque fieri et interponi.

Ex adverso D. Promotor Fiscalis dixit et protestatus fuit non esse admittenda ea documenta neque compulsanda, nisi prius eorum recognita legalitate, et non posse deveniri ad publicationem Processus, et ad electionem Amanuensis et Notarii Adjuncti, nisi se praesente et servata forma Decretorum S. R. C. tam generalium quam novissimorum, servatisque omnibus aliis,

de jure, stylo, consuetudine servandis et implendis: alias de nullitate etc. non solum etc. sed et omni etc.

Quibus auditis Rmi DD. Judex et Adjuncti primo mihi Notario mandarunt ut citationem ut supra productam, una cum relatione ipsius executionis in fine praesentis Sessionis registrem ; deinde prae manibus habentes producta documenta, singula attente inspexerunt, eaque R. D. Promotori Fiscali inspicienda tradiderunt, ipsoque consentiente, authentica, integra, nullaque in parte vitiata declararunt, proptereaque mihi Notario jusserunt ut ea reciperem et in Acta compulsarem, eorumque tenorem in fine hujus Sessionis registrarem, prout me facturum promisi. Deinde publicaverunt et publicant praesentem Processum, mandaruntque et mandant aperiri Plicum Interrogatoriorum et depositionum Testium ad effectum ut eadem Interrogatoria per me Notarium Actuarium registrentur in fine presentis Sessionis; (« nec non mandarunt et mandant aperiri Plicum Processus constructi in Dioecesi N. juxta litteras Episcopo N. missas a Rmis Judicibus ad effectum eumdem Processum compulsandi in praesentem Processum ») prout ego Notarius Actuarius parendo mandatis, praesente N. Promotore Fiscali, Plicum Interrogatoriorum et depositionum (« et Plicum dicti Processus constructi in Dioecesi N. ») avulsis sigillis aperui (1).

Deinde iidem Rmi DD. Judex et Adjuncti decreverunt fieri exemplum sive transumptum totius Processus, et ad hunc effectum deputaverunt et deputant in scriptorem D. N. N. (plures deputari possunt) heic praesentem et munus sibi commissum libenter acceptantem, cui statim detulerunt juramentum de fideliter adimplendo munere sibi commisso, prout dictus scriptor in

genua provolutus et tactis SS. Evangeliis juravit haec verba recitando:

Ego N. N. scriptor deputatus, tactis hisce SS. Dei Evangeliis coram me positis juro et promitto fideliter exercere munus mihi commissum in transcribendo Processu in hac civitate constructo super Fama sanctitatis vitae, Virtutibus et Miraculis Servi Dei N. sub poena perjurii, et ita promitto et juro: sic me Deus adjuvet et haec Sancta ejus Evangelia.

Ego N. N. scriptor deputatus, juravi ut supra.

(Si plures sint deputati scriptores, singuli eodem modo jurent et subscribant.)

Deinde iidem Rmi. DD. Judex et Adjuncti, in Notarium Adjunctum pro auscultatione et collatione transumpti cum Processu originali, deputarunt et deputant D. N. N. Notarium Ecclesiasticum, qui statim accersitus commissum munus acceptavit, suique Notariatus Privilegium in fine praesentis Sessionis registrandum exhibuit, et genuflexus et tangens manibus Sancta Dei Evangelia suum praestitit juramentum, videlicet:

Ego infrascriptus Notarius Adjunctus deputatus ad auscultandum et collationandum Processum in hac civitate constructum super Fama sanctitatis vitae, Virtutibus et Miraculis Servi Dei N. . . tactis hisce SS. Dei Evangeliis coram me positis, juro et promitto fideliter implere munus mihi commissum in auscultatione et collatione dicti Processus sub poena perjurii, et ita promitto et juro: sic me Deus adjuvet et haec Sancta ejus Evangelia.

Ego N. N. Notarius in Adjunctum specialiter deputatus juravi ut supra.

(Si Notarii Adjuncti munus conferatur Notario de

primordialibus Processus Actis jam rogato; iste jurabit quidem, at Privilegium Notariatus non exhibebit: describatur vero in Actis eum jam fuisse de primordialibus rogatum.)

Post haec Rmi DD. Judex et Ajuncti mandaverunt mihi Notario Actuario ut registratis prius in fine praesentis Sessionis citatione contra Rmum D. Promotorem Fiscalem ut supra executa et reproducta; Juribus et documentis a Postulatore exhibitis; (« Processu constructo in Dioecesi N. ») Interrogatoriis R. D. Promotoris Fiscalis, et Privilegio Notariatus dicti Notarii in Adjunctum deputati (2), tradam scribae deputato atque jurato omnia Acta praesentis Processus et etiam Acta hujus Sessionis ut illa transcribat sive transumptum conficiat Romam ad S. R C. mittendum; item decreverunt novam Sessionem habendam esse in . . . die et hora destinanda, postquam scriba deputatus praedictum exemplum sive transumptum absolverit, mihique Notario commiserunt ut postquam dictum exemplum sive transumptum absolutum fuerit, citationem expediam contra Promotorem Fiscalem, ut die et hora uti supra designandis compareat in eodem loco ad videndum etc. prout me facturum promisi.

Quibus omnibus actis et decretis Rmi DD. Judex et Adjuncti mandarunt mihi ut postquam scribae deputato tradidero praesentem Processum et monuero ut illum cum transumpto reportet, de omnibus in Sessione gestis instrumentum conficiam et cum Promotore Fiscali et Testibus sese subscripserunt ut infra.

N. N. Judex Deputatus.

N. N. J. U. D. Adjunctus Deputatus.

N. N. S. T. M. Adjunctus Deputatus.

N. N. Promotor Fiscalis.

N. N. Testis vocatus.

N. N. Testis vocatus.

Et ego subscriptus Notarius Actuarius omnia et singula Acta Processus tradidi scribae deputato, et supra his omnibus sic ut supra gestis hoc praesens Instrumentum confeci et stipulavi in forma etc.

Actum ....

Ita est N. N. Notarius Actuarius Deputatus.

(Sigillum Notarii).

(Heic inseruntur citatio, documenta et alia).

Tenor Citationis reproductae contra Promotorem Fiscalem est sequens: (inseritur).

Tenor Documentorum a Postulatore exhibitorum (inseruntur singula documenta).

Tenor Processus constructi in Dioecesi N. (inseritur totus Processus cum epistolis Episcopi et Promotoris, si tamen costructus fuit).

Tenor Privilegii Notariatus Notarii Adjuncti (inseritur, si jam alias exhibitus non fuerit).

Tenor Interrogatoriorum est sequens: (inseruntur Interrogatoria).

Ita est. N. N. Notarius in Actuarium specialiter deputatus.

(Sigillum Notarii).

(Scriptor postquam transumptum confecerit, id Notario significabit qui citationem mittet contra Promotorem Fiscalem, juxta mandatum in anteacta Sessione datum, ut accedat die et hora quam Judices designaverint. Formula citationis haec erit:)

De mandato etc.

Citetur Rmus D. N. Promotor Fiscalis ad comparendum die ... hora ... in ... et tunc ad videndum per scribam deputatum tradi transumptum praefati Processus,

et per me infrascriptum una cum Notario Adjuncto inchoari collationem dicti transumpti cum Processu originali aliaque fieri necessaria et opportuna: alias etc.

Instante N. N. Causae Postulatore.

N. .... Die ....

N. N. Notarius Actuarius.

ADNOTANDA

(1) Aperto plico Interrogatoriorum et sic publicato Processu, illico cessat secreti lex tum pro Officialibus Processus, tum pro testibus.

(2) Superfluum est advertere hanc *registrationem* nil aliud esse quam insertionem documentorum originalium: quae vero originalia documenta inseri non possunt uti Privilegium Notariatus, transcribuntur, et eorum exemplum authenticum inseritur.

SESSIO E.

In Dei Nomine. Amen.

Anno .... Indictione .... Pontificatus....

Coram Illmo et Rmo D. N. et Rmis DD. N. J. C. D. et N. S. Th. M. Judicibus in Delegatum et in Adjunctos deputatis pro construendo Ordinaria Auctoritate Processu super Fama sanctitatis vitae, Virtutibus et Miraculis Servi Dei N. praesente R. D. N. Promotore Fiscali meque Notario Actuario Testibusque infrascriptis,

comparuit N. Cursor deputatus, et retulit se personaliter citasse dictum R. D. N. Promotorem Fiscalem ad contenta in citatione alias per me expedita, quam cum executionis relatione mihi tradidit inferius registrandam. Et in termino dictae citationis comparuit N. N. Scriptor deputatus et exhibuit transumptum seu exemplum praedicti Processus, nec non Acta originalia (1), et declaravit se omni qua potuit diligentia illud confecisse.

Ex adverso R. D. Promotor Fiscalis dixit nihil fieri nisi ipso praesente et nisi servatis servandis ad formam protestationum alias ab ipso factarum, secus de nullitate etc. non solum etc. sed et omni etc.

Et tunc praefati Rmi DD. Judex et Adjuncti Deputati mandaverunt statim inchoari collationem et auscultationem praedicti transumpti, prout statim ego Notarius Actuarius, et alter Notarius in Adjunctum deputatus qui accitus illico venit, ipsam collationem inchoavimus legente me Notario Actuario alta et intellegibili voce exemplum seu transumptum per Scribam factum, et praedicto Dno Notario Adjuncto Acta originalia sub oculis habente.

Dicta autem collatio et auscultatio facta fuit a folio primo usque ad folium .... et attenta tarditate horae de mandato Dominationum Suarum suspensa et intermissa est. Ipsae autem Dominationes Suae destinaverunt diem... horam .... ad eam reassumendam et prosequendam : ad quem effectum monuerunt dictos R. D. Promotorem Fiscalem, et D. N. N. Notarium Adjunctum ut compareant in hoc eodem loco dictis die et hora et intersint continuationi et prosecutioni dictae collationis et auscultationis. Demum decreverunt ut tam Sessionis hujus, quam subsequentium Acta

usque ad exitum in exemplo seu in transumpto exscribantur. Postea injuncto mihi Notario Actuario ut de omnibus gestis in praesenti Sessione publicum Instrumentum conficiam in forma, se subscripserunt ut sequitur:

N. N. Judex Deputatus.

N. N. J. U. D. Judex Adjunctus Deputatus.

N. N. S. T. M. Judex Adjunctus Deputatus.

N. N. Promotor Fiscalis.

N. N. Notarius Adjunctus.

N. N. Testis vocatus.

N. N. Testis vocatus.

Super quibus omnibus et singulis sic ut supra gestis ego Notarius publicus et Actuarius specialiter deputatus hoc praesens publicum Instrumentum de mandato dictorum Rmorum D. D. Judicis et Adjunctorum deputatorum confeci et publicavi in forma. Ideo in fidem hic me subscripsi, meumque solitum Notariatus signum apposui requisitus.

Actum.... die, mense, anno, Pontificatu et loco quibus supra.

Ita est N. N. Notarius Actuarius deputatus.

(Sigillum Notarii)

Tenor citationis de qua supra fuit facta mentio, est qui sequitur:

De Mandato... etc. (inseritur citatio et relatio ejus executionis).

Ita est (subscriptio et sigillum Actuarii.)

ADNOTANDA

(1) Ad parcendum tempori permitti potest ut scriptor Transumpti partem cum confecerit, eam exhibeat: partis illius dum fit collatio, scriptor transumptum describere perget.

SESSIO F.

In Dei Nomine. Amen.

Anno... Indictione Romana... Pontificatus...

Coram... pro Tribunali sedentibus in... loco et loco loci pro audientiis et actis publicis praesentis Causae et Processus specialiter destinato, praesentibus R. D. Promotore Fiscali, Testibus infrascriptis specialiter vocatis et Notario in Adjunctum deputato, meque Notario Actuario pariter infrascripto;

Comparuit N. N. Causae Postulator, et in termino monitionis in praeterita Sessione factae, institit et petiit reassumi et continuari collationem et auscultationem Processus et Decretum aliud quodcumque desuper necessarium et opportunum fieri et interponi in forma, omni etc.

Ex adverso N. N. Promotor Fiscalis dixit nihil fieri nisi ipso praesente et nisi servatis de jure servandis ad formam protestationum alias ab ipso factarum, secus de nullitate etc. non solum etc. sed et omni etc.

Et tunc antedicti Rmi D. D. Judex et Adjuncti

deputati mandaverunt reassumi et continuari collationem et auscultationem praefatam, prout statim ego Notarius Actuarius et D. N. N. alter Notarius in Adjunctum deputatus praedictam collationem et auscultationem prosequuti sumus a folio... ubi fuerat intermissa, usque ad folium... Et attenta tarditate horae de mandato Rmorum Judicum suspensa et intermissa est. Ipsi autem Rmi Judices destinaverunt diem... horam... pro ea reassumenda et prosequenda : ad quem effectum monuerunt dictos R. D. Promotorem Fiscalem et D. NN. Notarium Adjunctum ut compareant in hoc eodem loco dictis die et hora, et intersint continuationi et prosecutioni dictae collationis et auscultationis, et postea injuncto mihi Notario Actuario ut de omnibus gestis in praesenti Sessione publicum Instrumentum conficiam, in forma se subscripserunt.

N. N. Judex Deputatus.

N. N. J. U. D Adjunctus Deputatus.

N. N. S. T. M. Adjunctus Deputatus.

N. N. Promotor Fiscalis.

N. N. Notarius Adjunctus.

N. N. Testis vocatus.

N. N. Testis vocatus.

Super quibus omnibus et singulis sic ut supra gestis, ego Notarius publicus et Actuarius specialiter deputatus hoc praesens publicum Instrumentum confeci et publicavi in forma, de mandato dictorum Rmorum DD. Judicis et Adjunctorum deputatorum.Ideo in fidem hic me subscripsi, meumque solitum Notariatus signum apposui requisitus.

Actum... die, mense, anno, Pontificatu et loco quibus supra.

Ita est N. N. Notarius publicus et Actuarius specialiter deputatus.

(Sigillum Actuarii.)

(Sic vero collatio suspendetur et continuabitur: et tandem, cum absolvetur:)

Et tunc antedecti Rmi D. D. Judex atque N. N. Adjuncti deputati mandaverunt reassumi et continuari collationem et auscultationem praefatam, prout statim ego Notarius Actuarius et D. N. N. Notarius in Adjunctum deputatus praedictam collationem et auscultationem prosequnti sumus a folio... ubi fuerat intermissa, usque ad folium..... quod est ultimum et postremum totius exemplaris, atque emendatis et approbatis omnibus calami erroribus, qui inventi fuerunt, expleta fuit collatio.

Absoluta praedicta collatione et auscultatione integri exempli seu transumpti cum Actis originalibus RR. DD. Judex et Adjuncti mandaverunt mihi ipsi et D. N N. alteri Notario in Adjunctum deputato, ut per nos fiat publica attestatio de collatione et auscultatione rite ac recte a principio ad finem peracta, nostro respective charactere firmata, signisque nostri Notariatus munita quo constet revera in omni parte exemplum seu transumptum cum Actis originalibus concordare, et ab iisdem nullo prorsus modo discrepare. Cum autem id consonum sit veritati, ideo promptos paratosque nos exhibuimus ad petitam attestationem faciendam, prout revera fecimus, ut sequitur:

Fidem facimus atque testamur nos Notarii publici infrascripti Ecclesiastici fuisse per nos coram Illmis et Rmis D. D. N. N. Judice et N. N. J. U. Doctore et N. N. S. T. Magistro Adjunctis deputatis ab Illmo et Rmo Dno Episcopo N. N. ad effectum construendi Ordinaria

Auctoritate in civitate N. N. Processum super Fama sanctitatis vitae, Virtutibus et Miraculis Servi Dei N. praesente et bene intelligente R. D. Promotore Fiscali integre collationem et auscultationem peractam exempli seu transumpti antedicti Processus cum Actis originalibus a principio usque ad finem. Idcirco fidem facimus et verbo veritatis testamur, praefatum exemplum sive transumptum, bene per nos collatum et auscultatum, additis verbis ac litteris per errorem praetermissis, aliisque vero per errorem appositis deletis et per nos Notarium Adjunctum et Actuarium approbatis singillatim omnibus correctionibus atque lituris quas in collatione explenda offendimus, in omnibus et per omnia concordare cum Actis originalibus a principio usque ad finem, salvo semper etc.

In quorum fidem hic nos subscripsimus nostrique tabellionatus signa apposuimus.

Datum.... die... anno.... Indictione....

Ita est. N. N. in Notarium Adjunctum deputatus. (Sigillum Notarii Adjuncti).

Ita est N. N. in Notarium Actuarium deputatus (Sigillum Actuarii).

Quibus expletis Rmi DD. Judices ad instantiam N. N. Causae Postulatoris sequens Decretum pronunciarunt:

Et tunc Illmi ac Rmi DD. N. N. Judex et N. N. Adjuncti pro Tribunali sedentes declaraverunt et declarant, auscultationem et collationem exempli seu transumpti supradicti Processus hic .... confecti Auctoritate Ordinaria super Fama etc. coram se cum interventu ac praesentia Illmi Dni N. N. Promotoris Fiscalis per me N. N. publicum Notarium Ecclesiasticum in Actuarium deputatum, et per D. N. N. pari-

ter auctoritate Ecclesiastica rogatum Notarium, et pro hac collatione explenda specialiter electum, diebus et horis intimatis fuisse et esse rite, recte, valide, et legitime peractam, transumptumque seu exemplum una cum nonnullis apostillis marginalibus et lituris per nos Notarium Actuarium et Adjunctum approbatis in omnibus et per omnia cum suo proprio originali concordare, salvo semper etc. eidemque exemplo seu transumpto praefati Processus adhibendam fore et esse plenam et indubiam fidem. Super quibus omnibus et singulis praemissis praefati Illmi, ac Rmi Dni Judex et Adjuncti deputati suum interponendum esse Decretum dixerunt, prout solemniter interposuerunt et interponunt, supplendo et sanando omnes et singulos tam juris quam facti defectus, si qui forsan in praedictis intervenerint, aut intervenire quodammodo potuerint.

Deinde iidem Rmi DD. Judices Deputati mandaverunt mihi Notario Actuario, ut Acta quoque praesentis Sessionis registrentur et transcribantur in eodem exemplo seu transumpto, atque ut eadem transcriptione peracta, tam authographum quam exemplar praedicti Processus exhibeam Illmo et Rmo Dno Episcopo, die hora et loco legitime intimandis, praesente R. D. Promotore Fiscali, qui citandus est ad dicendum et opponendum quidquid vult et potest contra dictum Processum, ac illius exemplar, antequam utrumque subscribatur a Rmo Dno Episcopo, a Judice et Conjudicibus, et exemplar idem clausum et sigillis obsignatum ad S. R. Congregationem transmittatur.

Quocirca mihi Notario pariter commiserunt, ut hac de re citationem contra dictum Promotorem Fiscalem juxta stylum extendam, Cursorique deputato

exequendam tradam, quo ipse loco, die et hora legitime indicendis intersit; prout me facturum promisi. Demum in fidem omnium praemissorum antedicti Rmi DD. Judex et Adjuncti deputati una cum Rmo D. Promotore Fiscali, meque Notario, Actuario ac D. N. N. Notario Adjuncto et Testibus ad praedicta vocatis se subscripserunt ut infra:

N. N. Judex Deputatus.

N. N. J. U. D. Adjunctus Deputatus.

N. N. S. T. M. Adjunctus Deputatus.

N. N. Promotor Fiscalis.

N. N. Notarius Actuarius.

(Sigillum Actuarii)

N N. Notarius ad collationem praesentis Processus deputatus.

(Sigillum Notarii Adjuncti.)

N. N. Testis interfui.

N. N. Testis interfui.

Super quibus omnibus et singulis, tamquam rite, recte ac valide gestis rogatus fui ut hoc publicum Instrumentum conficerem, prout confeci de mandato etc.

Actum .... die .... anno .... et hora ....

Ita est N. N. Notarius Actuarius.

(Formula citationis extat in formula sequentis Sessionis.)

SESSIO G.

In Dei Nomine Amen.

Anno a Nativitate Dni Nri Jesu Christi .... Indictione .... die ... hora ... Pontificatus ...

Coram Illmo ac Rmo Dno N. N. Episcopo N. (1) nec non Illmis Dnis N. Judice et N. N. J. U. D. et N. N. S. T. M. adjunctis ad construendum auctoritate Ordinaria in hac Civitate N. N. Processum super ..... sedentibus pro Tribunali in loco et loco loci pro hac Sessione ab eodem Rmo Episcopo destinato, praesente R. D. N. Promotore Fiscali, meque Notario ac testibus infrascriptis, comparuit N. Cursor deputatus qui reproduxit citationem per ipsum die .... personaliter exequutam contra R. Dnum N. Promotorem Fiscalem, prout ex illius relatione facta in calce ejusdem citationis, quam mihi Notario originaliter tradidit, et hic alligatur tenoris sequentis:

N. N. Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N. De mandato etc.

Citetur Rdus D. N. Promotor Fiscalis ad comparendum die .... hora .... coram Illmo ac Rmo Episcopo N. ac praefatis Judicibus deputatis in ... (locus destinatus indicatur) et dicendum, deducendum et apponendum quidquid voluerit ac possit contra Processum in hac Civitate Ordinaria Auctoritate constructum super ..... praefati Servi Dei et contra illius authenticum exemplar sive transumptum Illmi ac Rmi Dni Episcopi legalitate muniendum, neque non contra electionem Portitoris per eosdem Judices nominandi, cui exemplar idem tradetur ad hoc ut ipsum Romam ferat, ac demum ad videndum super praemissis Decre-

tum quodcumque necessarium et opportunum fieri et interponi ad dictas diem et horam.

Instante N. N. Postulatore etc.

N. Notarius Actuarius.

(Sequitur relatio Cursoris de citationis executione)

Qua citatione ut supra reproducta, ego Notarius Actuarius, uti in mandatis habueram a Rmis Judicibus, exhibui Illmo et Rmo Dno Episcopo tam Acta originalia, quam exemplar seu transumptum Processus ab eisdem constructi.

Quibus acceptis, Dominatio Suo Illma et Rma interrogavit Rdum D. Promotorem Fiscalem, ut si quid contra utrumque vel alterutrum objiciendum esset, aperiret. Cum igitur idem R. D. Promotor Fiscalis nil obiecerit nisi generalia contra, idem Illmus et Rmus D. Episcopus viso Decreto Rmorum DD. Judicis et Adjunctorum pro hoc Processu deputatorum, omnibusque aliis a Dominatione Sua Illma et Rma visis et apprime expensis, tam authographum Processus, quam ejus exemplar seu transumptum integrum et authenticum declaravit. Post haec, coram eadem Dominatione Sua Illma et Rma aliisque Judicibus Deputatis, comparuit N. N. causae Postulator, ac reverenter petiit et institit deputari Portitorem qui praefati Processus transumptum ad S. R. Congregationem deferat.

Ex adverso R. D. N. Promotor Fiscalis protestatus fuit et protestatur non esse tradendum idem transumptum nominando Portitori, nisi prius delato ipsi juramento de fideliter explendo munere; ac nonnisi servatis Decretis S. R. C. aliisque de jure servandis. Ex tunc Illmus ac Rmus Dnus Episcopus, aliique Rmi DD. Judices Deputati, ad effectum deferendi Romam idem transumptum Processus, de quo agitur, elegerunt et

eligunt N. N. in Portitorem ad formam supradictae citationis; qui cum praesens adesset, ac munus sibi commissum libenter acceptasset, ei statim detulerunt juramentum, quod ipse genuflexus, tactisque SS. Dei Evangeliis praestitit coram Dominatione Sua Illma et Rma, aliisque Judicibus ac Promotore Fiscali uti sequitur:

Ego N. N. tactis SS. Dei Evangeliis coram me positis juro et promitto me fideliter et diligenter executurum munus mihi commissum deferendi Romam transumptum Processus Auctoritate Ordinaria in hac Civitate constructi super .... illudque S. R. C. sive ejus R. P. D. Secretario exhibendi una cum plico litterarum mihi tradendo, ad formam deputationis Dominationis Suae Rmae ac aliorum Judicum Deputatorum, sub poena perjurii. Ita promitto et juro, sic me Deus adjuvet et haec SS. ejus Evangelia.

Ego N. N. Portitor Deputatus.

Quo juramento praestito, Rmus Episcopus aliique Judices Delegati, mandarunt mihi Notario Actuario ut de omnibus gestis in praesenti Sessione publicum Instrumentum conficiam in forma, prout me facturum promisi.

Deinde injunxerunt et injungunt, ut postquam dictum transumptum in omnibus et per omnia completum, et tam hoc, quam autographum seu originale ab Illmo et Rmo Dno Episcopo et aliis Judicibus subscriptum, propriisque eorum sigillis interius munitum fuerit, per me Notarium Actuarium fiat recognitio dictarum subscriptionum et sigillorum. Mandaverunt item ut apposita ad calcem legalitate Illmi et Rmi Episcopi super mei Notarii subscriptione, et sigillo ipsius firmata, atque eodem transumpto clauso et sigillo tantum ipsius Rmi Episcopi a parte exteriore munito, eidem tran-

sumpto per me Notarium Actuarium apponatur subscriptio cum debita legalitate. Injunxerunt quoque ut transumptum hoc, una cum supradicto plico litterarum tradam Portitori, et de hac traditione conficiam separatim Instrumentum publicum in forma, et hoc etiam Instrumentum eidem Portitori tradam. Hujusmodi autem Instrumenti publici tenorem jusserunt et jubent registrari in originali Processus in fine praesentis Sessionis, (non describitur in transumpto; tradi enim debet Portitori sejunctum ab ipso transumpto) ac denique Processum ipsum seu Acta originalia penes ipsam Dominationem Suam Rmam, aliosque Judices delegatos remanere ad effectum ea asportandi in archivium hujus Curiae Episcopalis; ibique ad perpetuam rei memoriam asservandi et custodiendi. Demum antequam se subscriberent, mandaverunt ut Acta quoque omnia praesentis Sessionis transcriberentur in exemplari seu transumpto, quod illico factum est (2). Qua peracta transcriptione jusserunt, ut Acta omnia tam pro collatione quam post collationem a me cum Notario Adjuncto facta usque ad praesens, ex originali in transumpto seu exemplari transcripta, accurate conferrentur. Quod cum sedulo gestum esset, tunc Illmus et Rmus Dominus Episcopus una cum Judicibus Delegatis, dicto Promotore Fiscali, Portitore electo, ac Testibus rogatis tam in originali quam in transumpto sese subscripserunt uti sequitur:

(Et haec etiam postrema verba in transumpto describi debent)

N. N. Episcopus N.

(Sigillum Episcopi).

N. N. Judex Deputatus.

(Sigillum Judicis Deputati).

N. N. J. U. D. Adjunctus Deputatus.

(Sigillum Judicis Adjuncti).

N. N. S. T. M. Adjunctus Deputatus.

(Sigillum hujus Judicis.)

N. N. Promotor Fiscalis.

(Sigillum Promotoris).

N. N. Portitor Deputatus.

N. N. Testis vocatus.

N. N. Testis vocatus.

Super quibus omnibus et singulis...

Actum... Anno, mense, die, hora, Indictione et Pontificatu quibus supra.

Ita est. N. N. Notarius Actuarius Deputatus.

(Sigillum Notarii.)

Et ego Notarius publicus in Actuarium deputatus fidem facio ac testor supradictas subscriptiones, nempe illam Illmi et Rmi Dni Episcopi N. per haec verba « N. Episcopus N. » cum appositione proprii sigilli, quod est... (describitur forma sigilli)

Illam Rmi D. N. Judicis Deputati, per haec verba « N. Judex Deputatus » cum appositione proprii sigilli quod est... (describitur ut supra)

Illam Rmi Dni J. U. D. Adjuncti Deputati per haec verba « N. J. U. D. Adjunctus Deputatus » cum appositione proprii sigilli quod est (describitur uti supra)

Illam Rmi Dni N. S. T. M. Adjuncti Deputati per haec verba « N. S. T. M. Adjunctus Deputatus » cum appositione proprii sigilli quod est (describitur uti supra)

Illam Rmi Dni Promotoris Fiscalis per haec verba « N. Promotor Fiscalis » cum appositione proprii sigilli quod est... (describitur uti supra) fuisse et esse

Illmi et Rmi Dni Episcopi N., Rmorum DD. Judicis et Adjunctorum Deputatorum, et R. D. Promotoris Fiscalis ab ipsis propriis manibus factas et scriptas in mea praesentia, sicut et supra expressa et descripta sigilla; atque ita testor et fidem facio hac die... mensi...anno...

Ita est N. N. Notarius in Actuarium deputatus.

(Sigillum Actuarii.)

(Subscriptiones, sigilla, testificatio Notarii tam in Processu originali, quam in Transumpto, originaliter fieri debet. Deinde Episcopus tam in Processu quam in transumpto, hanc scribet *legalitatem*)

Nos N. Episcopus N.

Notum facimus atque testamur supradictum N. esse Notarium publicum in hac Causa per nos in Actuarium specialiter deputatum, ejusque attestationibus scripturis atque Instrumentis, plenam in judicio et extra adhibitam fuisse, et adhuc adhiberi fidem ab omnibus; et ita dicimus et testamur. Datum N. die... mensis... anni... Indictione...

N. Episcopus.

(Sigillum Episcopi.)

(Transumptum sic confectum, in plico aut capsa collocabitur quam Notarius in pluribus locis partis exterioris cera hispanica et sigillo Episcopi obsignabit, et caute, ut sigillum in Urbe recognosci possit: ponetur etiam haec externa inscriptio):

Sacrae Rituum Congregationi.

Exemplum sive transumptum pubblicum et authenticum integri Processus Auctoritate Ordinaria in civitate N. constructi a Rmis DD. N. Judice et N. N. Adjunctis ab Illmo et Rmo Dno Episcopo N. deputatis in Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N...

super Fama sanctitatis vitae, Virtutibus et Miraculis, praesentandum et exhibendum eidem S. Congregationi vel ejus R. P. D. Secretario, et nonnisi de mandato ejusdem S. R. Congregationis aperiendum.

— Romam —.

Ita est N. N. Notarius in Actuarium deputatus.

(Sigillum Actuarii.)

(Subscriptionem hanc externam Actuarii Episcopus confirmet *legalitate* cujus formula eadem est ac supra.

Formula nunc ponitur Instrumenti clausurae, quod Instrumentum una cum epistolis Episcopi, Judicum et Promotoris Fiscalis, claudetur plico, qui a Transumpto sejunctus Portitori tradetur:)

In Dei Nomine. Amen.

Cunctis ubique pateat et notum sit quod anno a Nativitate Dni nostri Jesu Christi... die... mensis... Indictione... Pontificatus... anno...

Coram Illmo et Rmo Dno Episcopo N. coram Rmo D. N. Judice deputato atque Rmis DD. N. N. Adjunctis pariter deputatis ab eodem Illmo et Rmo Dno Episcopo in Causa Batificationis et Canonizationis Servi Dei N. omnibus pro tribunali sedentibus in aula audientiae ipsius Illmi et Rmi Dni, praesente R. D. N. Promotore Fiscali, et Testibus infrascriptis, ego Notarius Actuarius de mandato Dominationis Suae Illmae et Rmae et dictorum Dominorum Judicum clausi et obseravi Processum Auctoritate Ordinaria in hac Civitate N. constructum super Fama sanctitatis vitae, Virtutibus et Miraculis dicti Servi Dei, eique ab extra apposui sequentem suprascriptionem, videlicet... et ita clausum, obseratum, inscriptum et obsignatum pluribus in locis

sigillo Illmi et Rmi Dni Episcopi N. ad hoc mihi tradito, una cum litteris ipsius Dominationis Suae Illmae et Rmae et DD. Judicum Deputatorum neque non Dni Promotoris Fiscalis, in plico praesentis Instrumenti inclusis, tradidi N. Portitori specialiter electo ibidem praesenti et e manibus mei Notarii Actuarii infrascripti dictum transumptum, dictumque plicum separatum recipienti et promittenti se omnia delaturum Romam; et ibi exhibiturum Sacrae Rituum Congregationi sive ejus R. P. D. Secretario, aut cui de jure exhiberi debent.

Super quibus omnibus et singulis de mandato ipsius Illmi et Rmi D. Episcopi ac dictorum Dominorum Judicum hoc praesens Instrumentum confeci in forma.

Actum N. die, mense, et loco quibus supra, praesentibus N. N. et N. N. Testibus ad praedicta specialiter habitis atque rogatis.

N. N. Testis interfui.

N. N. Testis interfui.

Ita est. N. N. Notarius in Actuarium deputatus

(Sigillum Actuarii)

(Sequitur *legalitas* Episcopi uti supra.)

(Formula epistolae Episcopi ad Sacrorum Rituum Congregationem)

Emi ac Rmi Domini.

Sanctimoniae et heroicarum virtutum fama Servi Dei N. apud omnes percrebrescente, aequum ac Religioni congruum existimavi porrectis precibus pro construendo super illius sanctitatis fama, virtutibus et miraculis Processu annuere. Cum vero pastoralibus curis distentus id exequi non valerem, idcirco hanc provinciam Rmo D. N. a nobis in Judicem deputato,

nec non DD. N. N. eidem Adjunctis demandavi. Ipsi munus hoc nedum libenti sed et obsequenti animo susceperunt; et jurejurando coram me praestito ad munus ipsum rite implendum, et ad silentii legem servandam sese obligavere. Ut autem omnia juxta S. R. C. Constitutiones et Ven. Innocentii XI Decreta perage-rentur, ipsi sedulo incubuerunt: uti etiam patebit ex eorum epistola una cum hac ad Vos missa. Id unum mihi, qui gregem meum probe novi, superest ad-notandum, nempe Testes a Postulatore exhibitos, aliosque Testes et Contestes (si fuerint) *ex officio* inductos, omnes esse indubiae fidei, quippe sunt homines probi, omni exceptione majores, etc.

(Formula epistolae Judicum ad eamdem S. Con-gregationem)

Praeclarum nobis concreditum ab Illmo et Rmo Dno N. Dioecesis nostrae Episcopo munus, Processum nempe construendi super Fama sanctitatis, Virtutibus et Miraculis Servi Dei N. alacri animo suscepimus, ni-hilque reliqui fecimus nisi ut ex praestitis hac super re normis absolveretur: quod nos adamussim jam prae-stitisse laetamur. Meram enim cum gesserimus S. R. Congregationis Decretis circa ea quae praeliminaria Processus audiunt, ad Testium deinde descendimus exa-mina, praesente semper, ut par est, Promotore Fiscali, et Notario in Actuarium adlecto. Primo itaque inter-pellati a nobis sunt Testes a Causae Postulatore in-ducti, deinde caeteri a nobis *ex officio* vocati et demum Contestes (si fuerint) a Promotore Fiscali allati, iique omnes primum super Interrogatoriis ab ipsomet Pro-motore in Actis exhibitis, deinde super Articulis a Po-stulatore productis. Qua de re nunquam omisimus in

antecessum solemnis cuique eorum indicere jurisjurandi religionem de veritate dicenda, et secreto servando, quae rursus iterata est in quolibet subsequentium Sessionum actu. Caeterum in id incubuimus, ne Processus usque ad illius publicationem alicui panderetur, qui clausus ad singularum Sessionum calcem, una cum Interrogatoriis, obsignatusque perstitit, neque nisi in sequenti Testium examine apertus fuit. Omnibus tandem solemniis in hac Inquisitione expletis, confectum fuit Actorum exemplar, quod rite cum authographo collatum, ab Illmo et Rmo Episcopo et a nobis subscriptum, sigillisque Illius ac nostris munitum, ad Vos, Emi Patres, per Portitorem ad id assumptum ablegamus.

De Testium qualitatibus, cum ii ex una parte probi, fide digni, omnique exceptione majores deprehendantur, ex alia serio, accurate, et absque ulla haesitatione deposuerint, nihil est sane quod in eos animadvertendum occurrat. Vestrum autem erit de Inquisitione hac a nobis habita judicium ferre, dum Vos enixe deprecamur, ne si quid in ipsa inopinato exciderit, id nobis socordiae tribuatis; cum nil omnino praetermiserimus, ut omnia rite ac legitime fierent. Interim Eminentiarum Vestrarum Sacram Purpuram demississime osculamur.

Eminentiarum Vestrarum Rmarum.

N. die ....

Paratissimi ad obsequia.

N. N. Judex Deputatus.

N. N. J. U. D. Adjunctus Deputatus.

N. N. S. T. M. Adjunctus Deputatus.

(Formula epistolae Promotoris Fiscalis ad Promotorem Fidei Urbis)

Illme ac Rme Domine.

Promotorem Fiscalem agens in Informativo Processu hic constructo super Fama sanctitatis vitae, Virtutibus et Miraculis Servi Dei N. quanti momenti esset munus hoc ab Illmo et Rmo D. Episcopo NN. mihi collatum statim sensi. Ut igitur omnia juxta S. R. Congregationis Constitutiones, et Ven. Innocentii XI Decreta fierent, ea qua par erat solertia, sedulo incubui. Nunquam proinde hujusce Processus confectioni in quavis Sessione defui, sicut et Delegati Judices sancte praestiterunt. Omnes qui huic construendo Processui operam dedere, jurejurando ex praescripta formula sese obligarunt tam ad rite obeundum munus, quam ad secretum servandum. Testes insuper, uti par est, juramenti religione devicti sunt. Interrogatoria autem semper sigillis clausa una cum depositionibus retenta sunt, et in examine dumtaxat reserata. Ut factorum insuper narratio a testium scientia minime abluderet, et cujusvis notitiae causa in quovis depositionis articulo diligenter adnotaretur, intento animo operam dedi. Praeterea testium a Postulatore inductorum examine confecto, alii *ex officio* advocati sunt, qui juxta Interrogatoria Articulosque a Judicibus examinati fuere.

Actis vero omnibus ab Actuario confectis et documentis, quae ad Causam spectant, congestis, Processus excriptus est. Exemplar postmodum seu transumptum coram me, et Judicibus cum authographo collatum fuit, et hoc illi probe respondere novi. Denique si de testium auctoritate me interloqui sinas, id Illmae et Rmae Circumspectioni Tuae testari mihi fas est, eos omnes morum integritate et prudenti judicio adeo pollere, ut quamcumque mendacii vel erroris suspicionem amoveant. Quod vel ex ratione compertum habui, qua

interrogationibus respondebant. Nihil ergo modo restat, nisi ut omnia haec subjiciam sapientiae Tuae (3).

Circumspect. Tuae Illmae et Rmae.

N. die...

Paratissimus ad obsequia
N. N. Promotor Fiscalis.

(Externa inscriptio plici quo custodiuntur Instrumentum clausurae et epistolae)

Sacrae Rituum Congregationi

Plicus litterarum Illmi et Rmi Dni N. Episcopi N. et Rmorum DD. Judicum ab eo delegatorum, ac Promotoris Fiscalis, neque non Instrumenti traditionis earumdem litterarum, et clausurae ac traditionis transumpti Processus Auctoritate Ordinaria constructi in Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N.

— Romam —.

Ita est N. N. Notarius publicus in Actuarium deputatus.

(Sigillum Actuarii) (4).

ADNOTANDA

(1) Sessio haec coram Episcopo habenda est.

(2) Acta haec Notarius priusquam ad Sessionem accedat scribere domi potest, ne nimis Sessionis tempus producatur.

(3) Formulam dedimus pluribus variationibus obnoxiam: nam et Episcopus potuit nonnullis ex Sessionibus adesse, ac propterea jurasse: et alter ex Officia-

libus munere se abdicasse, aut e vita cessisse: et nonnulli ex testibus exceptionem pati etc. Ad haec omnia epistolarum tenor accomodandus.

(4) Fieri aliquando potest ut electus Portitor concreditum sibi munus, justa aliqua de causa, implere non possit, et novus Portitor sit deputandus. Haec tunc agenda. Die jam ab Episcopo praestituta, coram ipso, et praesente Promotore Fiscali Curiae a Cancellario Episcopali ex mandato Episcopi monito ut accedat, ipsoque Cancellario, adstabit Portitor, qui causam cur commissum sibi munus implere nequeat, exponet, ac petet ut alter Portitor deputetur, et exhibebit tum Transumptum tum plicum litterarum. Promotor protestatur alium Portitorem non esse deputandum nisi prius constet Transumptum et plicum illaesum omnino esse, et nisi omnia serventur de jure, stylo et consuetudine servanda. Postquam vero Transumpti et plici integritas comperta fuerit, Postulatore petente, qui pariter adstabit, novus Portitor eligetur, qui illico accedet, et jurabit genuflexus juxta formulam jam superius allatam: deinde Cancellarius ex mandato Episcopi tradet Portitori Transumptum ac plicum litterarum, utrumque, uti erat, occlusum et sigillis obsignatum; Episcopus novam ad S. R. Congregationem scribet epistolam, qua de mutatione Portitoris et mutationis causa eam certiorem faciet.

Acta haec omnia ac simul formula juramenti Portitoris et externa ipsius Transumpti et litterarum inscriptio a Cancellario describentur in Instrumento, cui subscribent Episcopus, Promotor et testes instrumentarii. Hisce peractis Cancellarius rogitum conficiet ac sua subscriptione et sigillo muniet: Episcopus legalitatem suam apponet: tandem Instrumentum hoc no-

vum una cum novis Episcopi litteris plico claudet quem sigillo Episcopi obsignabit, et in externa ejus facie scribet eum esse plicum novi Instrumenti traditionis tum Transumpti Processus constructi, tum Epistolarum Episcopi et Judicum novo Portitori factae ob causas de quibus infra: ac inscriptioni huic subscribet, omniaque novo tradet Portitori, idest Transumptum, priorem plicum, et hunc alterum.

Si vero Portitor accedere nequeat ex: gr: quia aegrotans, Postulator ipse Transumptum et plicum exhibebit. Exemplum hujus novi Instrumenti et novae epistolae, subscriptum et obsignatum uti autographon, Processui originali adnectetur.

ADDITAMENTUM

(Formula Actorum pro examine Testium extra Dioecesim.

Die quam Episcopus destinaverit, coram ipso convenient Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis, Cancellarius ipsius Curiae, ac duo testes instrumentarii, et haec agentur):

Praesenti publico Instrumento cunctis ubique pateat et notum sit quod anno a salutifera Jesu Christi Nativitate .... Indictione ... mense .... die .... hora .... Pontificatus autem SSmi in Christo Patris ac Domini Nostri ....

Coram Illmo ac Rmo Domino N. Episcopo N. sedente pro Tribunali in sacello Palatii episcopalis, prae-

sente Rmo D. N. Promotore Fiscali, specialiter per me vocato, me infrascripto Cancellario Curiae Episcopalis (aut « Notario publico Ecclesiastico ») et testibus infrascriptis, comparuit N. N. Postulator in Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei .... legitime constitutus a N. N. prouti docuit Mandato Procurae quod facto exhibuit tenoris inferius registrandi, et dixit, et exposuit, in urbe .... Dioeceseos N. construi Auctoritate Ordinaria Processum Informativum super Fama sanctitatis vitae Virtutibus et Miraculis praefati Servi Dei N.; inter testes vero a Postulatore inductos, fuisse enumeratum D. N. N. qui degit in hac urbe, et qui ad eum locum judicii accedere nequit: cum autem valde intersit ejus testificationem accipere, Postulatorem petiisse a Rmis Judicibus qui Processui illi construendo in dicta urbe N. incumbunt, ut vellent rogare Dominationem Suam Illmam et Rmam ut Ipsa vel per se vel per Judicem ab Ipsa Dominatione Sua deputandum dignetur praefatum N. N. in Dioecesi sua degentem examinare: ad quem effectum praefatos Judices dedisse Litteras Rogatorias, eidem Dominationi Suae directas, quas asseruit contineri in plico, quem clausum et obsignatum eidem Dominationi Suae Illmae et Rmae exhibuit, eamque Dominationem Suam rogavit ut iis lectis litteris, velit ad examen dicti Testis procedere, servatis de jure stylo et consuetudine servandis.

Tunc Illmus et Rmus Dominus N. Episcopus plicum a Postulatore exhibitum accepit et Promotori Fiscali ostendit: et cum illaesus omnino fuerit recognitus ab ipso Episcopo N. et Promotore Fiscali, Dominatio Sua Illma et Rma tradidit mihi eum plicum et jussit per me aperiri. Quo aperto inventus in eo est, praeter Litteras Rmorum Judicum N. N. Dominationi Suae di-

rectas cum adnexis Positionibus sive Artivulis jam a Causae Postulatore dictis Judicibus exhibitis, alius plicus clausus et obsignatus directus R, Promotori Fiscali ab ipsa Dominatione Sua eligendo, continens Interrogatoria pro examine Testium.

Tunc ego Notarius ex mandato ejusdem Illmi ac Rmi D. Episcopi N. legi alta et intelligibili voce praefatas Litteras Rmorum Judicum N. N. quae sunt tenoris inferius registrandi. Quibus perlectis volens Illmus ac Rmus D. Episcopus N. petitioni Rmorum Judicum praefatorum et postulatoris annuere decrevit ad examen dicti Testis N. sive ad Processum pro examine ejus devenire, et ad hunc finem elegit et nominavit in Promotorem Fiscalem dictum N. N. Promotorem Fiscalem suae Curiae, in Actuarium D. N. Notarium publicum Ecclesiasticum, in Cursorem sive Nuncium D. N. et illico per me vocatis D. N. Actuario et D. N. Cursore electis, omnes munus acceptarunt et unusquisque eorum juramentum suum praestitit prout infra.

Et primum Illmus ac Rmus D. Episcopus N. stans et tacto pectore juravit haec verba recitando: (describuntur formulae juramenti singulorum). Quibus praestitis juramentis ego Notarius ex mandato Illmi ac Rmi D. Episcopi N. tradidi R. D. Promotori Fiscali plicum praedictum Interrogatoriorum, non aperiendum nisi in actu examinis. Deinde praefatus R. D. Promotor Fiscalis protestatus est ad ulteriora procedi non posse, nisi servatis in omnibus Decretis S. R. Congregationis et praesertim novissimis et nisi prius praestito a Postulatore juramento de calumnia: quod statim dictus Postulator praestitit prout infra: (describitur formula juramenti).

Quo juramento sic ut supra praestito, Postulator petiit et istititit destinari locum diem et horam pro re-

cipiendo examine dicti Testis N. et decerni expeditionem opportunae citationis contra eumdem Testem et R. D. Fiscalem. Ex adverso dictus Promotor Fiscalis protestatus est nihil fieri, nisi se ipso praesente, et nisi servatis Decretis S. R. Congregationis tam Generalibus quam novissimis, et Testem esse prius examinandum super Interrogatoriis etc. alias etc.

Quibus auditis Illmus ac Rmus D. Episcopus N. destinavit pro audientiis habendis et Testis juramento et examine recipiendo omnes et quoscumque dies ab hora.... usque ad horam. .. exceptis diebus festis de praecepto. Pro loco autem audientiarum elegit..... (quilibet eligi postet locus etsi non sacer); et ad recipiendum juramentum et examen Testis destinavit locum sacrum... eosdemque dies, horas et loca destinavit pro recipiendis juramento et examine aliorum Testium si forte accidat ut alii quoque debeant vocari, reservata sibi facultate horas et etiam loca variandi. Deinde destinavit Sessionem pro recipiendo juramento et inchoando examine dicti Testis habendam esse die.... hora..., et mandavit Notario in Actuarium electo, ut citationem opportunam expediat contra Promotorem Fiscalem et dictum Testem; mihique ut in fine hujus Sessionis omnia quae registranda sunt, registrem: atque de his omnibus Instrumentum conficiam, et omnia tradam Actuario electo. Deinde sese subscripsit una cum Promotore Fiscali et Testibus instrumentariis. (Subscriptiones).

Super quibus omnibus etc. (Rogitus Notarii)

(Inserenda in fine Sessionis

1° Supplex libellus Postulatoris sine Rescripto; Episcopus enim Processum construit instante quidem Postulatore, sed exequendo Litteras Judicum committentium.

2° Litterae Judicum cum Articulis Postulatoris.

3.° Privilegium Notariatus Actuarii.

4.° Privilegium Notariatus Cancellarii Episcopalis, aut Notarii de primordialibus rogati.

5. Testificatio Actuarii de traditione Actorum sibi facta.

Non ponitur heic formula supplicis libelli a Postulatore exhibiti quae ex Acto ipso desumi potest: ponitur vero formula Litterarum Rogatorialium quae hujusmodi esse poterit:)

Illme ac Rme Domine.

Ea est sanctimoniae fama qua clarus decessit in... hujus Dioecesis Servus Dei N. ut Illmus ac Rmus D. N. Episcopus N. excipienda esse existimaverit eorum vota qui Causam Beatificationis et Canonizationis ejus Servi Dei promovendam curant, et Processui Ordinario construendo super Fama sanctitatis vitae, Virtutibus et Miraculis praefati Servi Dei manum admovere non dubitaverit; ac opus per se explere non valens utpote gravibus distentus curis, nos ad eum construendum Processum Judices constituerit.

Jamvero inter testes quos Causae Postulator induxit, enumeratur D. N. N. qui in hac Tua Dioecesi degit, et qui ad nostrum Tribunal accedere non potest. Cum autem ejus testimonium grave admodum existimet Postulator, nos rogavit ut per Te ejus testis examen recipiendum curaremus.

Nos igitur audito prius R. D. N. Promotore Fiscali specialiter ab Illmo et Rmo D. N. Episcopo N. deputato, precibus Postulatoris annuentes, Te Illme ac Rme Domine Episcope N. rogamus ut praefatum testem

N. et etiam, si opus fuerit, contestes quos ipse fortasse nominabit, Ordinaria tua auctoritate, servatis omnibus de jure communi et Apostolicis Constitutionibus praescriptis, et praesertim servata forma Decretorum Sacrorum Rituum Congregationis et maxime novissimorum quae confirmata fuere a Ven. Servo Dei Innocentio XI, examinare velis. Ad rem heic adnectimus Positiones et Articulos nobis pro examine testium a Postulatore exhibitos, necnon plicum clausum et sigillo nostro obsignatum quo continentur Interrogatoria data a praedicto Promotore Fiscali, super quibus, prius quam super Articulis Postulatoris, erunt testis, et, prouti res feret, contestes examinandi: qui plicus directus est Promotori Fiscali a Te in constructione hujus Processus specialiter deputando.

Absoluto autem Processu, tam testis dicta et contestium, si qui erunt, quam Interrogatoria, Articulos, Acta et actitata quaecumque ac jura omnia producta, clausa et sigillis Tuo vel Judicis quem Tu, si placet, deputabis, et etiam Conjudicum, si eos adhibebis, huc transmittere per fidelem et juratum Portitorem dignaberis, adjectis Tuis, et Judicis ac Conjudicum, si eos deputabis, epistolis quibus significabitur quae testi et contestibus sit habenda fides et quidquid aliud peculiariter de teste ac de contestibus et de eorum testificatione videbitur adnotandum.

Confidimus has nostras petitiones benigne Te accepturum, nosque exhibemus paratos ad similia et majora si oportuerit.

Dabamus...

(Has Litteras Episcopus sua *legalitate* communiet, addens post Judicum subscriptionem haec aut similia verba)

Nos... Episcopus N. commendamus Venerabili Fratri nostro Episcopo N. hanc suprascriptam petitionem R. R. DD. N. N. quos constituimus Judices ad construendum Processum Ordinarium super Fama sanctitatis vitae, Virtutibus et Miraculis Servi Dei N. etc.

In sequenti Sessione omnia fient quae in Sessionibus II, III, IV facienda jam superius descripsimus: sed Postulator neque testem inducet neque Articulos exhibebit. Testis postquam citatus juraverit, illico examinari potest, consentiente Promotore Fiscali. Cætera omnia agentur uti in Processu cujus formulas dedimus. Si vero ad Transumptum hujus Processus *Rogatorialis* conficiendum adhibeatur Amanuensis, hic ad secretum servandum juramento adigatur opus est, donec enim Processus *principalis* publicatus non fuerit, Processus Rogatorialis, quod attinet Interrogatoria et testium responsa, secreti lege adhuc obligatur.

Si, non Postulatore instante, seu Promotore proponente Episcopo alienae dioeceseos committitur testis ibi degentis examen, facile erit suprascriptas formulas accommodare: at Judices quos dicemus *Rogatoriales*, testem citabunt instante Postulatore, uti superius dictum est pag. 108 et 109.

Cæterum nonnisi ad probanda Miracula aut ad aliquam solvendam vel confirmandam difficultatem quae ex testium enarrationibus exurgit, Processus iste *Rogatorialis* erit plerumque necessarius.)

APPENDIX II.

Instructio pro conficiendo Processu Ordinario super Casu excepto.

Instructioni pro conficiendo Processu super *Non cultu* praemittimus Instructionem pro conficiendo Processu super *Casu excepto*, quia multo plura occurrunt agenda in hoc Processu, quam in eo qui super Non cultu construitur; ad quem facile poterit Instructio haec accommodari.

Casus exceptus dicitur, quia exceptus a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII. Porro Summus hic Pontifex suis Decretis editis anno 1625, et confirmatis anno 1634 vetuit Servis Dei nondum *Beatificatis* publicum et ecclesiasticum cultum exhiberi, iis exceptis quibus jam cultus exhibebatur *per communem Ecclesiae consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel scientia ac tolerantia Sedis Apostolicae aut Ordinarii.*

In hac Instructione agimus de cultu ab immemorabili tempore praestito, qui cultus per se solum casum exceptum constituit. Tempus hoc *immemorabile* excedere debet lapsum centum annorum ante eorum Decretorum quae diximus confirmationem : idest cultus exhiberi coeptus sit oportet ante annum 1534.

Processus igitur super Casu excepto eo spectat, ut solidis probationum momentis demonstretur Dei Servum jam centum annis antequam ea Decreta fuerint

confirmata, *publico* et *ecclesiastico* cultu fuisse honoratum: eumque cultum sine interruptione usque ad tempus quo Judex de cultus existentia profert sententiam fuisse continuatum. Cultum diximus publicum et ecclesiasticum, qualis nempe ab Ecclesia Coelitibus tribuitur: privatus enim aut *civilis* cultus nihil ad rem faceret.

Cultus hic pluribus demonstrari potest argumentis: vel quod Servi Dei corpus solemniter elatum fuerit — publicae venerationi propositum — sub altaris mensa reconditum — vel quod fuerint eius Reliquiae inter Reliquias Beatorum aut Sanctorum asservatae — populi expositae venerationi — in publicis supplicationibus circumlatae — Servi Dei effigies depictae aut sculptae aut graphio delineatae additis circa caput aureola vel radiis — sacrae aediculae in eius honorem aedificatae aut dicatae — in eius honorem anniversaria festa celebrata, statuta *legata Missarum* — aliquid ad eum honorandum a municipali magistratu decretum — votivae tabellae ad eius sepulcrum appensae, cerei incensi — preces publicae ad eius intercessionem advocandam usitatae — Officium in eius honorem recitatum ac Missae celebratae — titulus *Beati* aut *Sancti* in eius imaginibus, statuis, in publicis monumentis aut scriptis ei tributus — historiae a probatis auctoribus conscriptae, quae vel cultum testentur, vel titulo *Beati* aut *Sancti* eum cohonestent. Adde his alia quaelibet publici et ecclesiastici cultus indicia. Non autem opus est ut singula praesto sint argumenta eiusmodi, neque pro singulis annis; sed tot afferantur oportet, quot moralem ingerere valeant certitudinem de cultus continuatione: at vero cultus initium quod attinet, perspicua sint oportet argumenta.

Testes in hoc Processu adhibendi sunt decem aut octo praeter testes *ex officio* a Promotore Fiscali inducendos: iique ad testificandum non modo cultum qui in praesentia exhibeatur, sed etiam qui et praeteritis temporibus, quantum ipsi meminerint et a maioribus suis audiverint atque a maiorum maioribus per traditionem acceperint, fuerit continuate exhibitus. Nec sufficit si affirment cultum exhiberi et fuisse exhibitum, sed etiam quaenam sint eius cultus indicia sive argumenta testari debent, et an unquam contrarium accidisse vel viderint, vel audiverint. Quamobrem testes seligantur inter seniores et inter eos qui patriae historiae sint magis gnari, et inter magis eruditos si fieri possit.

At facile patet a testibus haberi non posse plenam probationem de cultu qui exhiberi coeptus fuerit ante annum 1534 deque eius continuatione per elapsa saecula. Postulatoris igitur erit eam probationem afferre per legitima et authentica documenta.

Quando haec documenta afferenda sint, quomodo authentica reddantur dicemus, ac simul seriem Actorum huius Processus exponemus, quorum deinde dabimus formulas.

Antiquitus introducebatur primum Causa Beatificationis, deinde vero Dubium super Casu excepto proponebatur in S. Rituum Congregatione. Si inquisitio super Casu excepto introducta jam Causa habebatur, construi non poterat Processus, uti notum est, nisi auctoritate apostolica, et ad normam Litterarum Remissorialium. Nunc vero loquimur nos de Processu ordinaria auctoritate conficiendo, nam jampridem mos invaluit Dubium super Casu excepto proponendi quin Causae Introductio praecedat.

Postulator Ordinarium rogat ut Processui manum admoveat. Ordinarius, si Processum ipse per se conficere nequeat, vel suum Vicarium Generalem, vel virum in conspicua aliqua ecclesiastica dignitate constitutum delegat : deputat etiam Promotorem Fiscalem, Actuarium, Cursorem. Unus est in hoc Processu Judex : si vero Judices qui dicuntur Adjuncti velit Ordinarius addere, eorum alter sit oportet J. U. Doctor, alter S. Theologiae Magister. At superfluum prorsus existimamus Judices Adjunctos nominare; praesertim quod sententia ab uno Judice sit ferenda. Judex aliique juramento se obstringunt ad munus rite implendum, et etiam, ii nempe ad quos pertinet, ad secretum servandum. Postulator quoque obstringitur juramento quod *de calumnia* dicitur, ac deinde testes inducit, Articulos exhibet: Promotor Fiscalis sua proponit Interrogatoria, super quibus, prius quam super Articulis testes debent examinari. Post testes a Postulatore inductos, examini subjiciuntur testes ex officio saltem duo a Promotore inducti et contestes si fuerint. Testium omnium examine expleto, documenta exhibentur a Postulatore.

Si documenta haec sint excerpta ex Operibus Scriptorum, Postulator Opus ipsum afferre potest, et Promotor Actuario excerptum dictare ut in Processu describat. Sed non hoc fieri semper potest, saltem commode. Itaque Postulator excerpta illa vel per se ipse vel per alium describit, et Judicem rogat ut Notarium Adjunctum deputet qui cum Actuario ad locum in quo Opus illud asservatur accedat, et ambo descriptum excerptum cum authographo conferant et de *concordantia* fidem faciant. Vel etiam, si qui est bibliothecae aut tabulario in quo extat Opus illud praefectus, publico fungatur munere, idest si eius testificationi libros aut

codices quod attinet quos ipse custodit, publica adhibeatur fides, poterit Postulator descriptum excerptum exhibere scripta eius Praefecti testificatione munitum, qua asseratur exemplar cum autographo concordare, et etiam indicetur locus loci in quo asservatur autographon, a quo exaratum, quando, ubi etc. Si collatio ab Actuario et Notario Adjuncto peragenda sit, inter Sessiones Processus et illae habendae sunt apposite, in quorum altera Notarius Adjunctus nominetur et juret, et cum Actuario munus collationis suscipiat; in altera Actuarius et Adjunctus referant se eam recte peregisse collationem, et exemplar a Postulatore exhibitum sua *de concordantia* testificatione confirment.

Haec ad strictioris juris normam. Coeterum receptum esse novimus ut Postulator documentorum exemplar exhibeat, de cuius concordantia cum originali testetur Cancellarius Episcopalis aut alter Notarius publicus Ecclesiasticus, mentione vero facta loci in quo autographon asservatur, Editionis etc: quod quidem commodius est.

Aliquando documentis utitur Postulator originalibus, ex. gr. vetustis codicibus qui aevum in quo exarati fuerunt non praeseferunt. Vocandi igitur sunt duo Periti qui, juramento obstricti, suum pro veritate ferant judicium, idest pro sua scientia et conscientia declarent coram Judice et Promotore Fiscali cuius aevi sint codices illi; et declarationi orali scriptam addant etiam testificationeme in fine Sessionis Actis inserendam quam, vel adhuc Judice pro tribunali sedente scribent, vel domi: si vero domi, in altera Sessione eam exhibebunt, quae ab Actuario legetur, et a Peritis juramento confirmabitur. Quod si vel plures sint codices, vel judicium non illico a Peritis pro-

ferri possit, quippe maturo studio opus sit ad rem enucleandam, Judex iis Peritis codices tradet domi inspiciendos et perpendendos: qui Periti in alia Sessione traditos sibi codices integros et illaesos deportabunt, (de qua integritate a Judice et Promotore Fiscali inspecta facienda est mentio in Actis) et suam voce et scripto dicent sententiam. Si codices exhiberi nequeant Judici quia e loco ubi asservantur extrahi non possunt, Peritis electis, postquam juraverint, munus conferetur eum ipsum locum adeundi, eosque codices mature examinandi, ac postea de iis ad Judicem referendi die quae designabitur: qua die suum voce et scripto proferent judicium, sed antea juramentum iterabunt. Codices autem qui plerumque prout sunt originales in Processus Acta inseri non possunt, ab Actuario describentur, qui de rite peracta descriptione, seu *de concordantia cum originali* fidem faciet. Codices autem quod attinet qui ex bibliothecis extrahi nequeunt, Postulator eorum exemplar suo tempore Actis inserendum exhibebt, munitum legalitate at Praefecti bibliothecae aut Cancellarii Episcopalis, aut alterius Notarii Ecclesiastici, mentione facta loci ubi autographon asservatur etc.

Eodem modo cum Peritis agetur pictoribus, sculptoribus, architectis qui, tabulas, statuas, monumenta, aediculas, effigies et alia quod attinet cultus argumenta, de aetate testimonium ferre debent quo illa depicta, sculpta, delineata fuerint. Harum tabularum, statuarum, monumentorum etc. formam, figuram, materiam etc. Periti minutim referent, et si eorum exempla extent graphio delineata, in Processus tabulis inserantur.

Tandem Judex sepulcrum Servi Dei, si adsit, secus

templum in quo praecipue colitur visitabit cum Fiscali et Actuario, et inquiret de omnibus cultus indiciis quae in sepulcro, circa sepulcrum, in templo, in aedibus adnexis extent: ac duos vocabit testes ex iis selectos qui templum aut sepulcrum custodiunt, et rei de qua agitur gnari sunt, eosque, postquam sese juramento obstrinxerint de veritate dicenda, Promotor Fiscalis pro re nata, ex officio interrogabit an sciant vel audierint circa sepulcrum Servi Dei cultum publicum et ecclesiasticum fuisse semper exhibitum, et quomodo, a quo tempore, a quibus, an in praesentia idem cultus exhibeatur, et quomodo, et quamnam afferre possint scientiae suae causam etc.

Sepulcrum ab Actuario describetur, et eius forma, materies, ornamenta, situs. Describetur etiam aedicula, si in honorem Servi Dei dicata sit, et quidquid ibi est, vel in templo, vel in Sacrario, vel in aedibus adnexis quod cultum testetur. Periti etiam prout res feret adhibeantur qui de antiquitate sepulcri, tabularum etc. jurati fidem faciant.

Periti diligentia maxima suo munere fungantur necesse est. Ex. gr. fieri potest ut effigies Dei Servi depictae, nullum aliud exhibeant cultus argumentum quam aureolam aut radios circa caput. Peritorum erit judicare non modo de aetate qua effigies depicta fuit, sed etiam an aureola et radii fuerint eadem aetate ac effigies depicti. Si tabulae inscriptio superaddita sit praeferens titulum *Beati* aut *Sancti*, Periti an haec inscriptio vetusta sit sicut tabula, an recentior judicare debent: et sic de aliis. Ad haec, primum omnium debent testari an illae effigies et statuae sint reapse eius Servi Dei de quo agitur. Votivae tabellae, uti diximus, circa sepulcrum appensae, alterum constituunt ex cul-

tus argumentis. De aetate qua depictae fuerint pariter a Peritis proferetur sententia: sic etiam de aetate cuiuslibet alius rei, ex. gr. aenearum lampadum quae in honorem Servi Dei fuerint donatae, etc,

Visitatione sepulcri aliorumque peracta, atque omnibus congestis cultus probationibus, Judex sententiam feret qua, si tamen id se judicare posse coram Domino putet, pronunciabit constare de cultu publico et ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito, numquam interrupto et usque ad tempus quo sententia profertur continuato. Sententiam feret Judex etsi fuerit ab Ordinario delegatus: in Urbe tamen Emus Vicarius, quamquam Sessionibus Processus non interfuerit, eam profert. Feret autem ipse solus Judex, adstantibus quidem, si nominati fuerint, et consulentibus Judicibus Adjunctis, non autem ipsis cum Judice pronuntiantibus: Adsessores enim cum sint, consilium utique praebere possunt si de eo requirantur, non autem ferre sententiam.

In usu esse novimus Processum publicari post latam sententiam: sed etiam novimus ex hoc usu a Promotore Fidei Urbis animadversiones fuisse excitatas, quia nempe publicata fuerit sententia antequam publicaretur Processus. Ad dubium omne amovendum, dicimus petendam esse a Postulatore publicationem Processus et sententiae: et a Judice jubendum Processum publicari, ac destinandam sequentem Sessionem ad sententiam suam pronuntiandam et publicandam, aliaque fieri quae facienda sunt ut Transumptum Processus scribatur.

Ex iis quae diximus quisque novit non singulas a nobis praeberi posse Sessionum formulas, quae, cum Periti intervenient, habebuntur. Sed elementa veluti

dedimus earum Sessionum, ac propterea facile erit formulas accomodare.

(Formula supplicis libelli Postulatoris)

Illme ac Rme Domine

Servus Dei N. Beatus (aut « Sanctus ») nuncupatus adeo dum vixit christianarum virtutum splendore refulsit eamque sibi comparavit sanctitatis famam ut post pretiosum ejus obitum qui accidit..... publico et ecclesiastico cultu, in hac praesertim Tua Dioecesi, non modo vulgus populi, sed spectati etiam prudentia et dignitate viri venerati eum fuerint et venerentur adhuc. Et quamquam Decreta Sa. Me. Urbani Papae VIII vetuerint publicum et ecclesiasticum cultum tribui Dei Servis nondum beatificatis, iis exceptis, inter alios, quibus cultus ille ab immemorabili tempore tribuebatur; cultus praefati Servi Dei N. ideo non fuit amotus, quia jam a tempore immemorabili praestabatur, prouti testantur historiae, documenta, necnon publica vox et fama. Verum cum cultus iste ab Apostolica Sede adprobatus et confirmatus nondum fuerit, et opportunum videatur hanc adprobationem et confirmationem impetrare, idcirco N. N. in Causa Beatificationis et Canonizationis praefati Servi Dei N. legitime constitutus Postulator, prouti constat ex Mandato Procurationis quod reverenter exhibet, Te, Illme ac Rme Domine, enixe adprecatur, ut digneris juxta Urbani VIII et etiam Leonis XII Decreta et juxta alterum Decretum editum a Sa. Me. Pio Papa IX die 10 Decembris anno 1868, Ordinaria Tua

Auctoritate instruere Processum super cultu ab immemorabili tempore praestito eidem Servo Dei N. et usque ad haec nostra tempora sine interruptione continuato, seu super *Casu excepto* a dictis Decretis Sa. Me. Urbani Papae VIII.

Quod si ob gravia Tua negotia id per Te explere non possis, Orator obsequenter postulat ut ad hoc opus Vicarium Tuum Generalem vel alium aliquem virum in ecclesiastica dignitate constitutum deputare placeat, et etiam deputare Promotorem Fiscalem qui Processus Actis adsistat: Notarium aliquem Apostolicum sive Ecclesiasticum qui Acta conscribat, Testiumque depositiones recipiat: et denique Cursorem sive Cursores qui citationes et alia jussa exequantur. Et de gratia etc.

(Rescriptum Ordinarii)

Viso hoc supplici libello Nobis porrecto a N. N. Postulatore in Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N. Beati nuncupati legitime constituto, prouti constat ex Mandato Procurationis Nobis pariter exhibito, ejusque preces obsecundare volentes, decernimus ad petitum Processum super Casu excepto conficiendum devenire. Cum vero pastoralis muneris nostri curis impediti id per Nos ipsos perficere non possumus, ideo juxta formam et tenorem Decretorum generalium S. R. C. deputamus ad eiusdem Processus constructionem in Judicem D. N. N. Nostrum Vicarium Generalem (vel « N. N. Archidiaconum » vel « N. N. Ecclesiae Nostrae Cathedralis Canonicum ») eique facultates omnes necessarias et opportunas ad hunc effectum impertimur; in Promotorem vero Fiscalem R. D. N. Fiscalem nostrae Curiae, et in Notarium Actuarium ad Acta conscribenda et Testium depositiones excipiendas D. N. Notarium Ec-

clesiasticum (vel « Apostolicum »); in Cursorem seu Nuncium D. N., ac propterea mandamus eosdem per infrascriptum Nostrum Cancellarium de hujusmodi deputatione moneri ut compareant coram Nobis die... hora... in Sacello nostri Palatii Episcopalis (aut alio loco sacro), commissum quisque sibi munus acceptet, suumque omnes praestent iuramentum. Fiscalem vero mandamus citari pro dicta die et hora ut in eodem loco compareat non modo ad munus acceptandum et iuramentum praestandum, sed etiam ad videndum et opponendum contra hoc Rescriptum quidquid in Domino videbitur, aliaque fieri etc. (1).

Dat. ex Nostro Palatio Episcopali hac die...

N. Episcopus N. (Sigillum Episcopi)

N. Cancellarius Curiae Episcopalis (Sigillum Cancellarii).

(Formula citationis contra Promotorem Fiscalem quam Cancellarius per Curiae Cursorem mittet).

Ex mandato Illmi ac Rmi D. N. Episcopi N. citetur Rmus D. N. Episcopalis Curiae N. Promotor Fisci et in Causa Beatificationis et Canonizationis S. D. N. specialiter in Promotorem Fiscalem deputatus ab eodem Illmo et Rmo D. Episcopo N. ad comparendum die..... hora.... in.... coram praelaudato D. Episcopo, et tunc ad videndum et opponendum quidquid in Domino expedire iudicaverit contra Rescriptum ipsius D. Episcopi pro inchoatione Processus Ordinarii heic N. construendi super cultu ab immemorabili tempore praestito eidem Servo Dei N. seu super Casu excepto a Decretis Sa. Me. Urbani Papae VIII de cultu Servis Dei nondum Beatificatis non tribuendo: ad videndum Judicem per Illmum ac Rmum D. Episcopum ad Processum delegatum,

aliosque pariter deputatos iuramentum praestare: necnon ad illud per seipsum emittendum, aliaque videndum fieri et interponi necessaria et opportuna etc. dicta die et hora et loco.

Instante N. Causae Postulatore.

N. N. Cancellarius Episcopalis.

ADNOTANDA

(1) Ne pluries quae jam dixîmus repetamus, monemus prae oculis habenda esse non modo Generalia Monita quae Instructionibus praemisimus, sed etiam Instructionem pro conficiendo Processu Ordinario Informativo, ac praesertim Adnotationes. Sic ex. gr. electionem et citationem Promotoris Fiscalis quod attinet, cfr. Adnotat. 3, pag. 67: de formula Rescripti si Episcopus vel semper vel aliquando Processus Sessionibus interesse velit, cfr. Adnotat. 4 in fine pag. 68.

Heic vero aliquid advertere praestat de citatione contra Promotorem Fiscalem ipso Episcopi Rescripto decreta. Curandum omnino est ut Processus Ordinarii iisdem solemnitatibus conficiantur ac Apostolici. In Apostolicis autem Promotor Fiscalis Curiae, qui a Promotore Fidei Urbis in Sub-promotorem deputatur, citatione compellitur *ad comparendum* in prima Sessione. Idem servandum dicimus in Processibus Ordinariis. Attamen valida erunt Acta si in hisce Ordinariis Processibus non citetur, sed tantum moneatur, praesertim si non qui Promotoris Fisci jam in Curia munere fungitur deputetur ad Processum, sed vir alter.

SESSIO I.

In Dei Nomine. Amen.

N. N. (appellatio Causae) Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N. Beati nuncupati.

Anno a salutifera Domini Nostri Jesu Christi Nativitate Millesimo.... Indictione Romana... die... hora.... Pontificatus autem SSmi Domini Nostri N. PP... anno...

Coram Illmo ac Rmo D. N. Episcopo N. pro Tribunali sedente in Sacello Palatii Episcopalis (aut alio loco sacro) praesentibus D. N. Judice deputato, D. N. in Actuarium electo, D. N. in Cursorem deputato, omnibus pro his die, hora et loco praecedenter per me monitis, et D. N. Promotore Fiscali ex mandato Illmi ac Rmi Episcopi ad hoc citato, (si non citatus fuerit dicatur « praesentibus D. N. Judice deputato, D. N. Promotore Fiscali pariter deputato..... omnibus pro his etc.... per me monitis ») Testibusque infrascriptis praesentibus specialiter adhibitis atque rogatis, comparuit N. N. Postulator seu Procurator specialiter constitutus a... prout docuit per literas patentes Mandati Procurae in sui personam factas Illmo et Rmo Domino alias exhibitas et nunc reproductas (1) ad quas etc. atque humillime exposuit Servum Dei N. Beatum nuncupatum adeo dum vixit christianarum virtutum splendore refulsisse, eamque sibi comparasse sanctitatis famam ut post obitum qui accidit... publico et ecclesiastico cultu in hac praesertim Dioecesi honorari coeptus fuerit: eum vero cultum ab immemorabili tempore praestitum ante publicationem Decretorum Sa. Me. Urbani Papae VIII cultum erga Dei Servos non Beatificatos prohibentium, et usque ad haec

nostra tempora sine interruptione continuatum, alterum constituere ex casibus ab iisdem Urbanianis Decretis exceptis: opportunum autem videri eius cultus adprobationem et confirmationem ab Apostolica Sede impetrare. Ad hunc autem effectum cum necessarius sit construere Processum super Casu excepto S. R. Congregationi deinde exhibendum, juxta eadem Urbani VIII et etiam Leonis XII Decreta, et juxta Decretum alterum editum a Sa. Me. Pio Papa IX die 10 Decembris anno 1868: idcirco idem Postulator efflagitat ut Illmus ac Rmus Dominus Episcopus per se vel per Judicem ab eodem Illmo ac Rmo Domino jam deputatum in suo Rescripto exarato die... ad calcem supplicis libelli ab ipso Postulatore eidemD. Episcopo porrecti, quod Rescriptum pariter exibuit, praefatum Processum construere dignetur auctoritate sua Ordinaria, et juxta eiusdem Rescripti tenorem et formam devenire ad juramentum a se, si Processus Actis interesse velit, neque non a Judice deputato, Promotore Fiscali, Notario Actuario et Cursore praestandum; ac simul petiit destinari loca et loca locorum ac dies et horas tam pro Audientiis et Actis publicis praesentis Processus, quam pro examinibus Testium recipiendis ad formam Decretorum generalium S. R. C., et actum et Decretum aliud quodcumque desuper necessarium et opportunum fieri et interponi in forma.

Tunc Illmus et Rmus D. Episcopus iis visis et auditis, primum inspexit Mandatum Procurae ac tradidit inspiciendum Promotori Fiscali, qui cum nihil opponendum haberet, illud tamquam legitimum et authenthicum admisit et declaravit: cum autem legitima sit persona Postulatoris in Causa comparentis, ulterioribus eius petitionibus annuendo admisit supplicem

eius libellum et Rescriptum deputationis a se factum quod uti integrum, genuinum, nullaque in parte vitiatum cognovit et declaravit, et cum Promotor Fiscalis nihil se habere fassus sit adversus illius authenticitatem et integritatem mandavit ad calcem huius Sessionis illud registrari; confirmavit deinde deputationem in Rescripto factam, et quatenus opus sit, pro maiori cautela, de novo deputavit pro constructione hujus Processus in Judicem Rmum D. N., in Promotorem Fiscalem qui cuicumque Actui assistat D. N., in Notarium Actuarium D. N., et in Cursorem pro expediendis citationibus et juridicis intimationibus D. N. qui omnes collatum sibi munus acceptarunt ea qua par est reverentia et obsequio. Deinde Illmus ac Rmus D. Episcopus unicuique eorum juramentum detulit, quod immediate unus post alterum reverenter obtemperantes praestiterunt ad contactum Sacrorum Evangelicorum · prout infra...

(Omnia agentur ut in I Sessione Processus Informativi quam vide a pag. 73 ad 78 incl. paucis tantum mutatis. At raro in hoc Processu accidet ut inducantur Moniales ad testificandum, nisi forte agatur de cultu praestito Servae Dei quae Monialis fuerit.)

ADNOTANDA

(1) Formula Mandati Procurationis quam supra dedimus pag. 4. et 5 ad Causas quae *procedunt per viam Non cultus*, adhiberi haud commode potest in Causis quae procedunt per viam *Casus excepti*: quamobrem aliam heic damus. Ponimus autem Postulatorem constitui ab aliquo pio Sodalitio:)

« N. N. (dignitas et munus constituentis aut constituentium)

Dilecto in Christo Fratri D. N. N. (tituli illius cui Postulatoris munus concreditur) salutem in Domino sempiternam.

Cum virtutum auctor et bonorum omnium distributor Deus anno... ad se vocare dignatus fuerit Servum suum N. Sodalitii nostri... (alumnum, decus, etc.) Beatum nuncupatum, ipsumque virtutibus in vita donis et signis; post obitum vero signis non vulgaribus illustrare non desierit; et cum ipse Dei Servus N. ab immemorabili tempore tamquam Beatus et Sanctus in hac (urbe, dioecesi etc.) publico et ecclesiastico cultu veneretur quin in Beatorum vel Sanctorum catalogum fuerit adscriptus; ideo ad maiorem ipsius Dei gloriam, proximorum utilitatem et Sodalitii nostri decus et ornamentum opportunum existimavimus adlaborare ut cultus iste ab Apostolica Sede adprobetur et confirmetur, ipsiusque Servi Dei merita, magis magisque elucescant.

Sed ad hunc optatissimum finem assequendum in primis Actore opus est qui ea omnia quae necessaria sunt agat, disponat, perficiat. Itaque Te de cuius idoneitate, prudentia, probitate, solertia plurimum in Domino confidimus, hisce nostris Litteris, Actorem, Procuratorem sive Postulatorem in Causa Beatificationis et Canonizationis praefati Servi Dei N. Beati nuncupati, nominamus, eligimus et constituimus, ita ut nostro ac nostri Sodalitii nomine praedictam Causam promovere valeas apud quamcumque Curiam et quoslibet Judices competentes et etiam apud Sacrorum Rituum Congregationem: et propterea omnes et singulas Tibi damus facultates necessarias et opportunas apud praedictos

comparendi, instandi, et ea omnia agendi quae agantur oportet a Postulatore ad effectum impetrandi ab Apostolica Sede adprobationem et confirmationem cultus ab immemorabili tempore praestiti praefato Servo Dei, et etiam, si Deo placuerit, solemnem eiusdem Servi Dei Canonizationem: easque etiam omnes Tibi ut munus hoc Postulatoris rite, recte, libere exercere valeas, damus facultates quae speciali mentione indigerent, quas hic pro expressis et specificatis haberi volumus et praesertim quodcumque licitum et honestum juramentum, et illud quod dicitur de calumnia et in animam nostram eliciendi. Facultatem etiam Tibi concedimus substituendi unum aut plures Postulatores toties quoties Tibi placuerit, non solum heic in (urbe aut dioecesi N.) sed alibi et etiam Romae, praesentibus nostris Litteris in suo robore et firmitate semper manentibus. Hoc igitur et omni alio meliori modo negotium istud fidelitati Tuae committimus et Tibi bona omnia a Deo precamur.

Datum ... ».

Quod ad Mandati authenticitatem spectat et ad nonnullas formulas adhibendas ab eo qui Vice-Postulatoris munere fungitur, cfr. Adnotat 1. pag. 67.

SESSIO II.

(In hac Sessione eadem omnino aguntur et inseruntur quae agenda et inserenda scripsimus in Sessione II Processus Informativi, quam vide a pag. 79. Scilicet Postulator inducit testes, exhibet Articulos, jurat de calumnia. Judex decernit citari testes etc. Nil

igitur est quod addamus. Quoniam vero impetrata ab Apostolica Sede cultus adprobatione, ac deinde Officii et Missae concessione, plerumque eiusmodi Causae non progrediuntur, ac propterea qui in Processu super Casu excepto Postulatorem agit, non ea omnia sciat necesse est quae pro Postulatoribus scripta sunt in I. Vol. huius Codicis, in quo de Articulis diximus (*vide Notam sup. ad pag.* 10) idcirco juverit heic normam dare aliquam ad quam Postulator suos scribere poterit Articulos).

« N. (appellatio Causae)

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N. Beati nuncupati.

Positiones et Articulos infrascriptos dat, exhibet atque producit N. N. Postulator in Causa praedicta legitime constitutus ad docendum de Casu excepto a Decretis sa. me. Urbani VIII, seu de Cultu ab immemorabili tempore praestito eidem Servo Dei N. Beato nuncupato, et ad alium bonum finem et effectum, petens illas et illos recipi et ad probandum admitti; nec non super iis testes ab ipso inductos et inducendos examinari, reservata sibi facultate alios quoque Articulos, si opus fuerit, exhibendi. Non autem intendit se adstringere ad onus superfluae probationis, de quo solemniter protestatur non hoc tantummodo, sed omni alio meliori modo.

Ponit itaque vulgari sermone (sed nos latino heic utimur idiomate) ad faciliorem et communem intelligentiam et probare vult et intendit ut infra :

(Cuilibet Articulo praeponi solent haec verba : « Quod veritas fuit et est » italice « Qualmente la verità fu ed è »).

1° Servus Dei N. qui vixit annos ... ac vitam duxit in heroico virtutum omnium christianarum exer-

citio, obiit tandem in ... anno ... eam sanctimoniae famam adeptus, ut populus N. eum uti Beatum et Sanctum semper habuerit, hoc eum titulo veneratus semper fuerit, et eiusmodi veneratio sit ad hanc usque nostram aetatem continuata: quod affirmabunt testes fide digni et bene edocti, qui scientiae suae causam afferent tum quia ipsi de facto proprio id noverunt, tum quia a maioribus suis et a maiorum maioribus, quos nominabunt speciatim, acceperunt; et quod est publicum et notorium, ac publica voce et fama vulgatum.

2. Post obitum Servi Dei statim eius cadaver depositum fuit in.... atque in eius honorem monumenta erecta fuerunt quae publicum et ecclesiasticum cultum praeseferebant; effigies eius radiis et aureola exrnatae, inter effigies Sanctorum et Beatorum asservatae. Veteres scriptores uti Sanctum habuerunt, Sanctum in suis scriptis vocaverunt; quod affirmabunt testes etc.

3. Ab immemorabili solemne festum celebratur in eius honorem in ecclesia... nec ullus ex Ordinariis qui hanc rexerunt Dioecesim, hanc cultus speciem erga Dei Servum prohibuit: quamobrem veneratio haec tum incepta, nemine contradicente numquam interrupta fuit, quod affirmabunt etc.

4. Ad reliquias Servi Dei, ad eius imagines, sepulcrum, ab immemorabili lumina et cerei incensi sunt, votivae appensae tabellae etc. quod affirmabunt etc.

Ult. Nihil unquam contra hunc cultum scriptum aut factum est: quod affirmabunt testes fide digni et bene edocti, qui scientiae suae causam afferent tum quia ipsi de facta proprio id noverunt, tnm quia etc.

(Et sic prouti ferent excepti illius casus adjuncta

alios Articulos scribet Postulator, sed non multos, quibus testes provocabit ad omnia denuncianda cultus argumenta quae ipsi noverunt.

Caeterum normam nos dedimus non ad ordinem quo disponendi sunt Articuli, sed potius ad eorum formulam; ordinem quod attinet, res tota Postulatoris peritiae committitur si Advocati opera non utatur. Scriptis demum Articulis haec addet:)

Hos pro nunc, reservata sibi facultate alios producendi uti supra, et non se adstringens ad onus superfluae probationis de quo iterum expresse et solemniter protestatur, non solum isto sed et omni alio meliori modo etc.

SESSIO III, IV etc.

(Sessiones istae quae habentur ad recipiendum juramentum et examen testium quos induxit Postulator, testium ex officio, et contestium (sed perraro contestibus necesse erit) eodem modo dirigentur ac Sessiones quae ad idem opus habentur in Processu Informativo, quarum formulas lege a pag. 85 ad pag. 121, et lege etiam Adnotationes: mutari tantum debet petitio quae a Postulatore fit absoluto testium omnium quos ipse induxit examine. Nam in Processu Informativo Postulator petit ut « procedatur ad ulteriora in publicatione et transcriptione Processus » prout est in pag. 110: heic vero declarat se « aliqua habere documenta exhibenda ad probandum cultum ab immemorabili tempore praestitum Servo Dei N. ideoque petit illa admitti et compulsari in Processum, et si opus

fuerit Peritos deputari ad ea documenta recognoscenda et examinanda ». Huic petitioni Promotor Fiscalis objiciet necessitatem examinandi testes ex officio etc. ut in pag. 110.

Eamdem repetet declarationem et petitionem expleto examine testium ex officio, si Promotor contestes inducere velit.

Ad ea nunc venimus quae agenda sunt absoluto testium omnium examine. Uti superius diximus, Postulator non tantum per testes, sed etiam documentis et vetustis codicibus, statuis, picturis, aliisque monumentis cultum ab immemorabili praestitum demonstret oportet, de quorum authentia, vetustate, auctoritate et efficacitate ad probandum, per Peritos constare debet. Monuimus etiam non singulas a nobis tradi posse formulas Sessionum in quibus Periti interveniunt, quarum tamen formularum elementa dedimus.

Nos heic iis uti Postulatorem documentis ponemus, quorum examen implexa aliquantum reddat Processus Acta, ut pluribus possimus occurrere casibus; ex quo percipietur quid et quomodo agendum sit in casibus explanatioribus.

Itaque Postulator jam Judicem et Promotorem certiores fecerit necesse est de documentis quae exhibebit, ut nimirum Judex de idoneorum Peritorum electione cogitare possit. Expleto autem examine postremi testis ex officio aut contestis, si quis fuerit, eoque dimisso, et clausis obsignatisque Interrogatoriis et testium responsionibus, sic poterit Sessio continuari:)

Dimisso praedicto Teste, de mandato Rmi D. Judicis fuit per me Notarium Actuarium accersitus D. N. Postulator qui cum accepisset expletum fuisse Te-

stium omnium examen, exposuit se habere nonnulla documenta, quibus probare intendit cultum ab immemorabili Servo Dei N. praestitum ad haec usque tempora. Quae documenta exhibuit et sunt (describuntur tituli documentorum, quae si fuerint excerpta ex Operibus alicujus Scriptoris, Opus istud citabitur, et Auctor, et locus, et annus quo editum fuerit: ex. gr. « Biographia Servi Dei excerpta ex Opere Jo: Bollandi, cui titulus, Acta Sanctorum etc.... edito... — Excerpta ex historia Urbis N. edita a N. anno... etc. ») : et reverenter petiit et institit documenta illa singula compulsari in Acta et registrari.

Ex adverso D. N. Promotor Fiscalis dixit et protestatus fuit non esse admittenda illa documenta, neque compulsanda, nisi prius recognita eorum authenticitate sive legalitate; alias de nullitate etc.

Tum Rmus D. Judex prae manibus habens praedicta documenta, singula attente inspexit et consideravit, eaque R. D. Promotori Fiscali inspicienda et consideranda tradidit, ipsoque consentiente, authentica, integra, nullaque in parte vitiata declaravit: propterea mihi Notario jussit ea recipi, in Acta compulsari, et per me Notarium in fine hujus Sessionis registrari, prout me facturum promisi. Deinde dictus D. Postulator dixit se habere etiam nonnullos vetustos codices, quos exhibere intendit ad probandum cultum ab immorabili. Exposuit etiam in Bibliotheca N. asservari alios vetustos codices, cultum de quo agitur probantes: itemque exposuit in templo N., in aedibus N., in coenobio N. extare depictas tabulas et statuas probantes eumdem cultum. Quamobrem reverenter petiit et institit deputari Peritos qui praefatos vetustos codices a se exhibendos, et etiam codices qui extant in dicta

Bibliotheca N. quorum exemplar ipse exhibebit, examinent et recognoscant; nec non deputari Pictores et Sculptores qui eas picturas et statuas a se indicandas pariter recognoscant et examinent: et omne aliud quodcumque Decretum necessarium et opportunum interponi etc. (1).

Ex adverso R. D. Promotor Fiscalis protestatus est ad electionem Peritorum non deveniri nisi se praesente, et munus iis non esse committendum nisi prius de eo fideliter et exacte implendo juraverint. Tunc Rmus D. Judex his auditis, annuente Promotore Fiscali, elegit in Peritos ad recognoscendos dictos codices, illustres DD. NN. et NN. in Peritos pictores et sculptores illustres DD. NN. et NN. et designavit diem... horam... et hunc eumdem locum, pro exhibitione dictorum codicum, et exemplarium aliorum codicum quorum originale exhiberi hic nequit, et pro specialiori indicatione picturarum et statuarum et locorum ubi extant, nec non pro recipiendo juramento Peritorum, et munere unicuique suo committendo. Ad quem finem et Promotorem Fisci ipse oretenus monuit, et per me Notarium moneri jussit electos Peritos de eorum electione et deputatione, et ut dicta die et hora in hunc locum accedant etc. Demum mihi injunxit ut de omnibus in hac Sessione gestis publicum Instrumentum conficiam, et cum Promotore Fiscali subscripsit ut infra:

N. N. Judex Deputatus.

N. N. Promotor Fiscalis.

Super quibus omnibus et singulis sic ut supra gestis, ego Notarius publicus in Actuarium specialiter deputatus, hoc publicum Instrumentum de mandato Rmi D. Judicis Deputati confeci et publicavi in forma, et in

fidem hic me subscripsi, meumque solitum Notariatus signum apposui.

Actum.... die, anno, Pontificatu et loco quibus supra.

Ita est. N. N. Notarius Actuarius specialiter Deputatus. (Sigillum Actuarii.)

(Inseruntur nunc documenta a Postulatore exhibita.)

Tenor documentorum quae exhibuit Postulator, et quae a Rmo Judice admissa sunt.

1°... (adnectuntur Processui documenta scripto prius uniuscujusque titulo. Si vero documenta exhibita fuerint autographa et quae adnecti nequeant, Notarius eorum exemplar conficiet, et ad calcem legalitatem suam apponet scribens « Recte descripta ex originali. Ita est N. N. Notarius Actuarius Deputatus ». Meminerit praeterea Actuarius legalitatem suam apponere semper debere postquam documenta ad calcem cujuslibet Sessionis inseruerit, etiamsi legalitate munita fuerint exhibita. V. Adnot. 3. pag. 84.)

ADNOTANDA

(1) Facile intelligitur, non solum exhibitionem codicum et electionem Peritorum in distinctis Sessionibus fieri posse, sed etiam ad exhibenda documenta quae jam suam praeseferant authentiam posse a Judice alteram Sessionem destinari, ne nimis praesens producatur.

SESSIO A.

In Dei Nomine. Amen.

Anno a salutifera Domini Nostri Jesu Christi Nativitate.... Indictione Romana... die vero... hora... Pontificatus SSmi in Christo Patris Domini Nostri N. Divina Providentia Papae... anno.. Coram Rmo D. N. Judice Deputato ab Illmo et Rmo D. N. Episcopo N. in praesenti Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N. Beati nuncupati, sedente pro Tribunali in... loco et loco loci ad recipienda juramenta destinato; praesente R. D. N. Promotore Fiscali, Testibus infrascriptis specialiter rogatis, meque Notario in Actuarium Deputato, comparuit N. N. Postulator, et in termino monitionis factae in antecedenti Sessione, exhibuit quosdam vetustos codices, idest...(enumerantur codices; eorum titulus, forma, paginarum numerus describitur et indicatur quid in unoquoque sit quod ad cultum Servi Dei referatur, ex. gr. « in quo narratur translatio corporis Servi Dei — historia vitae Beati–solemnes honores tributi Servo Dei — aedificatio sacelli in honorem Servi Dei — etc.) Item exhibuit exemplar («trium, quatuor») codicum qui asservantur in Bibliotheca N. uti probatur ex legalitate Praefecti ejusdem Bibliothecae apposita ad calcem ipsius exemplaris: (describitur titulus et alia uti supra: legalitas potest apponi, uti diximus, etiam a Cancellario Episcopali, aut altero Notario publico Ecclesiastico) et exhibuit etiam folium continens indicationem quarumdam picturarum et statuarum quae extant in... (indicantur picturae, statuae, loca etc.), uti probatur ex testificatione (eorum scilicet in quorum aedibus aut templis etc. extant) et reverenter petiit et institit codices tradi examinandos illustribus DD. NN. et NN. Peritis depu-

tatis, iisque mandari ut etiam alios codices descriptos extantes in Bibliotheca N. examinent; et de omnium authenticitate, aetate etc. referant, nec non illustribus DD. NN. et NN. Peritis pictoribus et NN. NN. Peritis sculptoribus mandari ut picturas illi, statuas isti enumeratas in folio uti supra pariter examinent et de earum aetate et de signis cultus quae in eis sunt referant; et omne aliud Decretum opportunum et necessarium interponi etc.

Ex adverso D. N. Promotor Fiscalis dixit et protestatus fuit nihil fieri nisi seipso praesente; et Peritis postquam juraverint, mandandum ut de commisso examine ad hoc Tribunal voce et scripto referant.

Tum Rmus D. Judex Deputatus his auditis mandavit per me accersiri DD. N. N. Peritos paleographos (aut « calligraphos »), DD. N. N. Peritos pictores, et N. N. Peritos sculptores, omnes per me heterna die de eorum electione et deputatione praemonitos, qui statim advenerunt, et munus unusquisque sibi commissum libenter acceptarunt: et ad Rmi D. Judicis jussa exequenda parati, juramentum sibi delatum de munere fideliter implendo seorsim praestiterunt ut sequitur:

Et primo D. N. Peritus paleographus genuflexus juravit dicens:

Ego N. N. Peritus paleographus, tactis, his SS. Dei Evangeliis juro et promitto fideliter adimplere munus mihi commissum recognoscendi et examinandi vetustos codices spectantes ad Causam cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei N. et dicere veritatem super iis de quibus interrogabor, sub poena perjurii: Sic me Deus adjuvet et haec Sancta ejus Evangelia.

Ego N. N. Peritus paleographus juravi ut supra.

Deinde D. N. alter Peritus paleographus juravit dicens etc. (describitur formula juramenti).

Deinde D. N. Peritus pictor juravit genuflexus dicens:

Ego N. Peritus pictor tactis his Sanctis Dei Evangeliis juro ac promitto fideliter adimplere munus mihi commissum in recognitione et examine picturarum (statuarum et aliorum monumentorum si Peritus fuerit sculptor, architectus etc.) spectantium ad Causam cultus ab immemorabili praestito Servo Dei N. et dicere veritatem, super his de quibus interrogabor, sub poena perjurii: Sic me Deus adjuvet et haec Sancta ejus Evangelia.

N. N. Peritus etc. juravi ut supra.

Deinde D. N. alius Peritus etc. (ut supra)

Quibus juramentis sic ut supra elicitis Illmus et Rmus D. Judex DD. NN. Peritis paleographis tradidit exemplaria codicum qui asservantur in Bibliotheca N. a Postulatore uti supra exhibita, mandavitque ut ambo accedant ad dictam Bibliothecam, et originalia dictorum exemplarium attente inspiciant et examinent ad effectum ut eorum quilibet deinde pro sua scientia et conscientia, voce et scripto de eorum codicum authenticitate nec non de aevo in quo exarati fuerunt referat. Et iisdem Peritis tradidit etiam alios supradescriptos codices a Postulatore exhibitos et mandavit iis ut ad eumdem effectum eos attente inspiciant atque examinent, quae omnia illi se facturos promiserunt.

Postea idem Illmus et Rmus D. N. Judex, Dominis N. N. Peritis pictoribus (sculptoribus, architectis) tradidit folium supracitatum a Postulatore exhibitum, continens indicationem picturarum, statuarum, etc. mandavitque his ut se conferant ad indicata loca, easque

picturas, statuas etc. attente inspiciant et examinent, ad effectum ut unusquisque eorum deinde pro sua scientia et conscientia, de earum figura, aetate etc. referat, quod illi se facturos promiserunt.

Demum designavit diem ... horam .... et hunc eumdem locum pro Sessione in qua DD. N. N. Periti praefatos codices, exemplaria codicum, et folium continens indicationem picturarum et statuarum etc. reportent, et commissam relationem faciant; ac propterea illos oretenus monuit ut dicta die et hora compareant, et monuit D. N. Promotorem Fiscalem ut assistat etc. Tandem mihi Notario Actuario mandavit ut de his omnibus Instrumentum conficiam quod me facturum promisi, et cum Promotore et Testibus subscripsit ut infra :

N. Judex Deputatus.

N. Promotor Fiscalis.

N. Testis vocatus.

N. Testis vocatus.

Super quibus omnibus sic ut supra gestis ego N. Notarius in Actuarium specialiter deputatus, hoc praesens Instrumentum confeci et publicavi in forma, et in fidem hic me subscripsi, meumque solitum Notariatus signum apposui.

Actum ... die ... anno, Pontificatu et loco quibus supra.

Ita est N. N. Notarius Actuarius specialiter deputatus (Sigillum Actuarii).

(Non inseruntur heic neque codices neque exemplaria, neque folium indicans picturas etc. quae inserentur in fine sequentis Sessionis, scilicet postquam de eorum authenticitate, et efficacitate per Peritos constiterit).

SESSIO B.

In Dei Nomine Amen.

Anno a salutifera etc.

Coram Illmo ac Rmo D. N. Judice Deputato a ..... etc. praesente D. N. Promotore Fiscali et N. N. Testibus specialiter adhibitis et vocatis, meque Notario in Actuarium deputato, comparuit N. Postulator, et in termino monitionis factae in Sessione antecedent petiit et institit, cum Periti commissum munus impleverint, eos audiri, et eorum relationem recipi et compulsari in Acta etc.

Ex adverso D. N. Promotor Fiscalis protestatus fuit nihil fieri nisi se ipso praesente et nisi servatis omnibus de jure, stylo, consuetudine servandis, et Peritorum relationem non esse accipiendam, nisi prius orali examini subjiciantur, et compertum fuerit ea omnia quae illis tradita fuerant ut examinarent et recognoscerent, esse integra et illaesa, alias etc.

Tunc Illmus et Rmus D. N. Judex, mandavit per me Notarium accersiri DD. NN. Peritos paleographos qui statim advenerunt et exposuerunt se commisso sibi munere quanta potuerunt diligentia perfunctos fuisse, et eidem Rmo D. Judici exhibuerunt tum codices tum exemplaria codicum quae in antecedenti Sessione ab eodem Rmo Judice acceperant: quos codices et quae exemplaria Rmus Judex attente inspexit et consideravit, et inspicienda etiam et consideranda dedit D. Promotori Fiscali, quo nihil opponente, immo annuente, Rmus D. Judex declaravit eos codices et exemplaria codicum, tot esse quot iisdem Peritis tradiderat, et esse integra, et integros, illaesa et illaesos

nullaque in parte vitiata, et vitiatos: exemplaria vero codicum declaravit etiam esse authentica et legalia.

Quibus actis decrevit ad examen dictorum Peritorum seorsim venire, et primum ad examen Periti D. N. Quapropter mandavit Postulatorem, et alterum Peritum et Testes vocatos ex aula (aut « sacello » locus enim sacer sit oportet) discedere. Et cum illi discessissent, clausis januis, D. N. Perito detulit iterum juramentum de veritate dicenda, quod ille praestitit genuflexus, et tactis SS. Evangeliis, eadem verba repetens alias registrata, et dicens: « Sic me Deus adjuvet et haec SS. ejus Evangelia. » Deinde interrogatus a (Judice, vel Promotore) de suo nomine, patria, professione,...

Respondit.....

Interrogatus deinde an attente inspexerit et consideraverit eos codices a Postulatore exhibitos, aliosque quorum exemplar idem Postulator exhibuerat, et quid de eorum authenticitate, aetate, judicet, et quaenam sint ejus judicii rationes

Respondit...

(Super singulis codicibus responsum suum dabit Peritus).

Et cum nil aliud addendum haberet, fuit per me Notarium de mandato Rmi D. Judicis alta et intelligibili voce lecta ejus integra depositio, quam ille ratam habuit et confirmavit et subscripsit, prout infra: Ego N. N. Peritus.. sic pro veritate et pro mea scientia et conscientia retuli et judicavi.

Hisce actis, Rmus Judex Promotore instante jussit eidem Perito ut de his omnibus scriptam relationem exhibeat prout in mandatis habuit, quam ille de facto exhibuit, et ego sic jussus a Rmo D. Judice, eam alta

et intelligibili voce perlegi. Quam relationem Rmus D. Judex cum invenerit relationi orali conformem ab eodem Perito nuper factae, eamque Peritus ipse confirmasset et subscripsisset, mihi tradidit in fine hujus Sessionis registrandam, prout me facturum promisi.

(Advertimus non opus esse ut Periti in relatione orali, idest in responsione ad interrogationes, codicum authographorum qui Judicis et Fiscalis oculis subiecti sunt, paginas enumerent, formam, chartam, etc. indicent, nisi e forma, charta, etc. argumenta desumpserint ad judicandum de eorum authentia et aetate: sed satis erit numerum ordinis quo descripti fuerunt in antecedenti Sessione, et titulum memorare. Sed in relatione scripta omnia minutim exponenda sunt.)

Dimisso praedicto D. Perito, fuit per me Notarium de mandato Rmi D. Judicis accersitus alter Peritus D. N. qui statim advenit, clausisque januis, delatum ei fuit iterum juramentum a Rmo D. Iudice; quod ille praestitit genuflexus etc... (omnia fiunt uti supra; quibus expletis audientur Periti sculptores et pictores: sed facile evenire potest ut ad eos audiendos altera Sessio haberi debeat, ne nimis praesens producatur; tum vero haec agentur):

Dimisso praedicto D. N. Perito (idest postremo qui de codicibus auditus fuit) attenta horae tarditate, Rmus D. Judex decrevit, Promotore Fiscali annuente, aliam destinare Sessionem pro relatione Peritorum pictorum et sculptorum. Igitur ex ejus mandato fuit per me Notarium accersitus D. N. Postulator; qui cum audisset examen aliorum Peritorum recipi in hac Sessione non posse, petiit et institit humiliter destinari diem et locum ad recipiendam dictorum Peritorum

relationem, itemque mandari codices et exemplaria codicum inseri et compulsari in Acta Processus, et aliud quodcumque Decretum opportunum interponi etc.

Tum Rmus Judex, auditis solitis protestationibus D. N. Promotoris Fiscalis, ad recipiendum examen et relationem DD. Peritorum, sculptorum et pictorum N.N. destinavit diem ... horam ... et hunc eumdem locum, et mandavit mihi Notario ut dictos DD. Peritos moneam de hac destinatione ut compareant, et ipsemet oretenus monuit D. N. Promotorem Fiscalem. Deinde mandavit per me Notarium in fine praesentis Sessionis registrari supradictos codices et exemplaria codicum, et demum injuncto ut de his omnibus Instrumentum conficiam in forma, una cum Promotore Fiscali et testibus vocatis se subscripsit ut infra:

N. Judex Deputatus.

N. Promotor Fiscalis.

N. Testis vocatus.

N. Testis vocatus.

Super quibus omnibus sic ut supra gestis; ego N. Notarius publicus in Actuarium deputatus, Instrumentum hoc confeci et publicavi in forma, et in fidem me subscripsi et solitum mei Notariatus signum apposui.

Actum... die, anno, Pontificatu, quibus supra.

Ita est. N. Notarius in Actuarium deputatus. (Sigillum Actuarii.)

(Heic inseruntur: primo codices, deinde relationes Peritorum. Iam supra, pag. 182 diximus quid agendum si codices *originales* inseri non possunt) (1).

ADNOTANDA

(1) Si codices originales inseri nequeunt, quod plerumque fit, non opus est ut totus codex describatur ab Actuario, sed sufficit eam describere partem quae cultus praebeat argumentum, et paginam ejus codicis indicare in qua illa habentur. Fieri vero potest ut eo charactere sint codices scripti qui nonnisi a Peritis legatur et intelligatur : ex gr. si codex sit membranaceus et charactere *longobardico* conscriptus. Hoc in casu Peritis mandabit Judex non solum ut codicem inspiciant, examinent etc. sed etiam ut illum vulgari charactere describant, et de rite peracta descriptione fidem faciant: et de hac quoque muneris parte implenda jurent.)

SESSIO C.

In Dei Nomine. Amen.

Anno etc...

Coram Rmo D. N. Judice Deputato a... etc. praesente D. N. Promotore Fiscali, et N. N. Testibus specialiter adhibitis et vocatis, meque Notario in Actuarium deputato, comparuit N. Causae Postulator, et in termino monitionis in antecedenti Sessione factae petiit et institit audiri relationem DD. N. N. Peritorum pictorum, sculptorum etc. et compulsari in Acta etc.

Ex adverso D. N. Promotor Fiscalis protestatus est nihil fieri nisi seipso praesente, et nisi servatis omnibus de jure, stylo, consuetudine servandis, et Pe-

ritorum relationem non esse recipiendam nisi prius orali examini subjiciantur, alias etc.

Tunc Illmus et Rmus D. Judex mandavit per me Notarium accersiri praefatos Peritos N. N. qui statim advenerunt, et exposuerunt se quanta potuerunt diligentia commisso sibi munere fuisse perfunctos, et folium reportarunt iis jam traditum continens indicationem picturarum, statuarum etc. et locorum ubi illae existunt.

Quibus auditis et visis, Rmus D. Judex decrevit ad eorum examen venire; et primum ad examen Periti N. Quapropter jussit discedere Postulatorem, et alios Peritos, ac Testes vocatos. Et cum illi discessissent, clausis januis D. N. Perito detulit iterum juramentum de veritate dicenda: quod ille praestitit genuflexus et tactis SS. Evangeliis, eadem verba repetens alias registrata et dicens: « Sic me Deus adjuvet et haec Sancta ejus Evangeli ». Deinde interrogatus a (Judice vel Promotore) de suo nomine, patria, professione

Respondit...

Interrogatus deinde an attente inspexerit et consideraverit eas picturas (aut « statuas » etc.) et quaenam sit earum figura, an repraesentent effigiem Servi Dei N. et quibus cultus indiciis, et quid de earum aetate judicet, et quaenam sint ejus judicii rationes;

Respondit... (Peritus antequam de aetate judicium proferat, omnia minutim referet, locum, colores, etc. ut Judex veluti ob oculos habere possit picturam, statuam, monumentum, et percipere quae in his sint cultus argumenta. Examen eodem modo fiet et absolvetur, uti examen aliorum Peritorum de quibus in praecedenti Sessione, eodemque modo accipietur scripta relatio. Quibus actis sic continuabitur Sessio:)

Dimisso praedicto D. N. Perito, ingressus est D. N. Postulator, qui coram Rmo D. Judice adhuc pro Tribunali sedente, et D. N. Promotore Fiscali, Testibus infrascriptis apposite vocatis, meque Notario Actuario, exposuit locum esse prosecutioni coeterorum Actorum, ac propterea petiit et institit destinari diem et horam ad effectum visitandi sepulchrum Servi Dei N. Beati nuncupati situm in templo N. et... (visitandi, nimirum, loca omnia templi aut templo adnexa in quibus extant signa cultus, quae loca indicari debent) et designari viros Peritos qui judicium ferant de picturis aliisque monumentis cultum probantibus, et decerni citationem contra Promotorem Fiscalem ad dictae visitationi assistendum, et ad videndum quodcumque Actum, et quodcumque Decretum opportunum et necessarium fieri et interponi in forma etc.

Tum Rmus D. Judex, auditis solitis protestationibus D. Promotoris Fisci, decrevit procedere ad dictam visitationem, pro qua exequenda destinavit diem... In Peritos vero elegit DD. N. N. (iidem esse possunt qui jam alias electi fuerunt) (1), et mandavit eos per me Notarium Actuarium moneri ut dicta die et hora compareant in... (ipso loco visitando) mandavitque etiam citari Promotorem Fiscalem ut dicta die et hora, in eodem dicto loco adsistat etc. Demum injuncto mihi ut de omnibus in praesenti Sessione gestis Instrumentum conficiam, cum Promotore Fiscali, et Testibus vocatis se subscripsit ut infra:

N. Judex Deputatus.

N. N. etc.

Super quibus omnibus sic ut supra gestis etc (Rogitus, subscriptio, et sigillum Actuarii).

(Inseruntur nunc relationes Peritorum. Formula citationis contra Promotorem Fisci, haec esse potest:)

De mandato Illmi et Rmi Domini N. Judicis deputati a ... in Causa etc.: citetur D. N. Promotor Fiscalis ad comparendum die ... hora... in ... et ibi assistendum visitationi sepulchri in quo reconditum est corpus Servi Dei N. Beati nuncupati, et (aliorum locorum) ibique fieri videndum omnia necessaria et opportuna, et decretum quodcumque necessarium et opportunum fieri et interponi in forma etc.

Instante N. Causae Postulatore.

N. Notarius in Actuarium Deputatus.

ADNOTANDA

(1) Periti privatim ipsi sepulchrum aliaque priusquam habeatur sequens Sessio visitare poterunt, ut magis se sistant expeditos in Sessione.

SESSIO D.

In Dei Nomine. Amen.

Anno ...

Illmus et Rmus D. N. Judex deputatus a ... in praesenti Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N. Beati nuncupati, cum R. D. Promotore Fiscali, Testibusque infrascriptis, personaliter accesserunt ad templum N. situm in ... ubi extat sepulchrum praefati Servi Dei et ubi (et in adnexis locis ...) sunt plures picturae

aliaque monumenta historica, quae, uti asseritur, cultum probant eidem Servo Dei praestitum. Et facta brevi oratione ad Altare Augustissimi Sacramenti, idem Rmus Judex pro Tribunali sedit in ... (scribitur locus, ex. gr. in Sacello N. in Sacrario etc.). Tunc comparuit coram eo D. N. Cursor, qui reproduxit citationem a se personaliter exequutam contra D. N. Promotorem Fiscalem, una cum relatione ipsius exequutionis, tenoris inferius registrandi etc.

Qua facta reproductione comparuit N. Postulator qui in termino ipsius citationis, et in termino monitionis quam in antecedenti Sessione per me Notarium idem Rmus D. Judex mandavit fieri DD. N. N. Peritis (pictoribus etc.) et a me factae die ... petiit et instituit deferri iisdem Peritis juramentum de munere rite implendo, et de veritate dicenda ad ea de quibus interrogabuntur super picturis aliisque monumentis cultum demonstrantibus: et deinde visitari sepulchrum, aliaque monumenta omnia, describi, et ab ipsis Peritis demum tradi judicium etc.

Tunc Rmus D. Judex auditis solitis protestationibus D. N. Promotoris Fiscalis eoque instante, antequam ad dictam visitationem procederet, ad maiorem cautelam mandavit accersiri D. N. Sacristam, qui cum advenisset, idem Rmus D. Judex detulit ei juramentum de veritate dicenda super iis de quibus interrogabitur, quod ille flexis genibus et tactis SS. Dei Evangeliis praestitit dicens:

Ego N. Sacrista hujus templi, tactis hisce SS. Dei Evangeliis, juro ac promitto dicere veritatem super omnibus de quibus interrogabor sub poena perjurii.

Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta ejus Evangelia.

Ego N. juravi ut supra.

Quo praestito juramento, idem Rmus D. Judex, dictum D. N. Sacristam interrogavit an in hoc templo, et ubi, situm sit sepulcrum Servi Dei N.; an ante et circa idem sepulcrum cultus publicus et ecclesiasticus fuerit semper adhibitus, et an sciat utrum adhuc exhibeatur, afferendo adjuncta omnia, et suae scientiae causam.

Ille vero respondit...

Quam responsionem ego Notarius Actuarius de mandato Rmi D. Judicis legi eidem Sacristae alta et intelligibili voce, et ipse eam ratam habuit et confirmavit, et jussus ab eodem Rmo Judice subscripsit ut sequitur:

N. Sacrista etc. ... sic pro veritate deposui.

Postea idem Rmus Judex mandavit accersiri D. N. custodem templi (aut templum frequenter adeuntem etc.), et cum advenisset, detulit pariter ei juramentum de veritate dicenda ad ea de quibus interrogabitur: quod ille flexis genibus, et tactis SS. Evangeliis praestitit dicens:

(Sequuntur omnia uti supra, quibus absolutis sic continuabitur:)

Successive et immediate Illmus et Rmus D. Judex mandavit accersiri supradictos DD. N. N. Peritos ... jam per me, uti supra, monitos, qui statim advenerunt, et jussis Rmi D. Judicis obtemperando, unusquisque eorum seorsim praestitit juramentum de fideliter implendo munere et de veritate dicenda ad ea de quibus interrogabitur, pro recognitione et examine picturarum aliorumque monumentorum ad hanc Causam spectantium. Et primo D. N. Peritus ... juravit flexis genibus et tactis SS. Evangeliis, dicens:

(Eadem esse poterit formula quae habetur in Sessione A. pag. 185).

Quibus praestitis juramentis, Illmus et Rmus D. Judex visitationem sepulcri, aliorumque monumentorum aggressus est, et mandavit praefatis Peritis ut omnia attente ac minutim inspicerent et examinarent; mihique Notario Actuario, ut omnium pariter diligentissimam et minutam descriptionem faciam, quod ego reapse feci, ut sequitur :

(In descriptione Actuarius vulgari idiomate uti potest, eumque adjuvabunt Periti, quo facilius et ad artis normam omnia describat. Describet autem primo formam templi, alas, numerum aedicularum : sed haec non minutim. Deinde locum sepulcri, formam urnae, materiam, ornamenta, picturas, aliaque omnia cultus monumenta, quanta maxima diligentia, quae extent tum in sepulcro, tum in templo etc. et locum in quo extant : qua peracta visitatione et descriptione sic continuabitur:)

Absoluta visitatione, et recognitione horum omnium quae descipta sunt, Illmus et Rmus D. Judex decrevit venire ad examen Peritorum, et primum ad examen D. N. Periti ... ideoque rediit ad ... (locum in quo primo pro Tribunali sedit) jussitque omnes discedere, clausisque januis, et solis manentibus ipso Rmo Judice, Promotore Fiscali, praefato Perito N. meque Notario Actuario, idem Peritus

Interrogatus a Rmo D. Judice, de nomine cognomine, patria, aetate, professione

Respondit ...

Interrogatus an attente inspexerit et consideraverit templum, sepulcrum Servi Dei, picturas, monumenta, eaque omnia quae visitata et descripta nuper

fuerunt, et quodnam ipse proferre possit pro sua scientia et conscientia judicium de aetate qua confecta fuerint, et quibus argumentis innitatur ejus judicium

Respondit ....

(Peritus ut facilius et clarius respondeat, ordinem descriptionis a Notario exaratae sequetur. Absoluto examine et facta a Notario lectione, et a Perito subscriptione, continuabitur:)

Tum Rmus D. Judex, Promotore instante, antequam Peritus discederet, mandavit illi ut de his omnibus quae viderat et judicaverat, scriptam relationem afferat die designanda : quod ille facturum se promisit.

Dimisso praedicto Perito N. de mandato Rmi Judicis accersitus per me fuit alter Peritus D. N. qui

Interrogatus etc.

(Eadem repetuntur)

Absoluto demum examine omnium Peritorum, et apertis januis, ingressus est D. N. Causae Postulator, qui, cum audisset Peritos omnes fuisse examinatos, eosque ex mandato Rmi Judicis scriptam relationem afferre debere : praesentibus Testibus infrascriptis apposite modo vocatis, petiit et institit ut idem Rmus Judex destinare velit diem, horam et locum ad recipiendam dictam relationem Peritorum, ad proferendam definitivam sententiam super cultu ab immemorabili tempore praestito Servo Dei N. nec non ad decernendam publicationem Processus et electionem Scribae seu Amanuensis pro ejusdem transumpto seu exemplo conficiendo, itemque electionem Notarii Adjuncti pro auscultatione et collatione ejusdem transumpti cum originali, et aliud quodcumque Decretum

necessarium et opportunum interponendum; et ideo expediri citationem contra Promotorem Fiscalem etc.

Ex adverso D. N. Promotor Fiscalis protestatus est nihil fieri nisi seipso praesente, et servatis omnibus de jure et stylo servandis, et ad sententiam proferendam non esse veniendum, nisi post factam publicationem Processus alias etc.

His auditis Illmus et Rmus D. N. Judex destinavit diem . . . . horam . . . . pro recipiendis relationibus Peritorum, et pro publicatione Processus, reservata sibi destinatione alterius Sessionis pro definitiva sententia proferenda, aliisque agendis: et decrevit expediri citationem contra Promotorem Fiscalem, ut dicta die et hora, compareat in . . . (designatur locus sacer, qui ille potest esse in quo testium examina accipiebantur) et per me moneri dictos Peritos ut et ipsi dicta die et hora et loco compareant suam scriptam relationem exibituri; quod me facturum promisi. Demum injuncto mihi ut de his omnibus Instrumentum conficiam, cum Promotore Fiscali et Testibus vocatis subscripsit, ut infra:

(Subscriptiones)

Super quibus omnibus etc. (Rogitus, subscriptio, et sigillum Actuarii)

Tenor citationis contra Promotorem Fiscalem ut supra reproductae et relationis ejus executionis est qui sequitur:

(Inseritur citatio in antecedenti Sessione decreta, et relatio Cursoris. Facile autem est formulam alterius citationis in praesenti Sessione decretae accommodare. Citandus nempe Promotor ad ea quae Judex agenda in futura Sessione decrevit.)

SESSIO E.

Anno . . .

Coram Illmo et Rmo D. N. Judice a . . deputato in praesenti Causa Beatificationis etc. pro Tribunali sedente in . . . praesente D. N. Promotore Fiscali, Testibus infrascriptis, meque Notario Actuario, comparuit N. Cursor qui reproduxit citationem a se personaliter exequutam contra D. Promotorem Fiscalem, una cum relatione ipsius exequutionis tenoris inferius registrandi. Qua facta reproductione comparuit N. Postulator, qui in termino ipsius citationis, et in termino monitionis in antecedenti Sessione factae, petiit et institit recipi relationes scriptas Peritorum, et in Acta compulsari; aliaque fieri juxta contenta in eadem citatione.

Ex adverso D. N. Promotor Fiscalis protestatus est omnia fieri debere seipso praesente et servatis omnibus etc. et Peritorum relationem non esse admittendam et in Acta compulsandam, nisi prius iidem Periti juraverint, se eam relationem pro sua scientia et conscientia scripsisse.

Tunc Illmus et Rmus D. Judex mandavit per me accersiri Peritos jam per me monitos, ut in mandatis habueram, et primum Peritum N. Qui cum illico advenisset, Rmus D. Judex jussit discedere Postulatorem et Testes. Quibus abeuntibus, clausisque januis, praefatus Peritus N. exhibuit D. Judici relationem a se scriptam et parendo mandatis Rmi Judicis eam juramento confirmavit dicens:

Ego N. Peritus tactis hisce SS. Dei Evangeliis confirmo hanc meam scriptam relationem, et juro me

quae in ea contenta sunt scripsisse pro mea scientia et conscientia.

N. Peritus.

Tum Rmus D. Judex eam relationem mihi Notario legendam tradidit, eamque a me alta voce perlectam, admisit mihique mandavit ut in fine hujus Sessionis eam registrem. Dimisso praedicto Perito, Rmus D. Judex accersiri mandavit Peritum alterum D. N. qui illico advenit et exibuit relationem a se scriptam quam etc.

(Omnia uti supra. Omnibus demum acceptis relationibus haec agentur:)

Dimisso praefato Perito N. ego ex mandato etc. aperui januas et ingressus est Postulator qui coram Rmo D. Judice adhuc pro Tribunali sedente, praesente Promotore Fiscali et Testibus infrascriptis modo vocatis, petiit et institit pro publicatione Processus et destinatione Sessionis pro definitiva sententia proferenda, et Scriba eligendo ad conficiendum transumptum, et Notario Adjuncto ad faciendam auscultationem et collationem transumpti cum originali.

Tum Rmus Judex, Promotore Fiscali annuente, jussit publicari praesentem Processum, prouti illum publicavit et publicat, mandavitque aperiri Plicum Interrogatoriorum et depositionum Testium ad effectum ut eadem Interrogatoria per me Notarium Actuarium registrentur in fine praesentis Sessionis, prout ego Notarius Actuarius parendo mandatis, praesente Promotore Fiscali, Plicum Interrogatoriorum et depositionum avulsis sigillis aperui. Deinde pro publicatione suae definitivae sententiae et deputatione Scribae, et Notarii Adjuncti destinavit diem .... horam ... (1) et hunc eumdem locum: et decrevit expediri per me Notarium

citationem contra Promotorem Fiscalem. Tandem injunxit mihi ut de omnibus in hac Sessione gestis Instrumentum conficiam, et cum Promotore Fiscali et Testibus vocatis subscripsit ut infra:

(Subscriptiones)

Super quibus omnibus sic ut supra gestis etc. (Rogitus, subscriptio, sigillum Actuarii. Inseritur nunc:)

1° Tenor citationis contra Promotorem....

2° Relatio Periti N....

3° Relatio alterius Periti N....

4° Tenor Interrogatoriorum....

Ita est N. Notarius in Actuarium deputatus.

ADNOTANDA

(1) Judex omne adhibeat studium ut eam proferat sententiam, quae nullam deinde apud S. Rituum Congregationem pati possit exceptionem. Quamobrem id temporis intervallum ad eam proferendam destinet, quo mature ipse publicati jam Processus Acta et documenta, et cultus probationes perpendere possit.

SESSIO F.

Anno...

Coram Rmo D. etc. pro Tribunali sedente in ... praesente D. N. Promotore Fiscali, me Notario Actuario et Testibus infrascriptis, comparuit N. Cursor, et

reproduxit citationem contra D. N. Promotorem Fiscalem a se personaliter exequutam cum relatione ejus exequutionis, tenoris inferius registrandi. Qua facta reproductione comparuit D. N. Causae Postulator qu in termino dictae citationis petiit et institit ut Illmus ac Rmus D. Judex proferat suam definitivam Sententiam super cultu ab immemorabili tempore praestito Servo Dei N. Beato nuncupato seu super Casu excepto a Decretis Urbani VIII de cultu Servis Dei nondum Beatificatis non exhibendo.

Tunc D. Judex, auditis solitis protestationibus Promotoris Fiscalis, eoque annuente, pronuntiavit Sententiam definitivam prout in schedula, quam prae manibus habens, vidit, legit, et diligenter consideravit, eamque propria manu subscriptam mihi Notario Actuario tradidit ad effectum illam legendi, publicandi et in Processum inserendi. Tenor Sententiae est sequens:

« Nos N. N. Judex (Ordinarius aut deputatus a...) Christi nomine invocato, pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, per hanc nostram definitivam Sententiam quam de Juris Peritorum consilio ferimus in Causa Beatificationis Servi Dei N. Beati nuncupati quae coram Nobis in prima vertitur instantia inter D. N. Procuratorem sive Postulatorem specialiter constitutum ex una parte : et D. N. Promotorem Fiscalem ex altera, de et super cultu publico et ecclesiastico ab immemorabili tempore exhibito praefato Servo Dei N. Beato nuncupato, seu super Casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII in Congregatione SSmae Inquisitionis editis anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, et confirmatis anno millesimo sexcentesimo trigesimo quarto:

Visis Decretis Urbani VIII mox recensitis;

Visis depositionibus Testium legitime inductorum et examinatorum, et signanter ex officio advocatorum;

Visis juribus, scripturis et documentis omnibus productis et legitime compulsatis:

Attenta visitatione per Nos facta sepulcri in quo requiescit corpus praedicti Servi Dei (Sacelli in ejus honorem dicati etc.) et descriptione et recognitione judicialiter expleta (Tabellarum votivarum, Donorum Lampadarum, Monumentorum, Imaginum vetustissimarum quae pictae conspiciuntur cum radiis et aureolis more Beatorum et Sanctorum). Visis... (Inscriptionibus cum titulo Beati et Sancti eidem Servo Dei tributo) aliisque documentis antiquissimis et recentioribus:

Auditis voce et scripto Peritorum relationibus:

Visis omnibus Processus Actis: visisque videndis, et consideratis omnibus considerandis, Christi nomine repetito: Dicimus, pronuntiamus, declaramus, et definitive sententiamus constare de cultu publico et ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito, idest ante annum 1534, nunquam interrupto, et ad hunc diem feliciter continuato Servo Dei N. et propterea Causam hanc versari inter casus ecceptos a memoratis Urbani Papae VIII Decretis. Et ita dicimus, pronuntiamus, et definitive sententiamus.

N. N. Judex (Ordinarius vel deputatus).

Lecta, lata et publicata fuit haec Sententia in (locus describitur)et per me Notarium Actuarium promulgata, citato et praesente D. N. Promotore Fiscali, hac die... et praesentibus DD. N. N. Testibus ad praemissa specialiter vocatis, habitis et rogatis.

Et ego N. Notarius Actuarius de hisce omnibus fidem facio ac testor et hic me subscribo.

N. Notarius Actuarius. (Sigillum)

N. Testis vocatus.

N. Testis vocatus.

Quibus omnibus sic ut supra gestis, Rmus D. Judex, Postulatore instante et Promotore Fiscali annuente, decrevit fieri transumptum integri Processus. Ad quem effectum decrevit deputare Scribam (aut Scribas) ad transumptum conficiendum, et Notarium Adjunctum qui una mecum Notario Actuario faciat auscultationem et collationem transumpti postquam confectum fuerit. Auditisque solitis protestationibus Promotoris Fiscalis, eoque annuente, deputavit in Scribam D. N. et in Notarium Adjunctum D. N. Notarium publicum Ecclesiasticum, qui statim per me moniti de hac deputatione illico adfuerunt, et munus sibi commissum libenter acceptarunt, exhibito prius a D. N. Notario in Adjunctum deputato privilegio sui Notariatus, quod Rmus D. Judex postquam inspexit, et inspiciendum dedit Promotori Fiscali, mihi tradidit ad effectum illud in fine hujus Sessionis registrandi, et uterque delatum sibi a Rmo D. Judice juramentum praestitit prout sequitur:

Et primo D. N. Scriba deputatus genuflexus et tactis SS. Dei Evangeliis juravit dicens:

Ego N. scriptor deputatus tactis hisce SS. Dei Evangeliis coram me positis, juro et promitto fideliter exercere munus mihi commissum in transcribendo Processu in hac civitate constructo super cultu ab immemorabili tempore praestito Servo Dei N. Beato nuncupato, sub poena perjurii: sic me Deus adjuvet et haec Sancta ejus Evangelia.

Ego N. scriptor deputatus juravi ut supra.

Deinde D. N. Notarius in Adjunctum deputatus pa-

riter genuflexus et tactis SS. Dei Evangeliis juravit dicens:

Ego infrascriptus Notarius Adjunctus deputatus ad auscultationem Processus in hac civitate constructi super cultu ab immemorabili tempore praestito Servo Dei N. Beato nuncupato, tactis hisce SS. Dei Evangeliis coram me positis juro et promitto fideliter implere munus mihi commissum in auscultatione et collatione dicti Processus, sub poena perjurii: et ita promitto et juro: sic me Deus adjuvet et haec Sancta ejus Evangelia:

Ego N. Notarius in Adjunctum specialiter deputatus juravi ut supra.

(Notarius iste Adjunctus non exhibebit *privilegium sui Notariatus*, si jam alias in hoc Processu exhibuerit. Vide sup. pag. 126 in fine, et pag. 127.)

Hisce peractis, Illmus et Rmus D. Judex mandavit mihi Notario Actuario ut postquam omnia in fine hujus Sessionis registraverim quae registranda sunt, tradam Scribae deputato atque jurato omnia Acta praesentis Processus, et etiam Acta hujus Sessionis, ut illa transcribat, sive transumptum conficiat, Romam ad S. Rituum Congregationem mittendum: item decrevit alteram Sessionem habendam, postquam Scriba deputatus praedictum exemplum sive transumptum absolverit, mihique Notario Actuario commisit ut postquam praedictum exemplum sive transumptum absolutum fuerit, citationem expediam contra Promotorem Fiscalem, ut die et hora uti supra designandis compareat in destinato loco ad videndum etc. quod me facturum promisi.

Quibus omnibus actis et decretis, Rmus D. Judex mihi mandavit, ut postquam Scribae deputato tradidero praesentem Processum, et monuero ut illum cum transumpto reportet, de omnibus in Sessione gestis In-

strumentum conficiam, et cum Promotore Fiscali et Testibus se subscripsit un infra:

(Subscriptiones).

Et ego subscriptus Notarius Actuarius omnia et singula Acta Processus tradidi Scribae deputato, et de his omnibus sic ut supra gestis hoc praesens Instrumentum confeci et publicavi in forma etc.

(Subscriptio et sigillum Actuarii.)

Tenor citationis contra Promotorem Fiscalem per Cursorem, ut supra, reproductae, et relationis ejus exequutionis. (Inseritur)

Tenor Privilegii Notariatus Notarii Adjuncti. (Inseritur, si jam alias exhibitus non fuerit.)

(Postquam scriptor deputatus Transumptum confecerit, id Notario significabit, qui citationem mittet contra Promotorem Fiscalem, juxta mandatum in antecedenti Sessione datum. Formulam hujus citationis quod attinet, et alia omnia quae agenda sunt usque ad finem, legatur Instructio pro Processu Informativo a pag. 128. ad pag. 151. Hoc unum addendum, in epistolis Judicis et Promotoris mentionem esse faciendam de scientia Peritorum et de fide iis habenda.)

VARIANDA

In Processu super Casu excepto, si construatur Auctoritate Apostolica.

(Processus super *Casu excepto* si construi velit introducta jam Causa, seu postquam signata fuerit a Summo Pontifice Commissio Introductionis Causae, opus est ut Postulator a S. Rituum Congregatione impetret Litteras Remissoriales et Compulsoriales quibus facultas tribuatur Processum construendi. Hae Litterae diriguntur Episcopo et ejus Vicario Generali cum *clausula tamen ut idem Episcopus, vel eo legitime impedito, ejus Vicarius Generalis in Processus constructione procedat et assistat.* Aliquando diriguntur soli Episcopo, sed datur ei facultas subdelegandi vel Vicarium Generalem, vel aliquem alium virum sibi *benevisum*, in ecclesiastica dignitate constitutum. Delegatio haec et subdelegandi facultas scripta est in externa parte plici quo Litterae Remissoriales et Compulsoriales continentur. Praeter has Litteras, alias quoque scribit Promotor Fidei Urbis Promotori Fiscali Curiae in qua Processus fieri debet, et alteri viro a Judice delegato eligendo, quibus tum Fiscalem tum alterum eligendum, Sub–promotores pro se constituit. Patet ex his aliam esse debere formulam supplicis libelli a Postulatore Ordinario exhibendi, ab ea qua utitur in Processu Ordinario, et aliam Rescripti.)

(Formula supplicis libelli Postulatoris.)

Illme et Rme Domine

N. N. Postulator in Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei N. legitime constitutus, uti constat ex mandato Procurationis quod reverenter ex-

hibet, exponit Dominationi Tuae Illmae ac Rmae a S. Rituum Congregatione concessas esse Litteras Remissoriales et Compulsoriales ad effectum construendi Processum Apostolicum super Cultu ab immemorabili tempore praestito eidem Ven. Servo Dei, seu super Casu excepto a Decretis Sa: me: Urbani Papae VIII: easque Litteras scriptas esse Dominationi Tuae, Ejusque Vicario Generali delegatis ad praedictum Processum conficiedum. Item exponit impetratas pariter esse alias Litteras a R. P. D. Promotore Fidei Urbis directas D. N. Promotori Fiscali Tuae Curiae et alteri probo doctoque viro per Dominationem Tuam, Ejusque Vicarium Generalem eligendo et nominando in eodem Processu una cum praedicto Promotore Fiscali in Fidei Sub–promotorem. Idcirco praefatus Causae Postulator instanter et reverenter precatur ut ad Litterarum Remissorialium exequutionem devenire velit et diem horam et locum designare in quo ipsae Litterae Remissioriales legitime ac rite praesentari, recipi, aperiri, et executioni mandari possint, citato et interveniente praedicto D. Promotore Fiscali.

Et de gratia etc.

(Facile erit formulae huius partem immutare, si Episcopo facta fuerit subdelegandi facultas.)

(Formula Rescripti Ordinarii.)

Nos N. N.

Viso plico Litterarum Remissiorialium clauso et obsignato a S. Rituum Congregatione Nobis et Nostro Vicario Generali directo, et precibus a D. N. Causae Postulatore exhibitis annuere volentes, destinamus diem... horam... ut in Sacello nostri Palatii (vel alio loco sacro)

praesente Promotore Fiscali Nostrae Curiae dictae Litterae Remissoriales Nobis et Nostro Vicario Generali legitime ac rite praesententur, aperiantur et exequutioni mandari incipiantur, et etiam praesentetur alter plicus Litterarum Promotoris Fidei Urbis, et Promotor Fiscalis, et alter a Nobis eligendus, juxta facultatem in externa ejusdem plici inscriptione tributa, munus Sub-promotoris acceptent: et mandamus ut per Nostrum Cancellarium Episcopalem citetur dictus Promotor Fiscalis ut iis die hora et loco compareat ad videndum haec omnia fieri, ad munus acceptandum etc:

Datum ....

N. Episcopus N.

(Sigillum Episcopi)

N. Cancellarius Episcopalis

(Si in externa Litterarum Remissorialium inscriptione facultas Episcopo detur subdelegandi alium virum sibi benevisum, et neque ipse neque Vicarius Generalis Processui construendo vacare possint, dicetur... « precibus Postulatoris annuere volentes, cum neque Nos neque Noster Vicarius Generalis exequutioni dictarum Litterarum incumbere possimus ob gravia Nostrae Dioeceseos negotia, utendo facultatibus nobis in externa earum Litterarum inscriptione tributis, subdelegamus ad dictam exequutionem D. N. quem mandamus de hac electione per Cancellarium Nostrum Episcopalem moneri, et destinamus diem ... horam ... ut in Sacello etc. praesente Promotore Fiscali Nostrae Curiae dictae Litterae Remissoriales Nobis et dicto D. N. legitime ac rite praesententur. »)

(Formula citationis adversus Promotorem Fiscalem.)

De Mandato Illmi et Rmi D. Episcopi N. intimetur

D. N. Promotori Fiscali Curiae Episcopalis, a S. Rituum Congregatione expeditas fuisse Litteras Remissoriales directas eidem Illmo et Rmo Domino Episcopo N. ejusque Vicario Generali (vel aliter, scilicet prout habet externa Litterarum inscriptio) ad effectum construendi Processum Apostolicum in Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei N. super Cultu ab immemorabili tempore praestito eidem Ven. Servo Dei N. Beato nuncupato, seu super Casu excepto a Decretis sa: me: Urbani Papae VIII, (et praelaudatum Illmum ac Rmum Dominum, utendo facultatibus Sibi tributis in externa inscriptione plici earum Litterarum, per Rescriptum ad calcem supplicis libelli Causae Postulatoris exaratum, subdelegasse ad dictum Processum construendum D. N.); et pro praesentatione, aperitione et admissione earumdem Litterarum, nec non pro inchoatione earum exequutionis designasse diem ... horam ... et locum ...

Citetur igitur ipse Fisci Promotor ut compareat dictis die hora et loco ad videndum haec omnia fieri jurisdictionem acceptari, eligi alium probum Virum qui cum ipso Promotore Fiscali in eodem Processu Fidei Sub-promotoris munere fungatur ad formam externae inscriptionis Litterarum R. P. D. Fidei Promotoris Urbis, quae pariter dictis die, hora et loco aperiri et perlegi debent; aliaque fieri desuper nessaria et opportuna, ut ad Litterarum Remissiorialium exequutionem deveniatur etc.

Instante N. Causae Postulatore.

Dat. . . .

N. N. Cancellarius Episcopalis.

SESSIO I.

In Dei Nomine Amen

N. (Titulus Causae)

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei N. Beati nuncupati.

Anno . . .

Coram Illmo et Rmo D. N. Episcopo N. et Rmo D. N. ejus Vicario Generalis (vel « Coram Episcopo et Rmo D. N. per me monito ex mandato Dominationis Suae » si Episcopus alium elegerit) in . . loco ad infrascribenda destinato (locus sit sacer), praesente D. N. Promotore Fiscali Curiae Episcopalis legitime citato, meque Cancellario et Testibus infrascriptis, comparuit N. Causae Postulator, et in termino citationis per me expeditae adversus D. Promotorem Fiscalem, exhibuit suum Mandatum Procurationis, Rescriptum praefati Illmi et Rmi D. Episcopi N. in calce supplicis sui libelli exaratum, et Litteras Remissoriales Sacrorum Rituum Congregationis clausas et sigillo obsignatas, petens et instans eas aperiri et perlegi, et ad eorum exequutionem deveniri per ipsum Illmum et Rmum D. Episcopum ejusque Vicarium Generalem (vel « per dictum Rmum D. N. ab eodem Illmo et Rmo D. Episcopo subdelegatum ex facultate in externa Litterarum inscriptione eidem facta ») idest ad constructionem Processus Apostolici super Cultu ab immemorabili tempore praestito praefato Ven. Servo Dei Beato nuncupato, seu super casu excepto a Decretis sa: me: Urbani Papae VIII juxta formam in iisdem Litteris descriptam.

Ex adverso D. N. Promotor Fiscalis dixit et protestatus fuit ad praedicta non deveniri nisi prius inspecto et recognito Procurationis Mandato, nec non recognito et declarato illaeso plico Litterarum Rimissorialium, et servatis omnibus et singulis Decretis generalibus et novissimis, nec non forma ipsarum Litterarum S. R. C. aliisque de jure, stylo et consuetudine servandis, et se semper praesente, alias de nullitate etc. non solum etc. sed omni etc.

Et tunc Illmus et Rmus D. Episcopus, iis visis et auditis, inspexit Procurationis Mandatum et inspiciendum tradidit D. Vicario Generali (vel « D.N. ») nec non D. Promotori Fiscali, qui cum nihil opponendum haberent, Mandatum tamquam legitimum et authenticum admissum fuit. Deinde idem Illmus et Rmus D. Episcopus inspexit plicum Litterarum Remissorialium et inspiciendum tradidit (uti supra): quem cum illaesum omnes declarassent, recognito etiam sigillo Emi D. Cardinalis S. R. C. Praefecti, Illmus et Rmus D. Episcopus mihi Cancellario tradidit aperiendum et legendum. Et illico ego Notarius omnibus inspicientibus, dictum plicum, fracto sigillo, reseravi, et in eo repertae fuerunt Litterae Remissoriales S. R. C. prorsus intactae, nulloque vitio laborantes, et interclusum plicum Interrogatoriorum R. P. D. Fidei Promotoris Urbis clausum et sigillatum, non aperiendum nisi in actu examinis: easdemque Litteras, omnibus audientibus, clara et intelligibili voce perlegi.

(Cancellarius Litteras perlegit: cum vero ipsis Litteris inserantur Articuli a Postulatore in Urbe exhibiti, horum Articulorum lectionem omittere poterit. Litteris perlectis jurare debet Episcopus et Vicarius Generalis, si utrique Litterae fuerunt directa: si vero

ex tributa facultate, aliquem Episcopus subdelegaverit, satis erit uni subdelegato Juramentum deferri.)

Quibus Litteris perlectis, Illmus et Rmus D. Episcopus una cum D. Vicario Generali, jurisdictionem et munus acceptarunt qua par erat reverentia, et paratos sese obtulerunt ad illud ineundum, proindeque juramentum in Litteris Remissorialibu praescriptum seorsim praestiterunt, ut sequitur...

(Vel « Quibus Litteris perlectis, Illmus et Rmus D. Episcopus, confirmavit electionem et subdelegationem D. N. a se factam in calce supplicis libelli Causae Postulatoris : qui D. N. munus obsequenter acceptavit et paratum sese obtulit ad illud ineundum, proindeque juramentum in Litteris Remissorialibus praescriptum praestitit ut sequitur.»Heic advertimus, quamquam Episcopus alterum subdelegaverit, tamen et ipsum jurare posse.)

Ego N. N. etc. (formula juramenti, et modus illud praestandi descripta est in ipsis Litteris Remissorialibus.)

Quibus praestitis juramentis, Causae Postulator exhibuit alterum plicum Litterarum R. P. D. Fidei Promotoris Urbis, directum praefato D. Promotori Fiscali Curiae Episcopalis , et alteri docto proboque viro ab Illmo et Rmo Domino Episcopo eligendo et cum ipso Promotore Fiscali in Sub-promotorem Fidei in solidum deputando; qui plicus pariter recognitus et illaesus declaratus fuit : et tunc Illmus et Rmus D. Episcopus utendo facultate sibi tributa in ejus plici externa inscriptione, elegit et deputavit in alterum Fidei Sub-promotorem D. N. qui statim accersitus advenit. Deinde ego Notarius, de mandato Dominationis Suae dictum plicum aperui, et Litteras in eo repertas clara et intelligibili voce audientibus omnibus legi.

Qua lectione absoluta, praedicti D. N. Promotor Fiscalis Curiae Episcopalis, et D. N. ambo in Processu de quo agitur in Fidei Sub-promotores electi, et in solidum deputati, munus sibi commissum obsequenter acceptarunt, seseque promptos ac paratos obtulerunt ad illud ineundum, et illico juramentum in iisdem Litteris praescriptum seorsim praestiterunt genuflexi et tactis SS. Evangeliis, ut sequitur:

(Juramenti formula in his Litteris extat descripta).

Quibus praestitis juramentis, fuit per me de mandato Dominationis Suae Illmae et Rmae traditus ipsis Fidei Sub-promotoribus plicus Interrogatoriorum repertus in Litteris Remissorialibus, ut erat clausus et obsignatus, non aperiendus nisi in actu examinis Testium.

Postea N. Causae Postulatore instante, Illmus et Rmus D. Episcopus, deputavit in Actuarium ad conscribenda Processus Acta, et examina Testium recipienda, D. N. Notarium publicum Ecclesiasticum (aut Apostolicum) et in Cursorem ad exequendum citationes et alia jussa, D. N.

Et ego statim accersivi D. N. in Actuarium deputatum, qui venit et exhibito sui Notariatus Privilegio, munus acceptavit, et juramentum de munere fideliter implendo et secreto servando, prouti in Litteris Remissorialibus praescriptum est, genuflexus et tactis SS. Evangeliis praestitit dicens:

Ego N. tactis hisce Sanctis Dei Evangeliis coram me positis, juro et promitto fideliter implere munus Notarii Actuarii mihi commissum in constructione Processus Apostolici super cultu ab immemorabili tempore praestito Ven. Servo Dei N. Beato nuncupato, juxta formam Decretorum S. R. C. et praecipue novissimorum quae confirmata fuere ab Innocentio Papa XI, nec non juro et promitto

religiose servare secretum tam de contentis in Interrogatoriis, quam de Testium depositionibus super iisdem et super Articulis, nec de his loqui cum aliqua persona, exceptis (« Illmo et Rmo D. Episcopo N. Judice delegato » si juraverit) Rmo D. N. Judice Subdelegato, et Fidei Sub-promotoribus pro eodem Processu deputatis, sub poena perjurii et excommunicationis latae sententia etc. (ut in aliis formulis).

Deinde ego Cancellarius ex mandato etc. accersivi D. N. Cursorem electum, qui subito advenit, et munus reverenter acceptavit, et juramentum praestitit genuflexus et tactis SS. Evangeliis dicens :

Ego N. tactis hisce Sanctis Dei Evangeliis coram me positis, juro et promitto fideliter implere munus mihi commissum Nuncii sive Cursoris in constructione Processus Apostolici super cultu ab immemorabili tempore praestito Ven. Servo Dei N. Beato nuncupato, sub poena perjurii. Et ita juro et promitto, sic me Deus adjuvet, et haec Sancta ejus Evangelia.

N. Cursor deputatus juravi ut supra.

Quo praestito juramento, Causae Postulator institit procedi ad ulteriora et destinari loca et locorum loca, dies et horas pro audientiis et examinibus Testium recipiendis, ac destinari diem et horam pro exhibitione notulae Testium, nec non Positionum sive Articulorum, quos in Litteris Remissorialibus insertos ad probandum producere intendit, et citari Sub-promotores ut compareant dicta die et hora et loco designandis ad dicendum contra jura et Articulos etc. aliaque omnia decerni necessaria et opportuna, ut ad legitimam deveniatur Processus continuationem.

Ex adverso Fidei Sub-promotores dixerunt et protestati sunt nihil faciendum nisi ipsis vel eorum al-

tero praesente, et nisi servatis omnibus de jure servandis, et nisi praestito prius a Causae Postulatore juramento *de Calumnia*, et Testes non esse examinandos super Articulis nisi prius examinentur super Interrogatoriis R. P. D. Promotoris Fidei, alias de nullitate etc Tum Postulator inhaerendo huic protestationi statim juramentum calumniae praestitit genuflexus et tactis SS. Dei Evangeliis dicens : (eadem est formula ac in Processu Ordinario Informativo quam vide sup. pag. 73 in fin.)

Deinde Illmus et Rmus D. Episcopus, et D. N. Judex Subdelegatus, Postulatore instante, et Sub-promotoribus annuentibus, deputarunt pro loco et loco loci audientiarum et Actorum publicorum praesentis Causae etc. (reliqua omnia in hac Sessione et in sequentibus aguntur ut in Processu Ordinario Informativo : vide Instructionem a pag. 74. Inter jura vero quae in fine Sessionis inseri debent, sunt etiam inserenda :

Externa inscriptio plici Litterarum Remissorialium.

Tenor Litterarum Remissorialium.

Externa inscriptio Litterarum Promotoris Fidei.

Tenor earumdem Litterarum.

Cum de Articulis mentio fiat dicatur « Articuli in Litteris Remissorialibus inserti »: cum de Interrogatoriis, dicatur « Interrogatoria R. P. D. Promotoris Fidei ». Si Episcopus qui Judex est delegatus non adsistat, dicetur « Coram D. N. Judice ab Illmo et Rmo D. N. Episcopo Subdelegato ». Judex subdelegatus ipse feret sententiam, et dicet: « Nos N. Judex ab Illmo et Rmo D. Episcopo N. ex facultate sibi ab Apostolica Sede tributa Subdelegatus, Christi nomine invocato, et pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis haben-

tes, per hanc Nostram definitivam Sententiam, quam de Juris Peritorum consilio ferimus in Causa Beatificationis Ven. Servi Dei N. Beati nuncupati quae coram Nobis vertitur inter D. N. Procuratorem sive Postulatorem specialiter constitutum ex una parte, et DD. NN. in Sub-promotores a R. P. D. Promotore Fidei deputatos ex altera etc. » Vide sententiam in Processu Ordinario pag 203.)

Instructio pro conficiendo Processu super Non cultu

Causae omnes in quibus locum non habet *Casus exceptus*, et quae dicuntur procedere *per viam Non cultus,* signata Commissione Introductionis ulterius progredi nequeunt nisi constet obtemperatum fuisse Decretis sa. me. Urbani Papae VIII quae cultum publicum et ecclesiasticum exhiberi vetant Servis Dei. Itaque Processus confici debet qui dicitur *super Non cultu* aut Ordinaria aut Apostolica auctoritate, prouti vel Ordinarius ejusmodi habeat inquisitionem antequam Summus Pontifex Commissionem Introductionis signaverit, vel postquam ea signata fuerit. Et etiam in antiquis Causis, quae nempe ante Decreta illa tractari coeptae sunt, Processum hunc confici oportet, antequam ad discussionem super Virtutibus progressus fiat, quamquam jam tunc fuerint confecti Processus Apostolici super Virtutibus in specie.

Inquisitio haec, sive Processus super Non cultu, fit plerumque in eo dioeceseos loco, in quo Servus Dei cessit e vita et sepultus est: ibi enim maiora quam alibi

ad vetitum cultum incitamenta esse possunt: ac praeterea sepulcrum est a Judice visitandum. Sed fieri etiam in alio dioecesos loco potest, ex. gr. ubi sedet Episcopus, si aut testes ibi utiles habeantur, aut illuc accersiri facile possint. At vero testium absoluto examine, Judex ad locum ubi sepulcrum est accedere debet ut sepulcrum ipsum aliaque loca, uti dicetur, visitet.

Quae sint publici et ecclesiastici cultus argumenta jam diximus sup. pag. 160. Eadem vero absint omnino necesse est cum de Non cultu agitur. Hic autem advertimus Servi Dei reliquias asservari utique posse, sed separatim a reliquiis Sanctorum ac Beatorum: idem dicatur da imaginibus depictis. Sic etiam si a fidelibus qui beneficium aliquod per Servi Dei intercessionem acceperint, donaria aut tabellae votivae deferantur, eos rejicere non expedit: sed donaria illa et tabellae secreto in loco deponantur. Cultus per se indicium non esset effigies Servi Dei sepulcro superimposita; nam in usu hoc est ut sepulcra vita functi imagine exornentur. Sed Servos Dei quod attinet, satius est ut ornatus hic absit, ne sepulcrum visitantibus occasio imaginem venerandi praebeatur, ex quo deinde Animadversiones a Promotore Fidei excitari possunt: Caeterum qui templo est praefectus curare ille potissimum debet ne per importunam fidelium pietatem quidquam contra Urbaniana Decreta admittatur.

Decem saltem testes in hoc Processu inducendi sunt, quos inter duo *ex Officio*, e quorum testimoniis demonstrandum, quamquam Dei Servus praeclarus sit sanctimoniae fama; quamquam ad ejus funus ingens fuerit populi concursus; quamquam ejus *memoria in benedictione sit*, eiusque patrocinium apud Deum imploretur; tamen nil unquam factum aut fieri; nil ex-

titisse aut extare quod publicum et ecclesiasticum cultum redoleat: ac propterea imagines ejus nec radiis nec diademate ornari, neque super altaribus, aut in templo venerari, neque inter Sanctorum aut Beatorum depictas effigies haberi; cereos ad eius sepulcrum, imagines, reliquias non incendi, nec donaria aut notivas tabellas appendi: etsi uti *Sanctus* habeatur, hoc tamen aut *Beati* titulo in publicis libris, in scriptis, in inscriptionibus, in monumentis non cohonestari; preces in ejus honorem publice non recitari: et ita porro. Si vero Servus Dei alter ex iis sit cui antequam Urbaniana Decreta prodierint cultus exhibebatur, demonstrandum cultum illum omnino fuisse amotum, et nullum nunc exhiberi.

Testes autem seligendi qui non modo testimonium ferant, sed testimonii sui rationem reddere possint, quae quidem ratio omnino ab iis est exquirenda. Nam, quid testis prodesset qui ex. gr. interrogatus an sciat Servi Dei reliquias venerari necne, responderet « *Nescio* » vel « *Id non novi* »? Oportet ea testem instructum esse rerum notitia, ut respondere possit « *Numquam vidi Servi Dei reliquias poblicae propositas venerationi, neque audivi: nec facile, si factum id utique fuisset aut fieret, me lateret.* « Ex quo jam Postulator, et etiam Fiscalis Promotor, percipiet cujusmodi sint testes inducendi.

Processus super Non cultu eodem modo digeritur ac Processus super Casu excepto, paucis immutatis, quorum formulas dabimus. Locus vero Peritis heic non est, uti facile intelligitur, qui de authentia et antiquitate codicum, picturarum, aliorumque monumentorum fidem faciant.

Ponimus nunc Processum Ordinaria confici auctoritate.

(Formula supplicis libelli Postulatoris)

Illme ac Rme Domine.

N. N. Postulator constitutus in Causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei N. uti constat ex Mandato Procurationis quod reverenter exhibet, humillime exponit Tibi, Illme ac Rme Domine, confectum jam fuisse in hac Curia Episcopali Processum Informativum super Fama sanctitatis vitae, Virtutibus et Miraculis praefati Servi Dei. Et cum in dies crescat pium fidelium desiderium obtinendi Causae de qua agitur prosecutionem, idcirco Orator Te adprecatur, ut digneris alterum conficere Processum *super cultu numquam praestito* eidem Servo Dei, seu super obedientia praestita Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, quae publicum cultum et venerationem prohibent erga Dei Famulos, quorum Beatificatio nondum ab Apostolica Sede decreta fuit.

Quod si ob gravia Tua negotia id per Te explere non possis, Orator obsequenter postulat etc. ...

(Omnia sequuntur ut in Processu super Casu excepto : idemque esse potest Ordinarii Rescriptum : quamobrem legenda superior Instructio pag. 168–170: mutandum vero, uti patet, Causae *objectum*, et pro – *super cultu ab immemorabili tempore praestito, sive super casu excepto a Decretis sa. me. Urbani VIII* dicendum *super Non cultu, sive super obedientia praestita Decretis sa. me. Urbani Papae VIII.* –

In Sessione I Postulator exponet « confectum jam fuisse in Curia Processum Informativum super Fama sanctitatis vitae Virtutibus et Miraculis Servi Dei N.

Et cum in dies crescat piorum hominum desiderium obtinendi huius Causae prosecutionem, idcirco se Illmum ac Rmum D. Episcopum adprecari ut auctoritate sua Ordinaria dignetur conficere alterum Processum super cultu eidem Servo Dei numquam exhibito » etc. uti in supplici libello.

Si vero aliquod temporis intervallum a Processu Informativo confecto intercesserit, opportunum erit ut Postulator tum in supplici libello tum in I. Sessione memoret famam sanctitatis qua clarus Dei Servi obierit : ac dicet « Dei Servum N. qui obiit die ... in ... tantam sibi ob virtutes suas comparasse sanctitatis famam, ut Episcopus communibus votis satisfaciendum censuerit, et Processum Informativum super Fama sanctitatis vitae etc. confecerit : nunc vero cum in dies crescat piorum desiderium » etc. uti supra.

Sessiones pro exhibitione Articulorum et Interrogatoriorum, testium inductione, juramento, examine, eodem modo habentur ac in Processu super Casu excepto. Sed cum heic Peritorum opera non adhibeatur, postquam postremi testis a Postulatore inducti expletum fuerit examen, dimissus testis, Interrogatoria ac testium responsiones clausae et obsignatae, omniaque haec ab Actuario descripta, sic continuabitur Sessio :)

Deinde ego Actuarius ex mandato Rmi Judicis aperui januam, et ingressus est D. N. Postulator, qui cum audisset expletum esse examen omnium Testium a se inductorum, coram Rmo Judice adhuc pro Tribunali sedente dixit et declaravit se non habere alios Testes inducendos : ideoque institit ut procedatur ad visitationem et descriptionem loci sepulcri in quo Dei Servi corpus est conditum.

Ex adverso R. D. Promotor Fiscalis dixit et pro-

testatus fuit non posse ad ulteriora procedi, nisi prius ad formam Decretorum Congregationis Sacrorum Rituum alii Testes *ex officio* examinentur. Et in eiusmodi Testes *ex officio* induxit N. N. Tunc D. N. Causae Postulator Rmum Judicem rogavit ut juberet Testibus ut supra *ex officio* inductis deferri juramentum de veritate dicenda, et secreto servando ad formam decretorum S. R. C. et postea illos examinari diebus et horis destinandis.

Ex adverso etc. (Cfr. Instruct. pro Processu super Casu excepto, quae appellat ad Instructionem pro Processu Informativo a pag. 121. Sed sicut in Processu super Casu excepto, ita et in Processu super Non cultu numquam aut perraro ad examen vocantur Contestes.

Examine postremi testis *ex officio* expleto eoque dimisso, clausisque Interrogatoriis ac testium responsionibus, sic continuabitur Sessio :)

Dimisso praedicto Teste *ex officio*, ingressus est D. N. Postulator, qui, cum accepisset absolutum esse examen Testium *ex officio* vocatorum, coram Rmo Judice adhuc pro Tribunali sedente, et D. N. Promotore Fiscali, Testibus infrascriptis apposite vocatis, meque Notario Actuario, exposuit locum esse prosecutioni caeterorum actuum, proptereaque petiit et institit destinari diem et horam ad visitandum exterius sepulcrum Servi Dei situm in Ecclesia N. necnon ipsam Ecclesiam (coenobium adnexum et cubiculum in quo Dei Servus vixit et obiit) servatis omnibus de jure servandis ad formam Decretorum sa. me. Urbani VIII, et ad hunc effectum decerni et relaxari citationem adversus D. N. Promotorem Fiscalem etc.

Tunc Rmus Judex decrevit devenire ad dictam visitationem, ad quam exequendam destinavit diem ...

horam ... mihique Actuario mandavit ut pro dicta die et hora opportunam expediam citationem contra Promotorem Fiscalem : quod me facturum promisi. Demum injunxit mihi ut de omnibus in praesenti Sessione gestis Instrumentum conficiam, et cum Promotore Fiscali et Testibus vocatis se subscripsit ut infra :

N. Judex Deputatus (vel « N. Episoopus » si ipse Processum conficiat.)

N. Promotor Fiscalis.

N. Testis vocatus.

N. Testis vocatus.

Super quibus omnibus sic ut supra gestis etc. (Rogitus, subscriptio, et sigillum Actuarii).

(Formula citationis adversus Promotorem Fiscalem

De mandato Illmi et Rmi Domini N. Judicis deputati a ... ad construendum Ordinaria auctoritate Processum super cultu numquam exhibito Servo Dei N.: citetur D. N. Promotor Fiscalis ad comparendum die ... hora ... in Ecclesia N. ... et ibi assistendum visitationi faciendae exterius sepulcri in quo reconditum est corpus praedicti Servi Dei, necnon ipsius Ecclesiae (coenobii adnexi, cubiculi etc.) ibique fieri videndum omnia necessaria et opportuna et decretum quodcumque necessarium et opportunum fieri et interponi in forma etc.

Instante N. Causae Postulatore.

N. Notarius in Actuarium deputatus (1).

ADNOTANDA

(1) Cubiculum visitandum dicimus in quo Dei Servus obiit et etiam in quo habitavit, si cubiculum situm sit in coenobio Ecclesiae adnexo; si vero in privata domo, non visitatur nisi post ipsius Servi Dei obitum aliquo in honore habeatur, aut nulli communi usui fuerit destinatum. Hoc autem in casu praestat cubiculum visitari priusquam visitetur sepulcrum, ut nempe in Ecclesia in qua sepulcrum situm est Sessio expleatur.

SESSIO A.

In Dei Nomine Amen.

(Ut pluribus casibus occurramus, ponimus Dei Servum cujus agitur Causa, coenobitam fuisse; opportunamque ad hoc scribimus Sessionis formulam.)

Anno. . . .

Rmus D. N. Judex deputatus a... ad construendum auctoritate Ordinaria Processum super Cultu nullatenus exhibito Servo Dei N. N. sodali Ordinis... una cum R. D. N. Promotore Fiscali, Testibusque infrascriptis, personaliter accessit ad templum N. situm in... ubi extat sepulcrum praefati Servi Dei; et facta brevi oratione ad Altare Augustissimi Sacramenti, idem Rmus Judex

sedit pro Tribunali in... (scribitur locus, ex. gr. « in Sacello N. in Sacrario » etc.). Tunc comparuit coram eo D. N. Cursor, qui reproduxit citationem contra D. N. Promotorem Fiscalem expeditam, una cum relatione ipsius executionis tenoris inferius registrandi etc.

Qua facta reproductione, comparuit D. N. Postulator, qui in termino ipsius citationis, petiit et institit fieri exterius visitationem sepulcri praedicti Servi Dei N. existentis in eadem Ecclesia, coenobii adnexi et cubiculi in quo dictus Dei Servus habitavit et decessit, aliaque fieri opportuna et necessaria etc.

Tunc Rmus D. N. Judex, auditis solitis protestationibus Promotoris Fiscalis, ad majorem habendam certitudinem loci in quo Servi Dei corpus sepultum asseritur, mandavit coram se accersiri R. D. N. Ecclesiae Sacristam (1), qui cum advenisset, idem Rmus D. Judex detulit ei juramentum de veritate dicenda super iis de quibus interrogabitur, quod ille flexis genibus et tactis SS. Dei Evangeliis praestitit dicens:

Ego N. Sacrista hujus templi, tactis hisce SS. Dei Evangeliis, juro ac promitto dicere veritatem super omnibus de quibus interrogabor, sub poena periurii. Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta ejus Evangelia.

Ego N. juravi ut supra.

Quo praestito juramento, idem Rmus D. Judex dictum D. N. Sacristam interrogavit de nomine, patria, aetate, officio etc... cui ille respondit...

Deinde interrogatus an sciat in hac Ecclesia conditum reperiri corpus Servi Dei N. et in quo loco, et quomodo id sciat?

Respondit...

Deinde interrogatus fuit an circa idem sepulcrum, in Ecclesia praedicta, vel alibi, aliquid dictum factumque

sit, aut dicatur et fiat, quod publicum cultum praefato Servo Dei praestitum redoleat?

Ille vero respondit...

Quas responsiones ego Notarius Actuarius de mandato Reverendissimi Judicis legi eidem Sacristae alta et intelligibili voce, et ipse eas ratas habuit et confirmavit, et jussus ab eodem Rmo Judice subscripsit uti sequitur:

N. Sacrista sic pro veritate deposui.

Postea idem Rmus Judex mandavit accersiri R. D. N. (ex. gr. templi custodem, aut alterum ex coenobitis qui utile ferre possit testimonium, aut aliquem qui in templo illo frequenter versetur, si templum ad coenobitas non pertineat), et cum advenisset, detulit pariter ei juramentum de veritate dicenda ad ea de quibus interrogabitur: quod ille flexis genibus et tactis SS. Evangeliis praestitit dicens:

(Sequuntur omnia uti supra, quibus absolutis sic continuabitur:)

His peractis idem Rmus Judex una cum Promotore Fiscali, Testibus infrascriptis, meque Notario Actuario accessit ad locum ubi extat sepulcrum Servi Dei, eumque locum et ipsum sepulcrum attente inspexit et visitavit, mihique Notario mandavit ut ejusdem sepulcri exteriorem formam describerem; prout ego exequutus sum sequenti modo:

Sepulcrum Servi Dei N. situm est in Ecclesia N et proprie in loco.... Jacet sub terra.... formam habet.... long. metr.... lat. metr... etc. (Si extet inscriptio, describatur: describatur etiam sacellum si in sacello situm est sepulcrum).

Hac peracta descriptione Reverendissimus D. Judex cum eodem Promotore Fiscali, adstantibus infrascriptis Testibus meque Actuario, totam perlustravit Ecclesiam, singulasque ejus partes inspexit, columnas nempe, cappellas, altaria, icones, statuas in ea existentes: perlustravit etiam cum iisdem Sacrarium singulasque ejus partes, et diligenter observavit et recognovit una cum Fidei Promotore, neque circa sepulcrum Servi Dei, neque in Ecclesia, neque in Sacrario extare statuas et picturas dicti Servi Dei quae aliquod praeseferant cultus aut venerationis signum, neque tabellas votivas, donaria, lampades, cereos, inscriptiones, epitaphia quae cultum redoleant, excepta inscriptione sepulcri (si estet); nec quidquam reperiri quod publicum cultum et venerationem erga dictum Dei Servum quolibet modo praeseferat, neque ullum indicium esse quod anteacto tempore cultus publici et ecclesiastici argumentum extitisse demonstret. (Si vero cultus anteacto tempore extiterit, ac remotus postea fuerit, id declaretur, et inspiciatur ut describatur etiam locus, si extet, ubi illius cultus signa, ex. gr. tabellae votivae aliaque fuerint recondita: recondita autem sint oportet in loco clavibus obserato).

Quibus perspectis et recognitis, idem Reverendissimus Judex cum Promotore Fiscali, me Notario Actuario Testibusque infrascriptis, accessit ad coenobium Ecclesiae adnexum, et praecipue ad cubiculum in quo Dei Servus habitavit et in Domino quievit, ad inspiciendum utrum ibi sint imagines vel alia quae cultum publicum et ecclesiasticum significent. Illuc vero cum pervenisset, ad certiorem habendam notitiam loci in quo vixisse et obiisse Dei Servus asseritur, jussit coram se accersiri R. P. N. coenobii praesidem, eique juramentum detulit de veritate dicenda ad ea de quibus

interrogabitur: quod ille flexis genibus et tactis SS. Dei Evangeliis praestitit dicens : (eadem est formula ac superius, cui subscribet testis).

Quo praestito juramento, interrogatus R. P. N. a Rmo Judice fuit de nomine, patria, aetate, officio etc. cui ille respondit. . . .

Interrogatus deinde fuit an sciat in hoc cubiculo habitasse et obiisse Servum Dei, et quomodo id sciat?

Ille vero respondit. . .

Quam responsionem a me alta et intelligibili voce perlectam, idem R. P. N. ratam habuit et confirmavit, ac ex mandato Rmi Judicis subscripsit ut sequitur: Ego N. praeses coenobii sic pro veritate deposui.

Tunc idem Rmus D. Judex jussit coram se accersiri R. P. N. (alter sit ex sodalibus coenobii) cui detulit juramentum etc. (omnia uti supra).

His expletis Rmus D. Judex mihi Actuario mandavit ut describerem formam et singulas partes ejus cubiculi et omnia quae in eo sunt, prout ego statim exequutus sum:

Cubiculum situm est in.. long. metr.... lat. metr... etc...

Hac descriptione peracta, Rmus D. Judex cum Promotore Fiscali attente visitavit et inspexit cubiculum, et vidit et recognovit nihil in eo reperiri quod venerationis et cultus argumentum praebeat.

(Si cubiculum in quo Dei Servus habitavit aliud sit ab eo in quo mortuus est, utrumque inspiciatur, adhibitis testibus qui de hoc alio cubiculo fidem faciant in ipso loco).

Deinde Rmus Judex cum Promotore Fiscali, adstantibus infrascriptis Testibus, etiam praecipua coenobii loca sedulo visitavit et inspexit, ac pariter vidit

et recognovit nihil extare quod venerationem et cultum significet.

Hisce omnibus expletis, Causae Postulator ibidem praesens petiit et institit procedi ad ulteriora et in Causa concludi; et se admitti ad reiterationem terminorum substantialium, proferri definitivam sententiam et publicari Processum: et ad eiusmodi effectum decerni citationem relaxandam contra Promotorem Fiscalem ut die, hora et loco destinando compareat ad videndum haec omnia fieri, et prius ad dicendum si quid habeat contra acta, gesta et actitata in praesenti Processu, necnon contra jura: et praeterea actum ac decretum aliud quodcumque necessarium et opportunum fieri et interponi in forma (2).

Ex adverso D. Promotor Fiscalis protestatus est nihil fieri nisi seipso praesente, et nisi in omnibus servata forma Decretorum S. R. C. aliisque de jure, stylo et consuetudine servandis: ad sententiam vero proferendam non esse deveniendum nisi post factam publicationem Processus, alias etc.

His auditis Rmus D. Judex, consideratis considerandis, destinavit diem... horam... et (locum in quo juramenta et examina testium suscepta sunt) ad haec omnia agenda, pronunciatione suae definitivae sententiae excepta, ad quam proferendam destinationem alterius Sessionis sibi reservavit: et decrevit opportunam citationem per me expediri contra Promotorem Fiscalem ad dicta die, hora et loco comparendum, ibique videndum et dicendum uti supra. Demum mihi Notario injunxit ut de omnibus in visitatione et in hac Sessione gestis et decretis publicum Instrumentum conficiam, et una cum Promotore Fiscali Testibusque vocatis subscripsit ut infra:

(Subscriptiones)

Super quibus omnis sic ut supra gestis in visitatione et in praesenti Sessione, ego Notarius hoc Instrumentum confeci de mandato Rmi D. Judicis et publicavi in forma, et in fidem hic me subscripsi, meumque solitum Notariatus signum apposui.

(Subscriptio et sigillum Actuarii).

Tenor citationis ut supra initio Sessionis reproductae est qui sequitur: (Inseritur).

(Formula citationis in hac Sessione decreta expedienda adversus Fiscalem haec esse poterit:)

N. (appellatio Causae)

De mandato etc.

Citetur R. D. N. Promotor Fiscalis ad comparendum die... hora... in... et ibi ad videndum Causae Postulatorem admitti ad reiterationem terminorum substantialium; necnon ad dicendum si quid habeat contra jura, acta, gesta et actitata in praesenti Processu, ad videndum Processum ipsum publicari, et alia quomodolibet necessaria fieri et interponi etc.

Instante N. Causae Postulatore.

N... die...

N. Notarius Actuarius deputatus.

ADNOTANDA

(1) Testes alumni alicuius Ordinis Regularis, antequam ad jurandum et testandum accedant, veniam ad haec sibi scripto datam a praeside exhibere debent, quae in fine Sessionis inseritur. Sed praeterquamquod

haec venia, uti superius diximus pag. 19, si desit non idcirco irritum erit eorum examen; in praesenti casu, quia nempe Sacrista aliique ad testandum non praevia inductione et citatione, sed improviso a Judice vocantur, ad eam petendam tempus deest opportunum: quamobrem de ea sollicitus non sit Postulator.

(2) Nonnullae in hoc Processu adhibentur *formalitates*, de quibus nihil diximus in Processu super Casu excepto. Sed advertendum in eo Processu agi de *cultu existente*, qui argumentis *positivis*, ut ita dicam, probatur; heic vero de *cultu non existente*, pro quo *negativa* afferuntur documenta: ac propterea minutiori studio et inquisitione opus est.

SESSIO B.

In Dei Nomine. Amen.

Anno...

Coram Rmo D. N. Judice deputato a... pro Tribunali sedente in... praesente D. N. Promotore Fiscali, me Notario Actuario et Testibus infrascriptis specialiter vocatis, comparuit N. Cursor deputatus, et retulit se die... citasse R. D. Promotorem Fiscalem ad contenta in citatione alias per me expedita, quam cum relatione ipsius executionis mihi tradidit inferius registrandam.

Relatione facta comparuit N. Postulator, et repetita praedicta citatione et relatione illius executionis, necnon omnibus et singulis actis in Causa gestis, institit in omnibus et per omnia prout in dicta citatione:

quin etiam eidem citationi inhaerendo, interpellavit et interpellat dictum Promotorem Fiscalem ut si quid habeat deducendum contra acta hactenus gesta et repetita, necnon contra Commissionem Causae de qua agitur, deducat; secus institit in Causa concludi, et alia fieri necessaria et opportuna etc...

Ex adverso D. N. Promotor contra acta dixit generalia verba salvo jure etc., et declaravit se nihil habere contra Commissionem, at reservavit sibi facultatem in posterum deducendi quatenus etc: in reliquis autem protestatus est nihil fieri nisi se ipso praesente et nisi servata forma Decretorum generalium S. R. C. alias de nullitate etc.

Quibus auditis Rmus D. D. Judex mandavit mihi Notario ut in fine praesentis Sessionis registrem tenorem praedictae citationis per Cursorem reproductae, et relationis ipsius executionis. Deinde dictum Causae Postulatorem admisit ad reiterationem omnium et singulorum terminorum substantialium, eosque pro rite et bene servatis habendos esse decrevit, et decernit, non solum isto, sed etc.

Deinde Postulatore instante, et Promotore Fiscali annuente, idem Rmus Judex jussit publicari praesentem Processum, prouti illum publicavit et publicat, mandavitque aperiri Plicum Interrogatoriorum et depositionum Testium ad effectum ut eadem Interrogatoria per me Notarium Actuarium registrentur in fine praesentis Sessionis, prout ego Notarius Actuarius parendo mandatis, praesente Promotore Fiscali, Plicum Interrogatoriorum et depositionum avulsis sigillis aperui. Deinde, eodem Postulatore instante, pro publicatione suae definitivae sententiae, et deputatione Scribae ad transumptum Processus conficiendum, et Notarii Adjuncti ad collationem facien-

dam eiusdem transumpti cum Processu originali, destinavit diem... horam... et hunc eumdem locum: et decrevit expediri per me Notarium opportunam citationem contra Promotorem Fiscalem. Tandem injunxit mihi ut de omnibus in hac Sessione gestis Instrumentum conficiam, et cum Promotore Fiscali et Testibus vocatis subscripsit ut infra:

(Subscriptiones)

Super quibus omnibus sic ut supra gestis etc; (Rogitus, subscriptio, sigillum Actuarii. Inseritur nunc:)

1° Tenor citationis contra Promotorem....

2° Tenor Interrogatoriorum....

Ita est. N. Notarius in Actuarium deputatus.

(Reliqua agenda habentur in Instructione pro construendo Processu super Casu excepto, sive Ordinario a pag. 202 ad 207, sive Apostolico a pag. 208 ad 218, quae serventur mutatis mutandis. Sed heic ponimus formulam sententiae in Processu Ordinario pronunciandae, quae eiusmodi esse poterit:)

Nos N. Judex (Ordinarius aut Deputatus) ad conficiendum Processum Ordinarium super Cultu nullatenus exhibito Servo Dei N.

Christi nomine invocato, pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, per hanc nostram definitivam Sententiam quam de Juris Peritorum consilio ferimus in Causa Beatificationis Servi Dei N. quae coram Nobis in prima vertitur instantia inter N. Postulatorem specialiter constitutum ex una parte et N. Promotorem Fiscalam ex altera, de et super obedientia Decretis a Sacra Congregatione Inquisitionis editis super cultu non exhibendo Servis Dei cum fama sanctitatis defunctis:

Visis Decretis nuper recensitis:

Visis depositionibus Testium legitime inductorum et examinatorum, et signanter ex officio advocatorum:

Attenta visitatione per Nos facta sepulcri in quo requiescit corpus praefati Servi Dei, Ecclesiae (coenobii adnexi, cubiculi etc.):

Visis omnibus et singulis Processus Actis, visisque videndis et consideratis considerandis, dicimus, pronunciamus, declaramus et definitive sententiamus, nec circa sepulcrum seu tumulum, nec alibi circa reliquias, imagines, aliasque memorias dicti Servi Dei N. quidquid reperiri, quod publicum vetitumque cultum quoquo modo praeseferat, aut quomodocumque non sit ad formam dictorum Decretorum; sed iisdem fuisse et esse sufficienter satisfactum et praestitam obedientiam. Et ita dicimus, declaramus et definitive sententiamus, non solum isto, sed quovis alio meliori modo.

Nos N. ita dicimus et pronunciamus.

(Si cultus aliquando fuerit praestitus, sed in praesentia nullus sit, immutandus sententiae tenor, uti patet, et dicetur ex gr: « Viso quod quamquam anteacto tempore cultus nonnulla argumenta extiterint, ea vero amota omnino fuerunt in obedientiam memoratorum Decretorum... declaramus... iisdem Decretis esse sufficienter satisfactum etc. »

Legatur autem oportet sequens Jnstructio *pro conficiendo Processu Apostolico super Fama in genere* nam in ea descripta habentur speciatim quae in Apostolicis Processibus varianda sunt.

APPENDIX III.

Instructio pro conficiendo Processu Apostolico Super Fama in genere.

Processus iste nonnisi auctoritate Apostolica conficitur. Decem aut octo testes in eo examinantur praeter testes *ex officio*, qui omnes idonei sint oportet ad testandum *in genere* vigere in praesentia famam sanctitatis, virtutum et miraculorum Servi Dei cujus Causa Beatificationis fuit introducta.

Testari in hoc Processu possunt ii qui in Processu Informativo jam testimonium tulerunt: advertat autem Postulator ut, si Servus Dei coenobita fuerit, majorem testium numerum, non ex ipsis Servi Dei sodalibus coenobitis seligat, sed ex externis: de fama enim probationes colligendae sunt, quae non modo apud coenobitas, sed apud populum vigeat. Necessarium superius (pag. 31) diximus vocare contestes qui a testibus nominati fuerint tamquam gnari alicujus facti quod Servi Dei sanctimoniae refragari videatur. Multo vero magis necessarium est in hoc Processu super Fama in genere eos vocare contestes qui a testibus nominati fuerint tamquam adversarii famae sanctitatis ejus Servi Dei, atque ab iis omnia ad rem minutim exquirere, et adversionis causam perpendere: quod quidem Judicum est et ejus qui Fisci partem agit, qui de iis in suis epistolis ad S. R. C. mentionem facient.

Processus super Fama in genere ibi construitur ubi jam confectus fuit Processus Ordinarius Informativus. Remissoriales Litterae, cum extra Urbem fit, a S. R. C. diriguntur Ordinario Dioeceseos et ejus Vicario Generali, ac *quatuor Dignitatibus* sive Canonicis Ecclesiae Cathedralis ab Ordinario ad Judicum munus eligendis. Promotor Fidei Urbis suas etiam Litteras scribit, quas dirigit Promotori Fiscali ejus Curiae in qua Processus est conficiendus, alterique viro a Judicibus eligendo, quibus Litteris Fiscalem alterumque virum in inquisitione habenda suos Sub-promotores constituit. Facultas haec eligendi tum quatuor Dignitates sive Canonicos, tum alterum Sub-promotorem, scripta est in externa plici Litterarum parte.

Ne pluries repetamus monita specialia et adnotationes quas proposuimus in Instructione pro Processu Informativo, Instructionem illam attente primum omnium perlegendam monemus.

(Formula supplicis libelli Postulatoris).

Illme et Rme Domine

N. N. Postulator in Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei N. legitime constitutus uti constat ex Mandato Procurationis quod reverenter exhibet, exponit Dominationi Tuae Illmae et Rmae, a S. Rituum Congregatione concessas esse Litteras Remissoriales et Compulsoriales directas Dominationi Tuae, Eiusque Vicario Generali, et quatuor Dignitatibus seu Canonicis hujus Ecclesiae Cathedralis per Dominationem Tuam eligendis, ad effectum construendi auctoritate ab Apostolica Sede delegata Processum super Fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in genere praefati Servi Dei. Item exponit alias Litteras obtentas esse a

R. P. D. Promotore Fidei Urbis directas D. N. Promotori Fiscali hujus Curiae, et alteri docto proboque viro per Dominationem Tuam, Ejusque Vicarium Generalem et praefatas quatuor Dignitates sive Canonicos eligendo et nominando in eodem Processu una cum praedicto Promotore Fiscali in Fidei Sub-promotorem. Idcirco idem Causae Postulator instanter et reverenter adprecatur ut ad dictarum Litterarum S. R. Congregationis executionem deveniatur, et primo Dominatio Tua utendo facultatibus factis in externa inscriptione earumdem Litterarum, dictas quatuor Dignitates seu Canonicos in Judices eligere et deputare dignetur, et praeterea diem, horam et locum designare in quo, citato et interveniente dicto Promotore Fiscali, Litterae S. R. Congregationis, necnon etiam Litterae Promotoris Fidei legitime ac rite praesentari, recipi, aperiri et executioni mandari possint, et eligi et nominari alter Sub-promotor uti supra.

Et de gratia etc.

(Formula Rescripti Episcopi)

Nos N. N.

Viso plico Litterarum Remissorialium et Compulsorialium S. R. Congregationis clauso et obsignato Nobis exhibitos easque Litteras exequi volentes, precibus praefati Causae Postulatoris annuimus, et utendo facultatibus Nobis tributis in externa ejusdem plici inscriptione, eligimus et nominamus Judices in Processu Apostolico hic N. construendo super Fama sanctitatis virtutum et miraculorum Ven. Servi Dei N. Rmos Dominos N. N. N. N. Nostrae Cathedralis Ecclesiae Canonicos, cum clausula.... (ponitur clausula quae scripta extat in exteriore plici parte de numero Judicum qui

Sessionibus Processus adstare debent). Idcirco jubemus eosdem omnes ut supra nominatos per Nostrum infrascriptum Cancellarium (vel « N. Notarium Ecclesiasticum ») de hujusmodi deputatione moneri ut compareant coram Nobis et Nostro Vicario Generali die... hora... in Sacello Nostri Palatii (vel alibi dummodo sit locus sacer), commissum munus acceptent, aliaque agant quae ex earum Litterarum Remissorialium praescripto agenda sunt. Volumus autem ut per dictum Nostrum Cancellarium citetur Rmus D. Nostrae Curiae Promotor Fiscalis, ut dicta die, hora et loco compareat et tum ad videndum plicum dictarum Litterarum S. R. Congregationis prius recognosci ab extra integrum et nulla in parte vitiatum: deinde aperiri et Litteras in eo contentas perlegi, et ad illorum formam jurisdictionem per Nos aliosque Judices delegatos acceptari: et praeterea ad recipiendum, recognoscendum et videndum aperiri alium plicum Litterarum R. P. D. Promotoris Fidei Urbis directum ipsi Promotori Fiscali alterique probo doctoque Viro per Nos et praefatos Judices die ut supra designata eligendo et deputando, qui una cum eodem Promotore Fiscali, uti ex ipsa externa plici inscriptione, munus Sub-promotoris Fidei in dicto Processu in solidum acceptet: nec non Litteras in eo plico contentas perlegi et executioni mandari: et actum et decretum aliud quodcumque desuper necessarium et opportunum fieri et interponi etc.

Datum ex Nostro Palatio hac die...

Nos N. Episcopus N.

N. Cancellarius Episcopalis (aut « Notarius publicus Ecclesiasticus.) »

(Formula citationis contra Promotorem Fiscalem.)

N. (appellatio Causae)

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei N. N.

De Mandato Illmi ac Rmi D. Episcopi N... intimetur R. D. N. Curiae N. Promotori Fiscali, a S. R. Congregatione expeditas esse Litteras Remissoriales et Compulsoriales directas eidem Illmo ac Rmo D. Episcopo N. ejusque Vicario Generali et quatuor Dignitatibus seu Canonicis hujus Cathedralis Ecclesiae ab ipsomet Illmo ac Rmo D. Episcopo in Judices eligendis, ad effectum construendi Processum Apostolicum super Fama sanctitatis, virtutum et miraculorum praefati Ven. Servi Dei, et ipsum D. Episcopum ex facultate facta in externa plici earumdem Litterarum inscriptione, per Rescriptum ad calcem supplicis libelli a Postulatore Causae exhibiti appositum, nominasse in quatuor Judices Delegatos pro ejusmodi Processu conficiendo Rmos DD. Canonicos Cathedralis Ecclesiae N. N. N. N. (nominentur) et pro praesentatione, aperitione, et admissione earumdem Litterarum et inchoatione dicti Processus destinasse diem... horam... et Sacellum N.

Citetur igitur ipse Fisci Promotor ad comparendum dictis die, hora et loco, et tunc, ad dicendum si quid habet contra praefatum Rescriptum, et ad videndum easdem Remissoriales Litteras, servatis servandis aperiri et perlegi; nec non per eosdem Judices Delegatos, idest per Illmum et Rmum D. Episcopum, ejus Vicarium Generalem et quatuor Dignitates jurisdictionem acceptari, aliaque peragi quae ex ipsarum Litterum praescripto erunt peragenda: insuper eligi alterum probum doctumque Virum, qui cum ipso Promo-

tore Fiscali in eodem Processu Fidei Sub-promotoris munus expleat ad formam externae inscriptionis plici Litterarum R. P. D. Promotoris Fidei Urbis, quae pariter dicta die, hora et loco aperiri et perlegi debent; aliaque fieri desuper necessaria et opportuna ut ad earum Litterarum executionem deveniatur. (1)

Instante D. N. Causae Postulatore.

N. (locus) die...

N. Cancellarius (aut « Notarius Ecclesiasticus »).

(Citatio haec cum relatione Cursoris Curiae de ejus executione, inseretur in fine sequentis Sessionis, et sic fiet de omnibus citationibus).

ADNOTANDA

(1) In aliquibus *Instructionibus* legimus Promotorem Fiscalem citari *ad videndum juramentum per Judices elici, ad juramentum per se ipsum eliciendum, ad videndum eligi Actuarium, Nuncios etc.* Haec nos in formula quam dedimus omittenda censuimus. Juramenta enim, electio Actuarii, Nunciorum etc. praescribuntur per ipsas Litteras Remissoriales et Fidei Promotoris, quarum tenor adhuc latet cum Episcopus suum edit Rescriptum, et citari jubet Promotorem Fiscalem. Citari igitur Fiscalis debet ad ea tantummodo videndum quae in externa Litterarum inscriptione leguntur, et alia quae ad formam earum Litterarum, scilicet postquam perlectae fuerint, erunt agenda.

SESSIO I.

In Dei Nomine. Amen.

Anno a salutifera D. N. Jesu Christi Nativitate.... Indictione Romana.... Pontificatus autem SSmi Domini Nostri N. Papae N. anno... die vero.... mensis.... hora...

Coram Illmo ac Rmo D. N. Episcopo N., Rmo D. N. ejus Vicario Generali, et Rmis DD. N. N. N. N. Cathedralis Ecclesiae Canonicis, omnibus per me ad infrascribenda pro hac die, hora et loco monitis, praesente Rmo D. N. Curiae Episcopalis Promotore Fiscali legitime citato, me Cancellario (aut « Notario publico Ecclesiastico ») et Testibus infrascriptis:

Comparuit D. N. Postulator Causae Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei N. et in termino citationis per me expeditae adversus D. Promotorem Fiscalem, exhibuit Rescriptum praefati Illmi ac Rmi D. Episcopi, in calce sui supplicis libelli exaratum, et Litteras S. Rituum Congregationis clausas et sigillo obsignatas, petens et instans deveniri ad inchoationem Processus Apostolici super Fama sanctitis, virtutum et miraculorum dicti Ven. Servi Dei N. et praefatas Litteras aperiri et perlegi, et ad illarum formam per ipsum Illmum et Rmum Episcopum eiusque Vicarium Generalem ac per dictos quatuor Canonicos ab eodem Episcopo ex facultate in externa plici earum Litterarum inscriptione eidem facta in Judices dicti Processus nominatos jurisdictionem et munus acceptari; aliaque fieri quae ad ipsarum Litterarum normam erunt facienda.

Ex adverso R. D. Promotor Fiscalis dixit et protestatus fuit ad petita non deveniri nisi prius inspecto

et recognito Procurationis Mandato, nec non recognito et illaeso declarato plico Litterarum Remissorialium, servatis omnibus et singulis Decretis generalibus et novissimis, nec non forma ipsarum Litterarum Remissorialium, aliisque de jure, stylo et consuetudine servandis, et seipso semper praesente: alias de nullitate etc. non solum etc. sed et omni etc.

Et tunc Illmus et Rmus D. Episcopus N. iis visis et auditis, Procurationis Mandatum quod Postulator exhibuit et plicum Litterarum inspexit, et ispiciendum tradidit tam D. Vicario Generali et DD. Canonicis supra recensitis, quam eidem D. Promotori Fiscali: et cum nihil opponendum isti haberent, Mandatum tamquam legitimum et authenticum admisit, et plicum Litterarum illaesum declaravit, recognito etiam sigillo Emi D. Cardinalis S. R. C. Praefecti: et ego Notarius de mandato etc. et Promotore Fiscali annuente, omnibus inspicientibus praedictum plicum fracto sigillo reseravi, et in eo repertae fuerunt Litterae Remissoriales S. R. C. prorsus intactae, nulloque vitio laborantes, et in iis ipsis Litteris repertus est plicus Interrogatoriorum R. P. D. Promotoris Fidei Urbis clausus et sigillis obsignatus, non aperiendus nisi in actu examinis: easdemque Litteras omnibus audientibus clara et intelligibili voce perlegi. (Articuli Postulatoris in Litteris inserti non leguntur).

Post haec Illmus et Rmus D. Episcopus N. confirmavit electionem et deputationem jam a se factam Dominorum Judicum, et una cum Vicario Generali dictisque Canonicis jurisdictionem et munus sibi commissum ea qua par erat reverentia acceptarunt, et omnes promptos et paratos sese obtulerunt ad illud ineundum ac propterea juramentum de munere fideliter implendo

et secreto servando prout per ipsas Remissoriales Litteras praescriptum est, seorsim praestiterunt ut sequitur:

Et primo Illmus et Rmus D. Episcopus N. stans et tanges suum pectus juravit dicens:

Ego N. Episcopus etc...

(Modus et formula juramenti praestandi scripta extat in ipsis Litteris Remissorialibus. Meminerit Notarius formulas singulas a se describendas esse in Actis Processus, et subscribendas ab eo qui jurat: et describendum quoque esse singulorum modum jurandi, idest stationem et tactum pectoris Episcopi, genuflexionem et tactum SS. Evangeliorum Vicarii Generalis, Judicum, ac caeterorum omnium.)

Quibus praestitis et subscriptis juramentis, Causae Postulator exhibuit alterum plicum Litterarum R. P. D. Promotoris Fidei Urbis directum ipsi Promotori Fiscali Curiae Episcopalis, alterique probo doctoque viro eligendo, qui cum ipso Promotore Fiscali Sub-promotoris Fidei munus agat in hoc Processu. Quo plico recognito et illaeso ab omnibus declarato, Illmus et Rmus D. Episcopus caeterique Judices delegati, utendo facultate sibi tributa in exteriori eius plici inscriptione, elegerunt et deputarunt in alterum Fidei Sub-promotorem Rmum D. N. (Episcopus hunc eligendum jam monuerit oportet, ut illico praesto sit) quem statim ego ex mandato etc. accersivi: qui cum advenisset et de hac sui deputatione monitus fuisset, illico sese paratum exhibuit ad munus acceptandum et implendum, sicut pariter ad haec eadem paratum sese exhibuit Rmus Promotor Fiscalis.

Quibus attentis ego Notarius ex mandato etc. annuente utroque Fidei Sub-promotore praefatum plicum reseravi et Litteras in eo contentas clara et intelligibili

voce, audientibus omnibus perlegi. Isque perlectis, tum Fiscalis Promotor, tum Rmus D. N. ambo in Processu de quo agitur in Fidei Sub-promotores electi, et in solidum deputati, munus acceptarunt, et juramentum de eo fideliter implendo et secreto servando seorsim praestiterunt juxta formulam in iisdem Litteris datam ut sequitur:

Et primo Rmus D. N. Promotor Fiscalis Curiae in Fidei Sub-promotorem deputatus, flexis genibus, et tactis SS. Dei Evangeliis juravit dicens: (uterque jurat juxta formulam in Litteris scriptam (1).

Hisce peractis Ego Notarius de mandato etc. tradidi Rmis Fidei Sub-promotoribus plicum Interrogatoriorum Promotoris Fidei Urbis clausum et obsignatum, prout repertus fuit in Litteris Remissorialibus, nonnisi in actu examinis Testium aperiendum. Deinde instante Postulatore ut ad ipsarum Litterarum formam eligatur et deputetur Notarius Apostolicus vel Ecclesiasticus ad Acta Processus conscribenda, seu qui in Processu Actuarii munus agat, et etiam eligatur et deputetur Cursor sive Nuncius ad exequendas citationes aliaque jussa, Illmus et Remus D. Episcopus aliique Judices Delegati audita protestatione Fidei Sub-promotorum, iisque annuentibus, elegerunt in Actuarium D. N. Notarium publicum Ecclesiasticum (vel « Apostolicum ») qui statim per me accersitus, et de sui deputatione monitus, munus obsequenter acceptavit, et sui Notariatus privilegium exhibuit, quod Rmi Judices Delegati et Fidei Sub-promotores diligenter recognitum mihi tradiderunt in fine hujus Sessionis registrandum: et deinde ex mandato etc. juramentum praestitit genuflexus et tactis SS. Evangeliis de munere fideliter implendo et secreto servando pout sequitur:

Ego N. Notarius publicus Ecclesiasticus, tactis hisce SS. Evangeliis juro et promitto fideliter adimplere munus Notarii Actuarii mihi commissum circa constructionem Processus Apostolici super Fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in genere in Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei N. juxta formam Decretorum S. R. Congregationis et praecipue novissimorum quae confirmata fuerunt a Ven. Servo Dei Innocentio Papa XI: nec non juro et promitto religiose servare secretum tam de contentis in Interrogatoriis quam de testium depositionibus super iisdem et super Articulis: nec de iis loqui cum aliqua persona exceptis Dominis Judicibus Delegatis et Fidei Sub-promotoribus pro eodem Processu deputatis, sub poena perjurii et excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam Majori Poenitentiario) praeterquam in mortis articulo absolvi possim: et ita promitto et juro. Sic me Deus adjuvet et haec sancta ejus Evangelia.

N. Notarius in Actuarium deputatus juravi ut supra.

Postea, eodem instante Postulatore et annuentibus Fidei Sub-promotoribus, Illmi et Rmi DD. Judices Delegati deputarunt in Cursorem seu Nuncium D. N. qui per me de mandato etc. accersitus et de sui deputatione monitus, munus a Rmis Judicibus commisum obsequenter acceptavit et ab iis jussus juramentum de eo fideliter implendo praestare, genuflexus et tactis SS. Dei Evangeliis coram se positis praestitit dicens:

Ego N. Nuntius seu Cursor deputatus in Processu super Fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei

N. juro ac promitto fideliter adimplere munus mihi commissum, sub poena perjurii. Sic me Deus adjuvet et haec Sancta ejus Evangelia.

Ego N. Cursor deputatus juravi ut supra.

Quo juramento expleto, Causae Postulator institit procedi ad ulteriore, et destinari dies, horas, loca et locorum loca, pro audientiis publicis, juramentis, examinibus, et diem pro exhibitione notulae Testium, necnon productione Positionum seu Articulorum, quos in Litteris Remissorialibus insertos ad probandum producere intendit, omniaque decerni necessaria et opportuna, ut ad legitimam deveniatur Processus continuationem; et opportunam expediri citationem adversus Sub-promotores Fidei. Ex adverso Rmi Fdei Sub-promotores protestati sunt, nihil faciendum nisi ipsis aut altero ipsorum citato vel intimato presente, servatisque omnibus de jure servandis, et ante omnia praestandum esse per Causae Postulatorem juramentum de calumnia nuncupatum, alias de nullitate non solum isto sed et omni meliori modo etc.

Quibus auditis Rmi Judices Delegati, praefato D. N. Postulatori detulerunt juramentum de calumnia, quod ille statim flexis genibus et tactis SS. Evangeliis praestitit dicens:

Ego N. N... (huius juramenti formula extat in Appendice I. pag. 73 et seq.)

Postea vero iidem Rmi DD. Judices Delegati designarunt pro audientiis et actis publicis hujus Processus aulam... (designatur locus, etsi non sacer, ad Judicum arbitrium) et pro loco et loco loci ad excipiendum juramentum et examen Testium... (locus sacer designetur, qui idem designari etiam potest ad audientias habendas et acta publica): pro Testibus in-

firmis aut alio impedimento detentis, eorum domum, et cubiculum in quo iacent infirmi: pro Monialibus earum Monasteria aut ostium Communionis vel Confessionis, aut crates in collocutorio: pro diebus et locis designarunt omnes dies exceptis festis in honorem Dei et Sanctorum de praecepto, de mane ab hora... usque ad horam opportunam, et vespere a meridie usque ad solis occasum, reservata sibi facultate praedicta loca, dies et horas variandi pro opportunitate: item decreverunt futuram Sessionem pro exhibitione notulae Testium et productione Articulorum etc. habendam esse die... in.. (locus potest esse aula supra dicta , necesse enim non est hoc in casu ut sit sacer) et decreverunt per Notarium in Actuariam deputatum expediri citationem adversus Fidei Sub-promotores, eamque exequendam tradi Cursori deputato, ut dicta die, hora et loco compareant, et tum ad videndum praedicta et alia fieri necessaria et oppotuna. Deinde mihi mandarunt , ut postquam in fine praesentis Sessionis registraverim tenorem privilegii Notariatus Actuarii deputati, ac etiam Notariatus mei ipsius de praemissis rogati, nec non alia jura et documenta, omnia Acta originalia huc usque gesta tradam eidem Notario in Actuarium deputato: prout me facturum promisi. Tandem mihi injunxerunt ut de omnibus in praesenti Sessione gestis publicum Instrumentum conficiam, et sese cum Sub-promotoribus Actuario et Testibus vocatis subscripserunt ut sequitur:

N. Episcopus N. Judex delegatus.
N. Vicarius Generalis Judex delegatus
N. Canonicus N. Judex delegatus
N. Canonicus N. Judex delegatus
N. Canonicus N. Judex delegatus
N. Canonicus N. Judex delegatus

N. Fidei Sub–promotor

N. Fidei Sub–promotor

N. Notarius Actuarius deputatus

N. Testis vocatus

N. Testis vocatus

Super quibus omnibus et singulis ut supra gestis, ego infrascriptus de praemissis rogatus, hoc praesens publicum Instrumentum confeci : et in fidem me subscripsi et mei Notariatus signum apposui.

Actum ... die, mense anno ac Pontificatu quibus supra.

Ita est. N. Cancellarius Episcopalis Curiae N.

(Sigillum Cancellarii).

(Inserenda nunc sunt documenta omnia prout sequitur) :

Tenor jurium de quibus supra facta fuit mentio sequens est, videlicet :

1. Supplex libellus Postulatoris cum Rescripto Episcopi (inseritur).

2. Citatio adversus Promotorem Fiscalem (inseritur cum relatione Cursoris).

3. Mandatum Procurationis Postulatoris (inseritur).

4. Externa inscriptio Litterarum Remissorialium (inseritur prout est originalis).

5. Litterae Remissoriales cum Positionibus et Articulis (inseruntur).

6. Externa inscriptio Litterarum R. P. D. Promotoris Fidei Urbis (inseritur).

7. Litterae R. P. D. Promotoris Fidei Urbis (inseruntur).

8. Privilegium Notariatus per Actuarium supra exhibitum (inseritur exemplum authenticum Littera–

rum Patentalium quibus Notarius Ecclesiasticus aut Apostolicus renunciatus fuit).

9. Litterae Patentales Cancellarii Episcopalis (vel « Privilegium Notariatus Notarii ») de praemissis rogati (inseritur exemplum authenticum).

(Hisce juribus insertis, Notarius de praemissis rogatus Acta omnia huc usque descripta tradet Actuario deputato qui testimonium scribet de hac traditione prout sequitur) :

Ego N. Notarius publicus Ecclesiasticus in Actuarium deputatus ad conscribendum Processum apostolica auctoritate construendum super Fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in genere Ven. Servi Dei N. accepi a D. N. Cancellario Episcopali omnia et singula Acta primordialia praesentis Processus, Jura et documenta suprascripto dictorum Actorum Instrumento contenta. In quorum fidem hanc ei dedi apocham mea subscriptione meoque sigillo munitam.

Datum ... die ...

N. Notarius in Actuarium deputatus.

(Sigillum Actuarii).

(Haec etiam apocha inserenda : sed cum authographon penes Notarium ipsum qui Acta tradidit asservetur oportet, inseretur exemplum quod ipse Notarius de primordialibus rogatus authenticum efficiet hac testificatione) :

Extractum est supradictum exemplum e proprio originali penes me existente, cum quo, collatione facta, concordat : salvo semper etc.

(Heic advertimus Actuarium, postquam Jura et documenta ad calcem Sessionis cujuslibet inseruerit, legitimam eam insertionem testificari debere per suum « Ita est. N. Actuarius ». Hisce peractis Actuarius tra-

det Cursori deputato citationem adversus Sub-promotores quam Judices decreverunt, quae ejusmodi esse poterit:)

N. (appellatio Causae)

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei N.

De mandato Illmi et Rmi D. Episcopi N. et D. N. ejus Vicarii Generalis et DD. Canonicorum N. N. N. N. Judicum ab Apostolica Sede delegatorum ad construendum in hac Dioecesi Processum super Fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in genere Ven. Servi Dei praefati,

Citentur Rmi DD. N. et N. Fidei Sub-promotores in eodem Processu ad comparendum die ... hora ... in ... (scribetur locus) et tum ad videndum Positiones et Articulos jam a Causae Postulatore exhibitos in Curia et in Litteris Remissorialibus insertos ad probandum admitti; nec non Testes induci et actum et decretum aliud quodcumque desuper necessarium et opportunum fieri et interponi:

Instante N. Causae Postulatore.

N. ... Die ...

N. Notarius Actuarius deputatus.

(Postquam Cursor citationem istam originalem Sub-promotoribus ostenderit, eisque citationis exemplum tradiderit, in originali hanc scribet, vel ejusmodi, *executionis relationem:*)

Ego infrascriptus Nuntius seu Cursor in Processu praedicto deputatus, refero ac testor me die ... personaliter citasse Rmos DD. N. N. ad contenta in praefata citatione cujus exemplum, ostenso prius originali, in eorum manibus reliqui. In fidem etc.

Hac die ...

N. Cursor specialiter deputatus.

ADNOTANDA

(1) Formula juramenti Judicum et Sub-promotorum scribi a Notario domi potest antequam ad Sessionem accedat; eadem enim est ac ea quam pro Judicibus et Promotore Fiscali dedimus in Instructione pro conficiendo Processu Informativo pag. 71 et 72. At non dicatur « de contentis in Interrogatoriis per Promotorem Fiscalem producendis » sed tantummodo « de contentis in Interrogatoriis ». Superfluum autem est advertere secreti legem non modo Interrogatoria scripta protegere, sed etiam illa quae pro re nata ex officio proponuntur.

SESSIO II.

In Dei Nomine Amen.

(In hac et in sequentibus Sessionibus, postrema excepta in qua Transumptum Processus subscriptionibus et sigillis obsignatur, necesse non est ut omnes adsint delegati Judices, et uterque Sub-promotor: sed alter ex Sub-promotoris et tot ex Judicibus quot adesse jubent Litterae Remissoriales. Verum semper uterque Sub-promotor citandus est: et utrumque se citasse Cursor referre debet. Praeterea decet utrumque adesse primis Sessionibus usque ad eam in qua Testium inchoatur examen.)

Anno a salutifera etc . . . hora . . .

Coram Rmis DD NN . . . . Judicibus a S. R. C. delegatis ad construendum apostolica auctoritate Pro-

cessum super Fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in genere Ven. Servi Dei N. pro Tribunali sedentibus in . . . (locus describitur), praesente Rmo D. N. altero ex Fidei Sub-promotoribus (si alter tantum adsit) me Notario Actuario deputato, Testibusque infrascriptis specialiter vocatis, comparuit D. N. Cursor deputatus et retulit se personaliter citasse Rmos DD. N. et N. Fidei Sub-promotores ad comparendum in hoc loco his die et hora, et videndum fieri prout in originali citatione continetur, cujus exemplum in eorum manibus reliquit et quam modo originaliter reproducit, una cum relatione ipsius executionis, mihique tradidit inferius registrandam.

Qua facta relatione comparuit N. Postulator, et repetita citatione jam supra per Nuncium reproducta, una cum relatione illius executionis, in illius termino petiit et institit Positiones et Articulos jam exhibitos, et in Litteris Remissorialibus insertos, ad probandum admitti. Nec non eodem tempore exhibuit folium seu notulam continentem nomina et cognomina Testium, quos facto induxit (una cum venia praesidum pro Testibus Regularibus), petiitque illis juramentum deferri, et successive examinari super dictis Positionibus sive Articulis, salvo jure et reservata facultate alios Articulos et alios Testes, quatenus opus fuerit, aut sibi placuerit, producendi et inducendi, non se tamen adstringens ad onus superfluae probationis de quo solemniter protestatur.

Ex adverso Rmus D. N. Sub-promotor contra Articulos dixit pro nunc generalia verba, salvo jure etc. quoad vero Testes inductos et in posterum inducendos, protestatus fuit non esse ad juramentum admittendos, neque deinde examinandos, nisi se aut altero

Sub–promotore praesente: et praeterea non esse super Articulis examinandos, nisi prius examinati fuerint super Interrogatoriis R. P. D. Promotoris Fidei; et in reliquis nihil faciendum nisi servata forma Decretorum generalium et novissimorum Sacrae Congregationis Rituum, aliisque de jure, stylo et consuetudine servandis: alias protestatur de nullitate, non solum etc. sed et omni etc.

Et tunc Rmi DD. Judices Delegati productos Articulos et Testes inductos admiserunt si et in quantum, et pro Testium juramento decreverunt Sessionem habendam die . . . hora . . . in . . . (locus sit sacer): ad quem finem mihi Notario Actuario demandarunt ut opportunam expedirem citationem contra Testes inductos ad sese dictis die, hora et loco subjiciendum juramento et successive examini, alias cogendos et compellendos per censuras et poenas ecclesiasticas etc: nec non contra Sub-promotores ad videndum praefatos Testes jurare et successive examinari. Demum mihi injunxerunt ut de praemissis omnibus Instrumentum hoc conficerem et jura producta in fine ipsius adnecterem; quod cum me facturum promisissem, subscripserunt ut sequitur:

(Subscribunt Judices delegati, Sub–promotores, si uterque adsit, secus is qui adfuit, et testes vocati.)

Super quibus omnibus sic ut supra gestis, ego Notarius Actuarius deputatus Instrumentum hoc confeci et publicavi in forma. In quorum fidem me subscripsi et sigillum Notariatus mei apposui.

Actum . . . die, mense, anno, Pontificatu quibus supra.

Ita est. N. Notarius Actuarius deputatus.

(Sigillum).

(Inseruntur nunc)

1. Tenor citationis contra Sub-promotores: (inseritur una cum relatione Nuncii de executione.)

2. Tenor Notulae Testium a Postulatore inductorum: (inseritur.)

3. Tenor licentiae pro Testibus Regularibus: (inseritur haec *licentia* si quis ex testibus Regularis sit.)

Ita est. N. Notarius Actuarius deputatus.

(Formula citationis contra testes haec esse poterit:)

N. (Causae appellatio)

Beatificationis etc.

De mandato Illmorum ac Rmorum Judicum Delegatorum ad conficiendum auctoritate apostolica Processum super Fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in genere praefati Ven. Servi Dei, citetur Testis inferius nominandus a Causae Postulatore inductus ad comparendum coram iisdem Rmis Judicibus Delegatis die . . . hora . . . in . . . loco et loco loci destinato, et tunc ad praestandum juramentum de veritate dicenda, et secreto servando ad formam Decretorum S. R. C. et successive examini se subjiciendum, alias cogendus et impellendus per censuras, aliasque poenas ecclesiasticas ad arbitrium eorumdem Rmorum Judicum infligendas.

Instante N. Causae Postulatore.

N . . . . die . . . .

N. Actuarius deputatus

(Nomen Testis)

(Relatio quam Nuncius ad calcem scribet, ejusmodi erit:)

Ego subscriptus Cursor sive Nuncius in praesenti Causa specialiter deputatus, refero ac testor me hesterna die personaliter citasse D. N. ad contenta in

praesenti citatione, cuius exemplum, ostenso prius originali, in eius manibus reliqui. In fidem etc.

Die ....

N. Cursor deputatus.

(Formula citationis contra Sub-promotores)

De mandato etc. citentur Rmi DD. N. et N. Fidei Sub-promotores ad comparendum die ... hora ... in ... et tunc ad videndum Testes a Postulatore inductos juramento ac successive examini se subjicere.

Instante N. Causae Postulatore.

N ... Die ...

N. Notarius Actuarius deputatus

(Relatio Cursoris jam nota est.)

SESSIO III et seqq.

(Processus usque ad finem continuatur sicut Processus Informativus: pauca mutantur quae quidem mutanda esse cuique Instructionem pro eo Processu traditam legenti patebit.

Antequam plicus Interrogatoriorum aperiatur, inspiciendum a Judicibus est an illaesus et intactus a Subpromotoribus fuerit servatus, et de hac inspectione mentio est in Actis facienda. Postrema Sessio habebitur coram Episcopo ejusque Vicario Generali, si Vicarius et ipse a S. R. C. delegatus fuerit. Vicarius autem una cum Judicibus epistolam scribet si Sessionibus, etsi non singulis, adstiterit.)

APPENDIX IV.

Instructio pro conficiendo Processu Apostolico super Virtutibus et Miraculis in specie.

PARS I.

De Processu ne pereant probationes sive Inchoativo.

(Titulus ipse quo Processus iste appellatur « *Ne pereant probationes* » jam quinam testes in eo examinandi sint innuit. Testes videlicet de quibus vel ob aetatem, vel ob non bonam valetudinem timeri merito potest ne cedant e vita antequam expleta fuerint Judicia de Non cultu et de Fama in genere; aut etiam qui antequam Judicia illa expleantur, e loco profecturi sunt ubi Processus Apostolicus est concinnandus. Et in Litteris Remissorialibus quae a S. R. C. ad hunc Processum conceduntur, facultas tribuitur examinandi tantum testes *senes*, *valetudinarios*, aut *e loco examinis cito abfuturos*. Senes autem illi habentur qui aetatis suae quinquagesimum exegerint annum. Contestes si a testibus nominentur in hoc Processu, et ipsi ad examen vocantur, dummodo vel senes sint, vel valetudinarii, vel cito abfuturi.

Testes omnes in Processu Informativo examinati, iterum in Apostolico ad examen vocandi, siquidem superstites sint, aut accedere ad examen possint; secus enim testimonium quod illi in Informativo Processu tulerunt, nonnisi ut adminiculum habetur. Itaque pri-

mum inter testes Processus Informativi requirat Postulator quinam senes sint, valetudinarii, aut cito abfuturi, eosque inducat. Quod si quis eorum jam obierit, aut discesserit, aut ad examen nequeat accedere, Postulator testificationes de eorum obitu, discessu, impotentia authenticas exquirat, quas tamen non in hac Processus parte, sed in altera, idest in Processu qui dicitur *Continuativus* exhibebit Actis inserendas. In hac vero parte de iis exhibibet testificationes quos ipse induxit, et qui antequam ad examen accederent vel obierunt, vel abierunt, vel impotes examinis subeundi facti sunt. Potest etiam in hac Processus parte Postulator novos testes inducere, dummodo senes etc.

Caveant testes ne in suo examine se ad testimonium latum in Processu Informativo referant, et Judices ne illis testimonium illud recolant: sed examinandi sunt ac si nunquam fuissent examinati.

Processus hujus Acta dirigentur ad normam Instructionis quam dedimus ad construendum Processum Apostolicum super Fama in genere, mutato *obiecto*: sed omnes manent juramento de secreto servando devincti, donec altera pars Processus qui dicitur *Continuativus* publici juris una cum ista facta non fuerit. Praeterea non heic vocantur testes ex officio, et postrema Sessio quae haberi potest quin adsit Episcopus, varianda est, et postquam expletum fuerit examen postremi testis aut contestis, claususque et obsignatus plicus Interrogatoriorum et responsionum testium, continuabitur ut infra. Advertimus autem necesse esse ut jam antea Postulator Judicibus manifestaverit se alios non habere testes inducendos, et, si quidem id evenerit, nonnullos ex inductis ad examen accedere non posse vel quia obierint, vel quia etc.).

Dimisso Teste praedicto (aut « Conteste ») de mandato Rmorum Judicum Delegatorum fuit per me Notarium accersitus D. N. Postulalor, qui cum audisset expletum esse examen dicti (« Testis » aut « Contestis ») dixit (« DD. N. N. a se jam inductos non posse ad examen vocari quia mortui sunt aut... prouti per authenticas testificationes, quas Actis inserendas exhibet, probatur; et ») se non habere alios Testes inducendos qui qualitatibus ad hunc Processum de quo agitur requisitis polleant; ideoque petiit et institit ut praedictus Processus provisionaliter inchoatus claudatur, ejusque prosecutio suspendatur donec a S. R. C. novae mittantur Litterae, reservata sibi facultate Jura in posterum producendi quibus probetur nonnullos Testes examinatos in Processu Ordinario seu Informativo non fuisse a se inductos neque proinde examinatos, quia aliqui mortui sunt, alii vero vel ob absentiam, vel ob impotentiam (si tamen id evenerit) induci et examen subire non potuerunt.

Ex adverso Rmi DD. N. N. Fidei Sub-promotores (potest unus tantum adesse) protestati sunt testificationes de impotentia nonnullorum Testium a Postulatore exhibitas non esse admittendas neque Actis inserendas, nisi prius constet de earum authentia. Quibus auditis Rmi DD. Judices Delegati, testificationes illas attente inspexerunt, et inspiciendas DD. Sub-promotoribus dederunt, et cum de eorum authentia constiterit, mihi tradiderunt in fine praesentis Sessionis registrandas, quod me facturum promisi.

Rursus iidem Rmi Sub-promotores protestati sunt Processum praedictum esse claudendum sigillis Rmorum Judicum, et ita clausum et obsignatum in Archivio Curiae Episcopalis reponendum, ibique fideliter asser-

vandum esse donec per novas S. R. C. Litteras Remissoriales et Compulsoriales iisdem vel aliis Judicibus facultas tribuatur dictum Processum prosequendi et absolvendi. Institerunt insuper in eodem p ico Processus, ad formam Litterarum Remissorialium, inseri epistolas ipsorum Rmorum Judicum S. R. Congregationi directas una cum epistolis ipsorum Fidei Sub–promotorum, quas ad effectum a se scriptas et subsrciptas exhibuerunt S. R. C. directas; nihilque demum fieri nisi ipsis praesentibus, et nisi servatis in omnibus Litteris Remissorialibus, Decretisque tam generalibus quam novissimis, aliisque de jure, stylo et consuetudine servandis, alias protestati sunt de nullitate, non solum isto, sed et omni meliori modo.

Quibus auditis, Rmi Judices Delegati jusserunt praesentem Processum provisionaliter inchoatum ne perirent in Causa probationes, suspendi, claudi et sigillis suis obsignari una cum Interrogatoriis caeterisque Juribus in Causa jam exhibitis productis et admissis, nec non una cum ipsorum Litteris quas immediate scripserunt (sed domi jam scripserint satius est) et subscripserunt, aliisque Fidei Sub-promotorum; et ita clausum et obsignatum per me Notarium Actuarium tradi Cancellario Curiae Episcopalis, ad effectum illum in Archivio praedicto reponendi, ibique fideliter asservandi, neque aperiendi donec novae a S. R. C. Litterae Remissoriale et Compulsioriales mittantur ad eumdem Processum continuandum et absolvendum, quae omnia me facturum promisi. Deinde mihi Notario mandarunt ut de omnibus in praesenti Sessi ne gestis Instrumentum conficiam, et sese subscripserunt prout infra: (subscribunt Judices et Sub–promotores: deinde prosequitur Actuarius:)

Super quibus omnibus et singulis sic ut supra gestis, ego Notarius Actuarius deputatus Instrumentum hoc confeci in forma. In quorum fidem me subscripsi, et Notariatus mei signum apposui.

N. . . die, hora, loco, Potificatu quibus supra.

N. Notarius Actuarius.

(Hisce scriptis, Notarius inseret Processui testificationes de quibus supra: deinde Processum totum in capsula obserabit quam sigillis Judicum obsignabit; quo peracto sequens scribet Instrumentum clausurae):

In Dei Nomine. Amen

Cunctis ubique pateat et notum sit quod anno a Nativitate... die... mense... Indictione... Pontificatus... anno etc.

Coram Illmis et Rmis DD. N. N. N. N. Judicibus ab Apostolica Sede delegatis ad conficiendum in hac Curia N. Processum super Virtutibus et Miraculis in specie ne perirent probationes in Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei N. pro Tribunali sedentibus, praesentibus Rmis DD. N. et N. Fidei Sub-promotoribus et Testibus infrascriptis specialiter vocatis, ego Notarius Actuarius de mandato eorumdem Rmorum Judicum dictum Processum cum Interrogatoriis et Testium responsionibus, caeterisque Juribus, nec non Litteris Dnorum Judicum et Fidei Sub-promotorum clausi intra capsulam (ligneam, ferream, etc.) ad hunc effectum paratam, in cujus externa parte scripsi — Processus Apostolicus ne pereant probationes in Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei N. — eamdemque capsam ab extra munivi sigillis Rmorum Judicum impressis in cera hispanica rubra. Sigilla vero sunt: (describuntur). Dictam-

que capsulam ita clausam et obsignatam tradidi D. N. Cancellario Curiae Episcopalis N. de mandato Rmorum Judicum huc accersito et hic praesenti et a manibus meis recipienti, qui eamdem capsulam in Archivio praedicto reponere et fideliter asservare promisit juxta Decretum DD. Judicum, quod fuit per me ipsi notificatum, et ipse scripsit et subscripsit ut infra :

N. Cancellarius Episcopalis recipio et promitto ut supra.

Super quibus omnibus et singulis ego infrascriptus Notarius publicus Ecclesiasticus ad Processum dictum in Actuarium deputatus de praemissis rogatus, praesens publicum Instrumentum confeci in forma etc. Et in fidem me subscripsi, et Notariatus mei signum apposui.

Actum uti supra praesentibus Testibus infrascriptis specialiter, uti supra, vocatis.

Ita est. N. Notarius Actuarius.

(Sigillum).

N. Testis interfui.

N. Testis interfui.

(Instrumentum hoc ipse Cancellarius plico occludere poterit, in cujus exteriori parte scribet:)

Instrumentum clausurae Processus etc.... a D. N. Processus ejusd-m Actuario confectum mihique una cum ipso Processu traditum in Archivio hujus Curiae fideliter asservandum.

N. Die ... N. Cancellarius Episcopalis.

PARS II.

De Processu Continuativo.

(Expleto Judicio super *Fama in genere*, S. R. Congregatio concedit Litteras Remissoriales et Compulsoriales ad continuandum et absolvendum Processum jam inchoatum de quo huc usque diximus. Altera haec Processus pars dicitur *Processus Continuativus*, in quo juxta Interrogatoria et Articulos Processus Inchoativi testes examinantur a Postulatore inducti et ex officio a Sub-promotoribus, absque ulla vel ab aetate, vel a valetudine, vel a proxima absentia limitatione. Praeter testes jam in Processu Informativo examinatos, alios quoque inducere Postulator potest, si placeat, et si utile sit, praesertim eos a quibus plena haberi possint testimonia de aliquo miraculo quod deinde ad effectum Beatificationis proponi possit. In hujus Processus Acta compulsantu documenta et Jura omnia quae ad Causam spectant. Compulsandi etiam essent Processus Ordinarii quicumque pro Causa confecti, non autem super Non cultu: sed licet Postulatoribus hanc omittere compulsationem, ne nimis augeatur volumen: ac postea Processus illi ex Apostolicae Sedis indulgentia, si tamen fuerint rite, et ad Apostolicorum Processuum normam confecti, possunt cum ipso Apostolico Processu conjungi et haberi ac si fuissent compulsati. Utraque Processus pars simul jungitur, et unus efficitur Processus Apostolicus super Virtutibus et Miraculis in specie: quapropter enumeratio Sessionum, testium, foliorum hujus Processus Continuativi scribitur continuando enumerationem Processus Inchoativi.

Eodem prorsus modo ac in Processu Apostolico super Fama in genere et Processu Inchoativo, sic et in Processu Continuativo locum habet supplex libellus Postulatoris, Rescriptum Episcopi, electio Judicum et alterius Sub–promotoris, Actuarii, Nuncii, horum omnium juramenta, juramentum Postulatoris de calumnia, aperitio et lectio Litterarum etc.

Superfluum igitur esset formulas jam traditas repetere: quamobrem perlegatur Instructio pro conficiendo Processu Inchoativo, et Instructiones quas illa appellat, non pro prima tantum Sessione, sed pro toto Processu, singulisque Processus Actis. Ea nos heic describemus quae varianda et quae nova agenda sunt.

Quoties de Litteris S. R. Congregationis mentio fiet, dicentur *Litterae Remissoriales et Compulsoriales pro continuando et absolvendo Processu Apostolico super virtutibus et miraculis in specie,* quin adjiciatur — *ne perirent in Causa probationes.*

Extrahi ex Archivio Curiae Episcopalis debet ac Notario tradi Processus Inchoativus. Itaque postquam Postulator suum praestiterit de calumnia juramentum, sic continuabitur Sessio):

Hoc autem juramento praestito ego Notarius Cancellarius de mandato eorumdem Rmorum Judicum Delegatorum extraxi ex Archivio capsam continentem, uti ex externa inscriptione, Processum Apostol cum jam in hac Curia confectum ne perirent in Causa probationes, et iisdem Rmis Judicibus exhibui una cum adnexo plico in quo, uti ex externa inscriptione, asservatur Instrumentum clausurae ipsius Processus. Quem plicum, postquam iidem Rmi Judices et Sub–promotores illaesum recognovissent, ego ex eorum mandato aperui, et Instrumentum clausurae praefati Processus, quod

in eo repertum est, alta et intelligibili voce perlegi: ex qua lectione Rmi Judices Delegati cognoverunt illam esse revera capsam continentem Processum praedictum ne perirent probationes hujus Causae, clausam sigillis Rmorum Judicum qui Processum ipsum construxerunt; et recognoverunt illaesam prorsus et integram esse; quam cum ego ex mandato etc. fractis sigillis aperuissem, in ea repertus est Processus praefatus integer et illaesus, cum plico Interrogatoriorum et Testium depositionum clauso et obsignato, non aperiendo nisi in actu examinis Testium. Et tunc iidem Rmi Judices mihi mandaverunt ut eidem Processui Inchoativo adnecterem Instrumentum clausurae praefatum, quod me facturum promisi.

Postea vero, etc.

(Sequitur ut in Instructione pro Processu Apostolico super Fama in genere pag. 248: at Judices mandabunt Notario de primordialibus rogato ut Actuario deputato non solum hujus Sessionis Acta tradat, sed etiam integrum Processum Inchoativum cum plico clauso et obsignato Interrogatoriorum et responsionum testium; et Actuarius traditum sibi fuisse testabitur. Instrumentum clausurae non inseretur in fine hujus Sessionis sed post postremum folium Processus Inchoativi.

Reliquas Sessiones quod attinet, conferendae sunt Instructiones pro Processu Ordinario Informativo, et Apostolico super Fama in genere.

Postulator cum de Articulis mentionem faciet, dicet *Articulos in primis Litteris Remissorialibus insertos*. Sub-promotores dicent *Interrogatoria R. P. D. Promotoris Fidei in prima Processus parte producta.*

Postquam testium omnium et contestium fuerit examen expletum, Postulator exhibere debet testifica-

tiones de obitu, vel absentia, vel alio impedimento testium, si qui sint qui examinati fuerunt in Processu Ordinario Informativo, et in hoc Apostolico ad examen vocari non potuerunt. Deinde inspiciendum est cadaver Servi Dei. Pro hac inspectione plura agenda et disponenda.

Si locus sepulcri humidus sit, aptandum Postulator curet locum alium in quo extinctos carbones collocabit ad udorem a cadavere arcendum. Facultas novi sepulcri destinandi, si per Litteras Remissoriales et Compulsoriales non fuerit tributa, impetretur. Paranda etiam est nova arca in qua condatur cadaver, aut ossa etc. sed decentius erit duas apparari, quarum altera plumbea sit aut stannea. Capacitatem quod attinet, prospiciendum est ut facile cadaver continere possit. Item vittas aut funiculos sericos, hispanicam ceram rubram parabit Postulator ad arcam obsignandam; et ne sigilla temporis edacitate aut udore deleantur, construendas curabit parvas capsulas stanneas quae sigilla custodiant, quibus extrema vittarum et funiculorum capita simul jungentur et obsignabuntur. Paranda etiam vel in Sacrario vel alibi mensa satis ampla et sindone cooperta, in qua arca ex sepulcro extrahenda poni possit, et cadaver commode a Peritis phisicis inspectari. Cylindrum etiam stanneum parandum quo occludetur opportuna epigraphes ab Actuario conscribenda. Praesto sint oportet duo saltem Periti phisici, quorum alter medicus alter chirurgus: fabri murarii, lignarii, et stannearii, quot opus erit, et testes instrumentarii. Cum vero exhumationi et inspectioni cadaveris ii tantummodo adesse debent qui munere aliquo ad rem fungantur; idcirco ad instrumentariorum testium munus vocari possunt quatuor aut etiam sex ex dignioribus qui templi curam habent, aut in adnexo coenobio degunt.

Caeterum ex tacita facultate licet Judicibus permittere ut pietatis ergo etiam alii adstent, quorum tamen modicus sit numerus, et praesertim coenobitae Servi Dei sodales.

Hisce omnibus dispositis, postquam postremi contestis examen fuerit absolutum, et Interrogatoria cum testium responsionibus clausa et obsignata, sic continuabitur Sessio:)

Dimisso praedicto (« Teste » aut « conteste ») de mandato Rmorum Judicum Delegatorum fuit per me Notarium accersitus N Postulator qui cum ab ipsis Rmis Judicibus audivisset completum jam fuisse examen omnium Testium et contestium *ex officio* vocatorum, institit pro compulsatione seu insertione in Processum nonnullorum Jurium et documentorum quae producere intendit, nec non pro electione et deputatione Peritorum aliorumque qui necessarii sunt et opportuni pro visitatione sepulcri et corporis Ven. Servi Dei N. et petiit procedi deinde ad visitationem sepulcri et corporis ejusdem V. S. D. ad normam Litterarum S. R. C. et idcirco opportunas expediri citationes, et Decretum quodcumque interponi etc.

Ex adverso Rmus N. Sub-promotor dixit et protestatus fuit nihil faciendum nisi se aut altero Sub-promotore praesente: Jura vero et documenta non esse admittenda neque in Processum compulsanda, nisi prius a se vel altero Sub-promotore recognita, aliter de nullitate etc.

Quibus auditis DD. Judices pro exhibitione Jurium, et pro electione, deputatione et juramento Peritorum aliorumque uti supra, designarunt diem... horam... et hunc eumdem locum, et mihi Notario demandarunt ut petitam citationem expedirem adversus Sub-promotores

ad comparendum dicta die, hora, et loco, et tunc ad dicendum si quid habeant contra Jura et documenta a Postulatore exhibenda, et ad videndum per ipsos Rmos Judices eligi et deputari Peritos medicos et chirurgos, aliosque qui opportuni et necessarii sint pro visitatione descriptione et recognitione sepulcri et corporis V. S. D. ad normam Litterarum S. R. C., aliaque fieri et interponi Decreta necessaria et opportuna. Deinde mihi injunxerunt ut de praemissis omnibus Instrumentum conficerem, et cum Sub-promotore sese subscripserunt ut infra:

(Subscriptiones Judicum et Sub-promotoris: sequitur deinde juxta consuetum Rogitus, subscriptio et sigillum Actuarii.

Formula citationis ex ipso Judicum Decreto nuper descripto desumetur).

SESSIO . . . .

In Dei Nomine. Amen.

Anno . . .

Coram. . . pro Tribunali sedentibus in... praesente D. N. altero ex Sub-promotoribus, Testibus infrascriptis, meque Notario Actuario, comparuit N. Cursor deputatus qui reproduxit citationem per ipsum exequutam adversus Sub-promotores, quam facto dedit cum relatione illius executionis tenoris inferius registrandi.

Qua facta reproductione comparuit D. N. Postulator, et in termino citationis ipsius produxit legales testificationes de obitu (absentia, impotentia etc.) Testium (et contestium) qui examinati in Processu Ordinario

Informativo, ob dictas causas in hoc Processu Apostolico iterum examinari non potuerunt: petens et instans eas in Processu inseri; deinde vero procedi ad visitationem, descriptionem et recognitionem sepulcri et corporis Ven. Servi Dei, atque ad hunc effectum eligi et deputari Peritos physicos, aliosque necessarios et opportunos ad opus, aliaque necessaria et opportuna fieri, et Decreta interponi etc.

Ex adverso Rmus N. Sub-promotor dixit et protestatus fuit, praedictas testificationes non esse compulsandas, nisi prius a se fuerint recognitae, ac praeterea nihil faciendum nisi se aut altero Sub-promotore praesente, et nisi servata forma Litterarum S. R. C. servatisque de jure servandis, alias de nullitate etc.

Quibus auditis, DD. Judices Delegati praedictas testificationes ut supra productas inspexerunt et recognoscendas ipsi Sub-promotori tradiderunt, eoque annuente, cum Peritorum recognitione non indigerent, illas authenticas et legales declararunt, et admiserunt, mihique Notario mandarunt ut eas in fine hujus Sessionis registrem, una cum citatione ut supra reproducta. Ad visitandum vero, describendum et recognoscendum sepulcrum et corpus V. Servi Dei destinarunt diem... horam... et in Peritos pro recognitione et descriptione corporis Ven. Servi Dei elegerunt Exmum D. N. Medicum... et Exmum D. N. Chirurgum... et ad aperiendum sepulcrum, extrahendam et aperiendam capsam, aliaque facienda necessaria et opportuna, DD. NN. Fabros lignarios, DD. NN. Fabros murarios, DD. NN. Fabros stannearios: qui omnes per me ex mandato Dnorum Judicum accersiti, illico advenerunt, et de sui deputatione moniti, singuli commissum munus acceptarunt, et delatum ab ipsis DD. Judicibus juramentum

unusquisque eorum genuflexus et tactis SS. Dei Evangeliis seorsim praestitit, ut sequitur:

Et primo Exmus D. N. Medicus juravit dicens:

Ego N. Medicus, tactis hisce SS. Evangelis coram me positis, juro ac promitto fideliter adimplere munus mihi commissum circa recognitionem corporis V. Servi Dei N. et vera referre circa illius praesentem statum, aliasque circumstantias de quibus interrogabor, sub poena perjurii. Sic me Deus adjuvet et haec Sancta ejus Evangelia.

N. Medicus juravi ut supra.

Deinde Exmus D. N. Chirurgus juravit dicens:

(Eadem est formula)

Deinde D. N. Faber murarius juravit dicens:

Ego N. Faber murarius juro ac promitto fideliter adimplere munus mihi commissum in eo quod spectat ad artem quam exerceo in exhuma ione et nova humatione corporis Ven. Servi Dei N. sub poena perjurii. Sic me Deus adjuvet etc.

(In hunc modum caeteri jurabunt, qui vulgari idiomate uti poterunt, si latinum non calleant).

His praestitis juramentis Rmi DD. Judices Delegati pro visitatione, descriptione et recognitione sepulcri et corporis Ven. S. D. destinarunt diem ... horam ... ad quem effectum oretenus monuerunt praefatos Peritos physicos, murarios etc. ut adsint, mihique mandarunt ut citationem expediam adversus Fidei Sub-promotores ut dicta die et hora compareant in Ecclesia N. et tunc ad videndum fieri visitationem, descriptionem et recognitionem sepulcri et corporis V. S. D. aliaque fieri opportuna et necessaria, et Decreta interponi etc. Tandem mihi injunxerunt ut de omnibus in praesenti Sessione gestis Instrumentum

conficerem, et sese cum Sub–promotore et Testibus specialiter vocatis subscripserunt ut infra:

(Subscriptiones: sequitur consuetus Actuarii Rogitus, et postea inseruntur citatio adversus Sub–promotores in postrema Sessione decreta, et testificationes a Postulatore exhibitae).

SESSIO ....

In Dei Nomine. Amen.

Anno ....

Illmi et Rmi DD. N. N. Judices a S. Rituum Congregatione delegati ad continuandum et absolvendum Processum Apostolicum super Virtutibus et Miraculis in specie Ven. S. D. N. accesserunt ad templum N. situm in ... ibique facta brevi oratione ante Altare Augustissimi Sacramenti, clausisque Ecclesiae foribus, praesentibus Rmis DD. N. N. Sub–promotoribus, Testibus infrascriptis meque Notario Actuario, sederunt pro Tribunali in ... ad effectum deveniendi ad visitationem sepulcri praefati Ven. Servi Dei, ejusque corporis recognitionem.

Tunc comparuit N. Cursor, et reproduxit citationem per me expeditam, et per eum personaliter exequutam adversus DD. Sub–promotores, quam mihi tradidit una cum relatione ipsius executionis tenoris inferius registrandi.

Qua facta reproductione comparuit N. Postulator, qui in termino ipsius citationis et ad tenorem Litte-

rarum S. R. C. institit deveniri ad visitationem sepulcri et recognitionem corporis V. S. D. omniaque alia fieri necessaria et opportuna.

Tunc Rmi Judices, auditis Sub-promotorum protestationibus, iisque annuentibus, mandaverunt coram se accersiri D. N. ipsius Ecclesiae Sacristam, et D. N. (alter sit qui recte testari possit), qui cum advenissent, Rmi Judices detulerunt eis juramentum de veritate dicenda ad ea de quibus interrogabuntur, quod uterque genuflexus et tactis SS. Evangeliis seorsum praestitit:

Et primo D. N. Sacrista juravit dicens:

Ego N. tactis hisce SS. Dei Evangeliis juro et promitto dicere veritatem super omnibus de quibus interrogabor, sub poena perjurii. Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta ejus Evangelia.

N. juravi ut supra.

(In hunc modum jurabit alter.)

Quibus juramentis sic praestitis, interrogatus utergue seorsum fuit an recte sciat ubi quiescat corpus V. S. D. et quomodo sciat?

Et N. Sacrista respondit ... (describitur a Notario responsio cui testis subscribet).

Deinde N. Testis alter eodem modo pariter interrogatus respondit ... (ut supra).

E quibus testificationibus cum constiterit sepulcrum V. S. D. situm esse in .... iidem Rmi Judices Delegati, una cum Sub-promotoribus, Testibus vocatis et me Notario Actuario illuc se contulerunt, ibique invenerunt praefatum sepulcrum. (Describitur minutim locus et forma exterior sepulcri, epigraphes etc.).

Post haec Rmi Judices Delegati alta et intelligibili voce, ac vernaculo idiomate ad communem intelli-

gentiam, publicarunt excommunicationem latae sententiae ipso facto auctoritate S. R. C. incurrendam contra quoslibet cujusque status, dignitatis et conditionis sive ecclesiasticae sive laicalis qui auderent seu praesumerent, etiam ex devotione, aliquid ex sepulcro, vel ex corpore, vestibus aut capsa V. S. D. auferre seu subtrahere aut in iis ponere, vel in ea immittere.

Qua publicata excommunicatione jusserunt per Fabros murarios sepulcrum aperiri ... (describetur haec aperitio sepulcri, effossio terrae, lapidum aut caementorum remotio etc.).

Quibus remotis tandem apparuit arca, quae per (Fabros lignarios, murarios, etc.) extracta fuit e sepulcro et posita super mensa, sindone (alba, rubra etc.) cooperta, parata in ... (Sacrario, Sacello).

Tunc Rmi Judices Delegati mihi mandarunt ut ipsam arcam describerem, prouti ego feci ut sequitur:

Arca est (lignea, stannea) longa metr... alta ex parte capitis .... ex parte pedum .... lata ex parte capitis .... ex parte pedum .... Obsignata est sigillis ....

Deinde iidem Rmi Judices jusserunt arcam aperiri per Fabros (lignarios aut stannearios) quod illi statim fecerunt, et remoto operculo .... (si altera interior sit arca, extrahatur, et describatur, ac deinde aperiatur) ... et repertum in ea fuit (describatur quidquid in ea est, corpus in statu quo apparet, vestes etc.... ac advertatur utrum aliquid sit prodigialis ex: gr: odor etc.; corpus autem, si in eo statu sit ut extrahi possit, collocetur in mensa, ut commode a Peritis physicis inspectari possit, et ab Actuario ea collocatio describatur).

Tunc ex mandato Rmorum Judicum, Exmi DD. N.

Peritus Medicus, et N. Peritus Chirurgus corpus Venerabilis (ossa, cineres) attente inspexerunt, postmodum relaturi quid de ejus statu sentiant. Quod cum per ipsos factum fuerit, Rmi Judices jusserunt omnes recedere, et cum soli ipsi Judices mansissent cum Subpromotoribus meque Notario Actuario, vocarunt D. N. Medicum, qui, iterato prius juramento de veritate dicenda, interrogatus a Rmis Judicibus quid de praedicto corpore judicaret, respondit.... (Medicus referet minutim de statu et qualitate corporis).

Quam Medici relationem ego Notarius de mandato etc. ipso Medico audiente alta et intelligibili voce perlegi, et ipse ratam habuit et confirmavit, ac se subscripsit ut sequitur:

Ego N. Medicus ita pro veritate deposui.

Vocatus deinde fuit D. N. Chirurgus qui iterato prius juramento etc. (omnia uti supra).

Hisce habitis relationibus, introductis iterum omnibus, Rmi Judices Delegati mandarunt praefatis DD. Medico et Chirurgo, ut corpus, ossa, fragmenta, cineres, collocent in nova arca (lignea, stannea) jam consulto parata quae est (describatur forma, longitudo etc.) Quod cum illi fecissent, ego Notarius ex mandato etc. epigraphen sequentem charta membranaca scripsi: (epigraphes exhibeat nomen Venerabilis et diem quo recognitio peracta est, ac subscribatur a Judicibus aliisque): quam ab ipsis Rmis Judicibus aliisque adstantibus subscriptam, cylindro stanneo clausi et in capsa reposui. Deinde ex mandato etc. eidem capsae suum operculum superimpositum fuit per Fabros (lignarios, stannearios), et ego Notarius eamdem capsam bene clausam (stanno, ferreis clavis aut cochleis) ex mandato etc. vitta serica coloris . . . (aut funiculo

serico etc.) communivi, cuius extrema capita sigillo Illmi et Rmi D. Episcopi ad hoc mihi tradito cera hispanica rubra impresso obsignavi (in lateribus, angulis, etc. Si autem arca stannea sit, sigillum stanno imprimitur, uti notum est; nec vitta aut funiculo est opus. Si vero binae sint capsae, describatur et altera, et immissio in eam alterius: item describatur si facta fuerit vestium immutatio, demum quidquid actum sit). Sigillum vero Episcopi est sequens . . . (describatur).

Deinde ego Notarius sic jussus a Rmis Judicibus Delegatis, tabulas veteris capsae in fasciculum compositas et vitta . . . circum ligatas eodem sigillo Illmi et Rmi D. Episcopi cera rubra hispanica impresso obsignavi in . . . (locus describatur obsignationis) et iidem Rmi Judices has tabulas sic compositas et obsignatas jusserunt tradi D. N. Sacristae (aut Postulatori) ut eas secreto asservet in loco ubi aliae V. S. D. reliquiae ex vestibus aliisque asservantur.

(Si vero corpus in eo statu sit, ut ex arca extrahi haud facile possit, quippe ossea tantum fragmenta aut cineres ex eo reliquae sint, eadem vetus capsa cum fragmentis etc. in nova collocetur, et quod peractum est a Notario describatur.)

His peractis, de mandato Rmorum Judicum per dictos Fabros . . . fuit corpus Venerabilis sic ut supra binis capsis occlusum, reconditum in eodem sepulcro in quo antea jacebat. Ad arcendam vero humiditatem, subtus et circa praedictas capsas positi fuerunt carbones extincti; et per Fabrum murarium novus fornix aedificatus fuit, et superinductum pavimentum reliquo ejusdem Ecclesiae in omnibus aequale, et collocatus idem lapis qui prius extabat, cum eadem inscriptione quae est . . . (describitur inscriptio. Quod si in novo

sepulcro corpus Venerabilis reconditum fuerit, nova superposita inscriptio etc., omnia Notarius diligenter describat.

Si Postulator habeat documenta, scripturas etc. quae ad Causam et ad virtutes Ven. Servi Dei quomodolibet pertineant, eas nunc exhibere debet. Itaque Postulator antequam Judices discedant, instabit pro eorum documentorum compulsatione et publicatione Processus. Si vero documenta non habeat, instabit tantummodo pro publicatione Processus. En formulam:)

Quibus omnibus peractis, antequam Rmi Judices Delegati e loco discederent. D. N. Postulator institit pro compulsatione nonnullorum Jurium et documentorum quae producere intendit: nec non pro publicatione totius Processus Apostolici, scilicet tam primae partis ne perirent probationes quam alterius partis idest continuativae: item institit pro electione Scribae seu Amanuensis pro conficiendo illius transumpto seu exemplo Romam ad S. R. C. transmittendo, et pro deputatione Notarii Adjuncti qui una mecum Notario Actuario auscultet et conferat dictum transumptum cum originali. Petiit etiam et institit opportunas expediri citationes, aliaque fieri necessaria et opportuna.

Ex adverso Rmi DD. Sub-promotores protestati sunt etc. (Quae sequuntur usque ad finem habentur in *Instructione pro conficiendo Processu Ordinario Informativo* pag. 122 et seqq. Quod attinet ad exhibitionem documentorum, eorum extractionem ex bibliothecis et archiviis, eorumque authentiam, in *Instructione pro conficiendo Processu super Casu excepto*, pag. 163 V. *Haec ad strictioris juris normam* et pag. seq. habetur quomodo documenta authentica facile reddi possint.)

APPENDIX V.

Instructio pro conficiendo Processu Apostolico super Miraculis in specie.

(Processus super Miraculis in specie non modo conficiuntur ad Canonizationem, sed etiam ad Beatificationem obtinendam, quando nempe in Processu Apostolico super Virtutibus et Miraculis utiles probationes non habentur de aliquo miraculo in specie ut S. R. Congregationis deliberationi proponi possit.

Sed antequam Processui conficiendo manus admoveatur, plura sunt Postulatori quaerenda et perpendenda.

Quaerendum in primis et perpendendum est an miraculi quod patratum dicitur *arduum* sit *subiectum*. Ex: gr: si de sanatione a morbo aliquo res sit, perpendat Postulator an gravis morbus fuerit: de leviоribus enim morbis non curat S. R. Congregatio. Tum vero minutiores quaerat notitias de physica corporis constitutione Sanati ejusque parentum, de causis morbi, de ejus initio et decursu, de singulis simptomatibus, de adhibitis remediis: an haec utilitatis quidquam attulerint; quinam morbi status fuerit cum aegrotus per prodigium, uti fertur, consanuit. Patet haec, ut penitius et distinctim cognoscantur, a Medicis qui a curatione fuerunt esse quaerenda; qui Medici omnia, quoad fieri poterit, *chronologice* referre debent. Perpendat praeterea Postulator an aegrotus naturae aut medica-

mentorum ope consanescere potuerit eo saltem modo quo consanuit: non enim morbi omnes lethales omnino sunt, et qui omnem respuant curationem: sed prodigium tunc etiam intercedit cum quis a morbo quo pluribus adhibitis pharmacis, et longo temporis intervallo consanescere potuisset, tamen momento ferme temporis consanuerit absque ulla crisi, absque ulla medicamentorum efficacitate. Perpendat etiam utrum sanatio perfecta fuerit, quae nullum morbi vestigium reliquum fecerit, nisi forte aliquam virium imbecillitatem, quae tamen in sanatione a febribus obicem miraculi adprobationi poneret; utrum perseverans, an scilicet timeri possit ne in eumdem morbum iterum Sanatus incidat. Quaerat de invocatione, idest an constet aegrotum consanuisse quia vel ab ipso vel ab aliis fuerit Servi Dei de quo agitur intercessio advocata; seu an aliorum Caelitum auxilium imploratum fuerit; an sanatio invocationem illico, an paulo post sit sequuta; an invocatus Dei Servus aegroto se visendum praebuerit. Et postquam juxta vota haec omnia cessisse noverit, quaerat tandem an per plures testes *de visu* affirmari possint; nam testibus istiusmodi omnino miracula probentur oportet. At praeter testes *de visu* etiam nonnulli *de auditu* adsint, nimirum ut testimonium habeatur de fama miraculi quod asseritur.

Ut vero caute magis Postulator agat, Medici alicujus et Advocati consilium exquirat. Tandem, si expedire judicaverit, Litteras Remissoriales, si extra Urbem Processus conficiendus sit, a S. R. Congregatione petat. Has Litteras ac simul Litteras Promotoris Fidei Urbis cum acceperit, omnia aget ut in Processu Apostolico super Fama in genere. Quamobrem Instructio illa recolenda, et ad ejus normam, mutatis quae mutanda sunt, Processus dirigendus est. Testium vero numerum quod attinet,

tot inducat Postulator, quot pro sua prudentia non necessarios modo sed etiam opportunos judicaverit ad plenam habendam miraculi demonstrationem. Sanati domestici, quotquot illi adstiterunt, Periti a curatione omnes inducendi. Si quis ex Peritis, quod hodie praesertim fieri potest, renuat examen subire, de hac repulsa mentio fiat in Processu.

In Inquisitione de miraculis Medici etsi acatholici et etiam ethnici ut ad examen vocentur aliquando necesse esse potest. Ab ethnicis juramentum petatur per eorum honorem; acatholicos quod attinet, Judicum erit pro sua prudentia deliberare de juramento ab iis petendo vel per SS. Evangelia, vel per eorum honorem, juxta Sectam ad quam pertinent.

Sed praeter testes *ex officio* et contestes, in hoc Processu duo deputandi sunt ex illustrioribus Peritis physicis, qui Sanatum inspiciant, ac deinde ad Judices referant de ejus praesenti valetudine, an ullum praegressi morbi reliquum sit vestigium etc.; quae quidem inspectio, si tamen Sanatus in vivis adhuc degat, a Promotore Fidei in suis Interrogatoriis praescribitur. Acta igitur hujusce inspectionis scribemus. Periti ex iis seligendi qui testes in Processu non fuerint, et possunt etiam ex alio loco accersiri: quod si fiat, expedit ut de his Peritis eligendis Judices cum Postulatore verbum faciant, ut iste omnia disponere possit quae necessaria sunt Peritorum itineri et hospitationi. Itaque expleto examine postremi testis *ex officio* aut contestis, clausisque et obsignatis Interrogatoriis et testium responsionibus, sic continuabitur Sessio:)

Dimisso praedicto Teste (aut « Conteste ») ego Notarius ex mandato etc. accersivi D. N. Causae Postulatorem, qui cum advenisset et audisset expletum

esse examen omnium Testium etiam ex officio vocatorum, et Contestium, petiit et institit procedi ad ulteriora etc. Ex adverso Rmus D. N. Sub–promotor protestatus est non esse ad ulteriora procedendum, nisi prius Domini N. qui Ven. S. D. N. ope dicitur sanitatem consequutus, praesens valetudo fuerit a duobus Peritis physicis ex praeclarioribus explorata, qui in antecessum jurent de munere fideliter implendo; secus de nullitate etc.

Tunc Rmi DD. Judices Delegati huic protestationi adhaerendo, elegerunt Exmos DD. N. et N. (qui sint Medici vel Chirurgi prout morbus ad medicam aut ad chirurgicam curationem pertinebat) ut praedicti N. qui sanatus dicitur ope Ven. Servi Dei N. praesentem valetudinem explorent; et, Postulatore instante, decreverunt Sessionem in qua praefati Periti munus acceptent et juramentum praestent, habendam esse die... in (loco sacro) mihique Notario mandarunt ut praedictos Peritos moneam de sui deputatione (1) et de die, hora et loco Sessionis, ut adsint etc. et citationem expediam adversus Sub–promotores ut eadem die, hora et loco intersint. Demum mihi injunxerunt ut de omnibus in hac Sessione gestis Instrumentum conficiam, et sese cum Sub–promotoribus subscripserunt ut infra:

(Subscriptiones Judicum et Sub–promotorum: sequitur Rogitus, subscriptio et sigillum Actuarii. Deinde inseruntur quae inserenda sunt. Citatio contra Sub–promotores erit « ad comparendum et tunc videndum Peritos physicos nominatos ad explorandam valetudinem praesentem D. N. munus accpetare et juramentum praestare de eo implendo, et alia quaecumque fieri necesseria et opportuna. Instante N. Causae Postulutore).

ADNOTANDA

(1) Si Periti aliunde accerseantur, jam ut ante hanc Sessionem privatim moniti fuerint et paratos sese exhibuerint, et etiam in locum Processus venerint expedit; et dicetur « elegerunt DD. Medicos urbis N. heic nunc provvisorie degentes.» Sed etiam per epistolam moneri possunt.

SESSIO . . . .

In Dei Nomine. Amen.

Anno . . .

Coram . . . pro Tibunali sedentibus in . . . praesente Rmo D. N. Sub–promotore, me Notario Actuario ac Testibus infrascriptis specialiter vocatis, comparuit D. N. Cursor, ac reproduxit citationem per me expeditam et ab eo exequtam adversus Sub-promotores, quam mihi tradidit cum relatione ipsius executionis tenoris inferius registrandi. Qua facta reproductione comparuit D. N. Postulator, et in termino ipsius citationis, sicut et in termino monitionis per me electis Peritis physicis factae, petiit et institit praefatis Peritis hic praesentibus committi munus explorandae valetudinis D. N. et deferri juramentum etc.

Tunc Rmi DD. Judices Delegati, auditis solitis protestationibus Sub-promotoris, eoque annuente, dictis Peritis commiserunt munus explorandae valetudinis D. N. quod ipsi munus ea qua par est reverentia acceptarunt, et delatum ab ipsis Rmis Judicibus jura-

mentum uterque seorsum genuflexus, et tactis SS. Evangeliis praestitit ut sequitur:

Et primo Exmus D. N. juravit dicens:

Ego N. Medicus ... tactis hisce Sanctis Dei Evangeliis coram me positis, juro et promitto fideliter implere munus mihi commissum explorandi valetudinem praesentem D. N. sub poena perjurii. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta ejus Evangelia.

Ego N. jurávi ut supra.

Deinde Exmus D. N. juravit dicens: (eadem est formula).

Quibus praestitis juramentis iidem Rmi Judices Delegati mandarunt dictis Peritis, ut ad inspiciendum D. N. ejusque valetudinem attente explorandam simul aut seorsum se conferant, et, Postulatore instante, auditisque solitis protestationibus Sub–promotoris, eoque annuente, decreverunt futuram Sessionem ad recipiendum ipsorum Peritorum examen, habendam esse die.... hora .... in ... (locus sit sacer), quamobrem ipsos Peritos oretenus monuerunt, et adversus Sub–promotores citationem per me expediendam decreverunt ut dicta die, hora, et loco adsint. Demum mihi injunxerunt ut de his omnibus in hac Sessione gestis publicum Instrumentum conficiam, et sese cum Sub–promotore et Testibus specialiter vocatis subscripserunt ut infra:

(Sequuntur subscriptiones, Rogitus, insertiones, juxta consuetum. Periti simul ambo aut seorsum Sanatum adibunt, et quomodo se in praesentia habeat attentissime explorandum; de morbo a quo consanuisse dicitur interrogabunt, eaque omnia exquirent quae eos scire oportet, ut deinde testari recte possint an sanatio perfecta sit et perseverans absque *recidivae* ti-

more probabili: qua de re iis perlegendi exhibentur Articuli Postulatoris.

Citatio adversus Sub-promotores erit ad assistendum examini Peritorum, et videndum alia quaecumque fieri necessaria et oppostuna: instante Postulatore.)

SESSIO. . .

In Dei Nomine. Amen.

Anno . . .

Coram . . . pro Tribunali sedentibus in . . . praesente Rmo D. N. Sub-promotore, me Notario Actuario, Testibusqe infrascriptis specialiter vocatis, comparuit N. Cursor et reproduxit citationem per me expeditam adversus Rmos Sub-promotores quam mihi tradidit una cum relatione illius executionis tenoris inferius registrandi.

Qua facta reproductione, comparuit D. N. Postulator, et in termino ipsius citationis, sicut et in termino monitionis in antecedenti Sessione factae Peritis phisicis N. et N. petiit et institit recipi examen eorumdem Peritorum hic praesentium.

Ex adverso Rmus D. N. Sub-promotor protestatus est nihil fieri nisi seipso praesente, et praefatos Peritos non esse examinandos nisi praestito prius ab ipsis juramento de veritate dicenda et secreto servando super iis de quibus interrogabuntur et quae respondebunt, et servatis Decretis, quaeque de stylo, jure, consuetudine servanda sunt, alias de nullitate etc.

Quibus auditis iidem Rmi Judices Delegati prae-

fatis Peritis detulerunt juramentum quod uterque eorum genuflexus et tactis SS. Dei Evangeliis seorsum praestitit ut sequitur:

Et primo Exmus D. N. Peritus.... juravit dicens:

Ego N. tactis hisce SS. Evangeliis coram me positis, juro et promitto dicere veritatem super iis de quibus examinabor in hoc Processu, nec non juro et promitto religiose servare secretum tam super iis de quibus interrogabor, quam super iis quae ego respondebo, neque de his loqui cum aliquo, exceptis Illmo et Rmo D. Episcopo (si et ipse cum Judicibus juraverit), Rmis Judicibus Delegatis, Sub-promotoribus et Notario Actuario, sub poena perjurii et excommunicationis latae sententia a qua nonnisi a Summo Pontifice, excluso etiam Majori Poenitentiario, praeterquam in articulo mortis, possim absolvi. Et ita promitto et juro. Sic me Deus adjuvet, et haec SS. ejus Evangelia.

Ego N. juravi ut supra.

Deinde Exmus D. N. Peritus . . . juravit dicens: (eadem est formula.)

Quibus juramentis sic praestitis, iidem Rmi Judices Delegati decreverunt examinare primum D. N. Quamobrem jusserunt reliquos omnes discedere, et solis manentibus ipsis Rmis Judicibus cum Sub-promotore, praefato Perito meque Notario Actuario, clausisque januis, apertus per me fuit plicus Interrogatoriorum et depositionum Testium, et ipse Peritus intergatus fuit. . . .

Et respondit...

(Interrogandus an Sanatum inspexerit: an et quomodo ejus valetudinem exploraverit: quodnam sit hac super re judicium ejus: an scilicet sanatus prorsus fuerit ab asserto morbo, quae sit in praesentia ejus cor-

poris constitutio, habitus, color, quibus polleat viribus; an integra et perfecta sit ejus valetudo: an indicium ullum appareat ex quo jure timere quis possit ne sublatus morbus reviviscat, vel in alium convertatur. Caeterum interrogationes ad rem habentur in Interrogatoriis Promotoris Fidei. Periti vero scriptam, si lubet, afferre quoque possunt relationem, eamque Actis inserendam Judicibus tradere).

Et cum post haec nihil aliud haberet Peritus quod diceret, ego Notarius ex mandato etc. integram ejus testificationem alta et intelligibili voce perlegi, quam ille ratam habuit et confirmavit, et jussus a Rmis Judicibus subscripsit ut sequitur:

(Subscriptio Periti).

Quo dimisso Perito, accersitus per me fuit alter Peritus Exmus D. N. qui illico advenit, clausisque januis, interrogatus fuit... (omnia uti supra.)

Quo dimisso Perito, ego Notarius Actuarius ex mandato etc. clausi et obsignavi sigillo Rmi D. Judicis... Interrogatoria cum depositionibus. Quo facto apertis januis, ingressus est N. Postulator, qui cum audisset expletum esse examen Peritorum, petiit et institit pro compulsatione nonnullorum Jurium et documentorum quae producere intendit, nec non pro publicatione Processus, et electione Scribae sive Amanuensis pro conficiendo ejus transumpto etc. (Omnia sequuntur, mutatis mutandis, uti in aliis Processibus. Cfr. Instructio pro conficiendo Processu Informativo pag. 122 et seqq. Si vero nulla documenta Postulator habeat exhibenda, ex: gr: si nullius testis obitum aut discessum testari debeat, instabit tantummodo pro publicatione Processus, electione Scribae, Notarii Adjuncti etc.).

APPENDIX VI.

Instructio pro conficiendis Processibus in Causis Martyrum

(Martyrum Causae appellantur — *Beatificationis et Canonizationis seu Declarationis Martyrii.* —

Iidem eodemque modo in hisce Causis Processus fiunt ac in Causis Confessorum: scilicet Processus Ordinarius Informativus, sed super *Fama Martyrii, causae Martyrii, Miraculorum seu Signorum:* Ordinarius vel Apostolicus super *Non cultu*: Apostolicus super *Martyrio, causa Martyrii, Miraculis seu Signis.* Non numeravimus Processum Apostolicum super *Fama Martyrii Signorum seu Miraculorum*, quia Processus hic ex Apostolicae Sedis venia, quam exorata concedere facile consuevit, omitti potest.

Signa intelligenda sunt non quaelibet, sed prodigiosi ac supernaturales eventus qui Martyrium ipsum comitati aut sequuti sunt, ex: gr: si prodigiosa lux Martyrum corpora illustravit, si odor e vulneribus manavit etc. Quae quidem signa si vere prodigialia fuerint, loco Miraculorum ad obtinendam Beatificationem proponi possunt. Nam, quidquid antiquitus disputatum fuerit, juxta praxim quae pluribus abhinc annis viget, miracula etiam necessaria sunt ad impetrandam Martyrum Beatificationem: tot vero, quot suo Decreto Benedictus XIV praescripsit: quod Decretum vide in fine hujus Voluminis Append. VII.

Dicitur *causa Martyrii*, Martyrem enim non poena facit, sed causa. Causa vero ista adesse debet tam *ex parte Tyranni*, quo nomine quisquis intelligitur qui Martyrem persequutus fuerit, quam *ex parte Martyris:* Sacra enim Congregatio, cum Dubium proponitur – *An constet de Martyrio et causa Martyrii* – inquirit quaenam fuit causa in Tyranno cur mortem inflixerit, et quaenam in Martyre cur eam obierit. Causa vero est si in odium Fidei aut alterius ex dogmatibus aut praeceptis Fidei, aut virtutis alicujus, Tyrannus inflixerit, Martyr obierit mortem: obierit autem lubens, patiens, et ob finem supernaturalem, non humanis incitatus rationibus, ex: gr: ad laudem apud homines captandam; et in bona voluntate moriendi potius quam peccandi usque ad finem perseveraverit. Quae quidem perseverantia ex externis ipsius Martyris signis manifestatur. Et haec omnia per testes probanda sunt. Quamquam in Causis Martyrum de eorum virtutibus non disputatur, expedit tamen ut in Processu testimonia ferantur de virtutibus Martyris, et de ratione, si nota sit, qua sese ad martyrium faciendum disposuerit.

In hisce Processibus testimonia ethnicorum accipi quoque possunt, quibus juramentum defertur per eorum honorem.)

APPENDIX VII.

Decreta Generalia de quibus mentio pluries facta est.

DECRETA

SANCTISSIMAE INQUISITIONIS

De cultu publico Servis Dei non exhibendo.

Cum Sanctissimus in Christo Pater, et D. N. D. Urbanus Divina Providentia Papa VIII die 13 Martii 1625 Decretum ediderit infrascripti tenoris, videlicet:

Sanctiss. D. N. sollicite animadvertens abusus qui irrepserunt, et quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama vel opinione defunctis, qui etsi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti sint ab Apostolica Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque Ecclesiis, aliisque locis publicis, ac etiam privatis cum laureolis aut radiis seu splendoribus proponuntur, miracula et revelationes, aliaque beneficia a Deo per eorum intercessiones accepta in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, et ad illorum Sepulcrae, Tabellae, Imagines, et res aliae ad beneficia accepta testificanda, et lampades et alia lumina apponuntur: volensque proinde hujusmodi abusibus, pro debito officii Pastoralis occurrere, re etiam cum Illustriss. et Reverendiss. D. D. Cardinalibus contra haereticam pravitatem in universa

Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus communicata, et mature considerata ac discussa, declaravit, statuit et decrevit, ne quorumvis hominum cum Sanctitatis, seu Martyrii fama, (quantacumque illa sit) defunctorum Imagines, aliaque praedicta, et quodcumque aliud venerationem et cultum praeseferens, et indicans in Oratoriis aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis tam saecularibus, quam Regularibus cujuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, et (si quae appositae sint) amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit.

Ac pariter imprimi de coetero inhibuit libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis sive Martyrii fama, vel opinione (ut praefertur) celebres e vita migraverint, gesta miracula, vel revelationes, seu quaecumque beneficia, tamquam eorum intercessionibus a Deo accepta continentes sine recognitione, atque approbatione Ordinarii; qui in iis recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat, et ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novum, ac inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, ejusque responsum expectet. Revelationes vero et miracula, aliaque beneficia supradicta, quae in libris horum hominum vitam, et gesta continentibus hactenus sine recognitione, atque approbatione hujusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

Ad horum hominum sepulcra vetuit etiam, ac inhibuit, Tabellas atque Imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia tam pictas, quam fictas, atque exculptas appendi, seu affigi, et lampades,

sive alia quaecumque lumina accendi, sine recognitione ab Ordinario, omnino, prout supra facienda, Sedique Apostolicae referenda ac probanda.

Declarans, quod per supradicta praejudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiae consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicae, vel Ordinarii, coluntur.

Ut autem praemissa diligentius observentur, universis, et singulis tam Ordinariis, quam haereticae pravitatis Inquisitoribus districte praecipit, ut in sua quisque Dioecesi, vel Provincia sedulo pervigilet, ne sine approbationibus praedictis Imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia praedicta publicentur, aliave contra superius disposita fiant; transgressores vero, si Regulares fuerint, privationis suorum officiorum, ac vocis activae, et passivae, nec non et suspensionis a Divinis, si vero Clerici Saeculares, privationis pariter suorum officiorum, suspensionis a divinis, et ab administratione Sacramentorum, executioneque suorum Ordinum respective, aliisque arbitrio praedictorum Ordinariorum seu Inquisitorum pro modo culpae infligendis poenis plectendo. Qui autem libros impresserint, aut Imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquo modo effinxerint, vel formaverint, caeterique Artifices circa praemissa qualitercumque delinquentes, praedicta omnia amittant, et insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus poenis, juxta criminis gravitatem, eorumdem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur: Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Et ne premissorum ignorantia possit ab aliquo praetendi, voluit, ut Decretum hujusmodi, seu illius exemplum, ad valvas Basilicae Principis Apostolorum Urbis, ac in Acie Campi Florae affixum omnes proinde arctet, atque afficiat, ac si unicuique personaliter intimatum fuisset; quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides habeatur, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Postmodum vero id Sanctiss: D. N. a quibusdam revocari in dubium accepit, an Tabellas, et Imagines, quas in posterum afferri contigerit, recipere, et antea oblatas, conservare liceret. Sanctitas Sua, quae tantummodo voluit, occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum Sanctimoniam divinae clementiae, placuerit admirandis operibus illustrare, re prius cum Illustriss: et Reverendiss. D. D. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus communicata, praesenti Decreto declaravit, quod, sicut nunquam prohibuit, nec suae intentionis fuit prohibere oblationem, receptionem Tabellarum, et Imaginum hujusmodi, ita, ut nulli deinceps haesitationi locus relinquatur, statuit in praesentiarum, et decernit, ut, quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium locumve alium publicum Saecularem seu Regularem Tabellas, et Imagines, aliudve simile quispiam detulerit, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum Martyrii, vel Sanctitatis fama demortuorum, optata se impetravisse dixerit, liceat Ecclesiasticis personis Ecclesiarum, locorumve praedictorum curae praepositis Tabellas et Imagines

sive pictas, sive ex quavis materia fictas, atque alia quaecumque collatae gratiae fidem facentia simul cum deferentis, aliorumque, qui conscii fuerint, attestationibus recipere, atque, approbantibus Ordinariis, ad quos referri statim omnia teneantur, in secreto aliquo, seorsim ab Ecclesia, loco custodire, ibidemque jam amota collocare et asservare, ut, si quando Dominus talium Virorum merita, Beatificationis seu Canonizationis honore decorare voluerit, extent hujusmodi Sanctitatis qualescumque probationes Apostolicae Sedis judicio tunc examinandae: Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Io: Antonius Thomasius S. Rom. et Univers. Inquisit. Not. (Die 2. Octob. 1625)

Praecedentis Decreti Confirmatio

URBANUS PAPA VIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Caelestis Hyerusalem Cives, quorum gloriosis natalitiis Sancta laetatur mater Ecclesia, sicut hujus Sanctae Sedis Apostolicae ministerio a piis utriusque sexus Christifidelibus venerantur in terris, ita Romanum decet Pontificem militantis Ecclesiae regimini divina providentia praepositum pro suo praecipuo honoris Domus Dei zelo invigilare, ne quid in personarum cum Sanctitatis aut Martyrii fama, vel opinione defunctarum memoriam, sive cultum, inconsulta Sancta Sede praedicta, innovetur. Alias siquidem Nos solicite animadvertentes abusus, qui irrepserant, et irrepere

non cessabant, in colendis quibusdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui etsi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti essent ab eadem Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis atque in Ecclesiis, aliisque locis publicis, atque etiam privatis cum laureolis, aut radiis, seu splendoribus proponebantur, miracula et revelationes, aliaque beneficia a Deo per eorum intecessiones accepta in libris rerum ab ipsis gestarum enarrabantur, et ad illorum Sepulchra Tabellae, Imagines, et res aliae ad beneficia accepta testificanda, et lampades, et alia lumina apponebantur; volensque proinde hujusmodi abusibus pro debito officii Pastoralis occurrere, re etiam cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem in universa Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus ab eadem Sede specialiter deputatis communicata, et mature considerata et discussa; de eorumdem Cardinalium consilio, sub *die* 13 *Martii* 1625, declaravimus, statuimus et decrevimus, ne quorumvis hominum cum Sanctitatis, seu Martyrii fama (quantacumque illa esset) defunctorum Imagines aliaque praefata, et quodcumque aliud venerationem, et cultum praeseferens, et indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis tam Saecularibus, quam Regularibus cujuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponerentur, antequam ab Apostolica Sede canonizarentur, aut Beati declararentur, et (si quae appositae essent) amoverentur, prout eas statim amoveri mandavimus. Ac partiter imprimi de caetero inhibuimus libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis sive Martyrii fama, vel opinione, ut praefertur, celebres e vita migravissent, gesta, miracula,

vel revelationes, seu quaecumque beneficia, tamquam eorum intercessionibus a Deo accepta, continentes sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhiberet, et, ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novi et inordinati in re tam gravi committeretur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmitteret, ejusque responsum expectaret. Revelationes vero et miracula, aliave beneficia supradicta, quae in libris horum hominum vitam gestaque continentium, eatenus sine recognitione, atque approbatione hujusmodi impressa erant, nullo modo approbata censeri voluimus mandavimusque. Ad horum hominum sepulcra vetuimus etiam, ac inhibuimus Tabellas, atque Imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia tam pictas, quam fictas, atque exculptas appendi, seu affigi, et lampades, sive alia quaecumqe lumina accendi, sine recognitione ab Ordinario omnino, prout supra, facienda, Sedique Apostolicae referenda, ac probanda. Declarantes quod per suprascripta praejudicare in aliquo noluimus, neque intendimus iis qui aut per communem Ecclesiae consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia praefatae Sedis Apostolicae, vel Ordinarii celebrantur. Cumque postea *die* 2 *Octobris ejusdem anni* 1625, a quibusdam revocari in dubium accepissemus, an Tabellas et Imagines, quas in posterum afferri contingeret, recipere, et antea oblatas conservare liceret: Nos, qui tantummodo voluimus, occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum Sanctimoniam divinae

clementiae placuerit admirandis operibus illustrare, re prius cum eisdem Cardinalibus communicata, de simili eorum consilio declaravimus, quod, sicut nunquam prohibuimus, nec intentionis nostrae fuit prohibere oblationem, receptionemque Tabellarum, et Imaginum hujusmodi, ita, ut deinceps nulli dubitationi locus relinqueretur, statuimus et decrevimus ut quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locumve alium publicum Saecularem, seu Regularem, Tabellas et Imagines, aliudve simile quispiam deferret, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum Martyrii, aut Sanctitatis fama demortuorum, optata se impetravisse diceret, liceret Ecclesiasticis personis Ecclesiarum, locorumve praedictorum curae praepositis Tabellas, et Imagines sive pictas, sive ex quavis materia fictas, atque alia quaecumque collatae gratiae fidem facientia, simul cum deferentis, aliorumque, qui conscii fuissent, attestationibus recipere, atque, approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia tenerentur, in secreto aliquo seorsim ab Ecclesia loco custodire, ibidemque jam amota collocare, et asservare, ut, si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluisset, extarent hujusmodi Sanctitatis qualescumque probationes Apostolicae Sedis judicio tunc examinandae. Demum vero ut ejusmodi Decreta observarentur indubie, ac omnimodam sortirentur executionem, cum eisdem Cardinalibus re pariter communicata, deque eorumdem consilio, praemissis addidimus, statuimus, decrevimus, atque declaravimus, ne ex tunc deinceps quispiam Ordinariorum, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatorum super alicujus utriusque sexus cum Sanctitatis, aut

Martyrii fama, vel opinione defuncti miraculis, revelationibus, aliisque ejusmodi Sanctitatem redolentibus, ex integro informationes quoquo modo reciperet, aut Processum instrueret, vel huc usque receptas informationes, instructumve processum ulterius prosequeretur nisi Postulator prius per legitimas juridice susceptas probationes circa personam ejus, de cujus miraculis, revelationibus, aliisve rebus gestis Sanctitatem praeseferentibus ageretur, praescriptam in praefato Nostro Decreto formam omnino servatam extitisse docuerit, et nisi postea successive idem Ordinarius, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatus, diligenti praehabita disquisitione circa eamdem personam, supra citato Decreto nullatenus contraventum esse, rite pronuntiaverit: utque id inviolabiter observetur, statuimus insuper ac decrevimus, ne transmissi ad Urbem undecumque hujusmodi processus a Congregatione Sacrorum Rituum Secretario, minusve a sanctae Fidei Promotore quomodolibet aperiantur, nisi prius in ipsa Sacrorum Rituum Congregatione, alio sejunctim oblato authentico Processu, ex eo Ordinarium, aut ab Apostolica Sede specialiter delegatum rite, ac recte, ut praemittitur, cognovisse, ac pronuntiasse, praecitato Decreto nunquam contraitum esse, plene constiterit ac deinde a Nobis judicialiter aperiendi eos processus facultas indulta fuisset. Insuper lon issimum tempus, illiusve immemorabilem cursum, de quo in praedicto Decreto, intelligi declaravimus esse tempus centum annorum metam excedens: deque his, atque infrascriptis omnibus, quae in his Decretis disposita, et ordinata sunt aliqua suboriente, difficultate, Ordinariis locorum, et Delegatis Apostolicis quibuslibet, omnem omnino interpretandi fa-

cultatem ademimus, utque Sedem Apostolicam desuper consulerent, ab eaque responsum expectarent, mandavimus eisdem, et alias, prout in Decretis desuper editis, plenius continetur. Quare inviolabili Decretorum praedictorum observationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio et ex certa scientia, ac mera deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Decreta praedicta cum omnibus, et singulis in eis contentis tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, omniaque et singula Decreta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, observari omnino praecipimus, sub poena nullitatis quarumcumque informationum, processuum, ac interpretationis aliter, quam praevia suprascripta praecognitione, instructorum, eorumque admissionis, publicationis, ac interpretationis; ita ut earumdem informationum receptiones, processuumve instructiones, nec non eorum admissiones, ac publicationes, etinterpretationes, habeantur pro non receptis, non instructis, non admissis, non publicatis, non interpretatis, eorumque amplius ratio aliqua nullatenus alicubi unquam haberi debeat. Decernentes, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu quomodolibet habere praetendentes ad praemissa vocati, et auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint adductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus justificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis et invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, sub-

stantiali, sive etiam ex eo, quod in praemissis, seu eorum aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite a jure vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili et privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra hujusmodi, et aliis superius expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios effectus sortiri, et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari; sicque, et non aliter in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et S. Rom. Eccl. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Nuntios, et alios quavis auctoritate, et potestate fungentes in quavis causa, et instantia, sublata eis,

et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, ubique judicari, et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, nec non dilectis filiis Nostris et Apostolicae Sedis Nuntiis, ac haereticae pravitatis Inquisitoribus ubilibet existentibus per Apostolica scripta mandamus, ut statim atque praesentes Litterae Nostrae ad eorum, et cujuslibet eorum notitiam pervenerint, in sua quisque respective Dioecesi, vel Provincia sedulo pervigilet, ne sine approbationibus praedictis Imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia praedicta publicentur, aliave contra superius disposita fiant; transgressores vero, Si Regulares fuerint, privationis suorum officiorum, ac vocis activae, et passivae, nec non suspensionis a Divinis; si vero Clerici Sacculares, privationis pariter suorum officiorum, suspensionis a Divinis, et ab administratione Sacramentorum, executioneque suorum Ordinum respective aliisque arbitrio praedictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpae infligendis poenis plectendo. Qui autem libros impresserint, aut Imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquo modo effinxerint, vel formaverint, caeterique artifices circa praemissa qualitercumque delinquentes praedicta omnia amittant, et insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus poenis juxta criminis gravitatem eorumdem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur. Contradictores quoslibet, et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti

remedia, omni, et quacumque appellatione, recursu, et reclamatione remotis, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus, quatenus opus sit, rec. mem. Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris Nostri de una et in Concilio generali edita duabus dioetis, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Ut autem praesentes, et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis de eis ignorantiam praetendere possit, volumus pariter et mandamus, quod eaedem praesentes per aliquem, seu aliquos ex Cursoribus Nostris ad Ecclesiae Lateranen. et Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariae Apostolicae valvas, ac in Acie Campi Florae affigantur, et publicentur, et, cum inde amovebuntur, earumdem exempla in eisdem locis affixa dimittantur; quae sic publicatae, et affixae post duos menses a die publicationis computandos omnes, et singulos quos concernunt, perinde afficiant, et arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent, quodque illarum transumptis impressis sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, et manu alicujus Notarii publici subscriptis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris, *die* 5 *Julii* 1634. Pontificatus Nostri anno undecimo.

Litterae Encyclicae Ad Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos

De Processibus rite conficiendis.

Admodum Illustriss. et Reverendiss. Domine. Cum quotidie magis notum fiat, quanta sinceritate mentis, et maturitate cognitionis incipere, et prosequi deceat eorum causas, qui diem ultimum obiere non sine aliqua populis relicta opinione Sanctitatis, et quam accurate, fideliterque in re tanti momenti adhiberi testes, et in examen vocari conveniat, Sacra Rituum Congregatio (facto prius verbo cum Santissimo), ne aliquis subrepat abusus, jussit Amplitudine tuam hac peculiari Epistola fieri certiorem de iis, quae in adjuncto Decreto continentur, nempe ut curet, ne in posterum ulla ex parte adversus illud a quopiam in tua Dioecesi aliquid committatur, sed ab omnibus omnino inviolabiliter observetur: et, quando apud Amplitudinem tuam ab aliquo petitum fuerit, ut velit inquirere in Sanctitatem vitae, et miracula alicujus, qui cum praedicta fama obiisse dicatur, quoniam nimia plerumque proclivitas, atque celeritas occasionem errori praebet, non prius generaliter super vitae Sanctitatem inquiri permittat, quam particulariter de alicuius virtutis eminenti gradu, aut peculiari aliquo miraculo praecedat famae comprobatio, prout prudentiae tuae magis expedire videbitur. Quod per te ipsum exequi Sacra Congregatio summopere exoptat: sed si ob invaletudinem, sive ob legitimum aliud, et grave impedimentum id conficere non valebis, super quo conscientiam tuam onerat eadem Congregatio, poterit Amplitudo tua delegare Vicarium

tuum Generalem, vel alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, qui delegatus, sive ille sit Vicarius, sive cujuscumque dignitatis, cum aliis ad minus duobus doctis Viris, altero scilicet Magistro in Theologia, altero vero Graduato vel Licentiato in Jure canonico, rem totam ita peragere debeant, ut omnes sua nomina subnotent post subscriptionem cujuscumque testis, antequam discedant a loco ipsius examinis. Curabit insuper Amplitudo tua, ut testes omnes, quaecumque habent, explanate, et per extensum deponant, nec se referant ad attestationes redditas, neque eis recitentur quae alias ipsi deposuerunt. Postquam vero fuerint per Amplitudinem tuam, vel per alios a Te ex causis supra narratis subrogatos acta completa, secreto retineantur, praestito etiam juramento a Notariis et testibus, se nemini promulgaturos, quidquid ipsi scripserint, aut respective deposuerint, vel de quibus interrogati fuerint. De his autem actis per Te, aut jussu tuo confectis certiorem statim reddere debebit Amplitudo tua Summum Pontificem, eaque, quanto citius poterit, authentice transcripta ac sigillo obsignata, ad Sac. Rituum Congregationem transmittere. Originalia vero eodem modo consignata, et in capsa clausa pluribus clavibus quae diversis ad arbitrium tuum custodiendae tradantur, in Archivio Patriarchali conserventur. Notum tamen sit Amplitudini tuae, neque per hanc Epistolam, neque per aliquid in ea propositum, voluisse Summum Pontificem, neque Sacram Rituum Congregationem tribuere, aut augere jurisdictionem, seu facultatem, quae alias Episcopis competere possit. Atque, ut Litterae nulla in posterum oblivione deleantur, sed semper in recordatione vigeant et tua, et tuorum deinceps suc-

cessorum, dabit operam Amplitudo tua, ut illae quanto citius tam in Curia tua Patriarchali, quam in Archivio Capitulari ad perpetuam rei memoriam asserventur. Vale. Datum Romae die 12 Martii 1631.

(Decretum de quo sermo in Litteris illud est latum eadem die 12 martii 1631 quod « prohibet omnibus et « singulis personis Ecclesiasticis tam Saecularibus quam « Regularibus, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, « Societatis Jesu, vel aliorum quantumvis speciali nota « dignorum, ne audeant ipsi per se aut per alios ca- « pere INFORMATIONES super Sanctitate aut Miraculis « alicujus defuncti, neque ullo modo exquirere aut « obtinere ad hunc effectum extrajudiciales testifica- « cationes, aut subscriptiones, sub poenis arbitrio S. Con- « gregationis infligendis. Quod si superiori Sacristae, « seu alteri Officiali illius Ecclesiae in qua requiescit « corpus ipsiusmet defuncti, vel alterius etiam Eccle- « siae, fuerint revelata aliqua miracula, seu prophetiae « dona, possint ea recipere sub sigillo secreti ab ipsis « tantum relatoribus, in quorum gratiam contigisse nar- « rabitur. Teneantur tamen quam primum commode « poterunt, eadem deferre vel obsignata transmittere « Episcopo loci cum expressa declaratione quod revela- « tiones sic, ut supra, receptae, non faciant aliquem « probationis gradum, etiam cuiusvis longissimi tem- « poris cursu. »

DECRETA NOVISSIMA

S. R. CONGREGATIONIS

EDITA JUSSU

SA. ME. INNOCENTII XI.

De Processibus, aliisque.

Sanctissimus D. N. Innocentius XI. provide considerans, quod in tota Ecclesiae gubernatione, nihil majus aut gravius sit, quam homines declarare pro Sanctis, eosque uti tales colendos, et venerandos decernere, et perpendens quod licet fel. rec. Urbanus VIII. de consilio Congregationis Sanctissimae Inquisitionis nonnulla super hoc ediderit Decreta, subindeque Sacra Rituum Congregatio alias ordinationes fecerit secundum casuum contingentias a Summis Pontificibus approbatas, nihilominus experientia docuit, quod adhuc nonnulla desiderantur pro meliori causarum hujusmodi directione, idcirco jussit, materiam diligenter discuti primum in Congregationibus particularibus, deinde vero in generalibus, prout factum fuit; et sub diebus 9 Julii, et 6 Augusti 1678 emanarunt Resolutiones sequentes, si eidem Sanctissimo placuerit, publicandae.

Primo. Animadvertens eadem Sacra Congregatio, quod necessarium sit ut processus auctoritate Ordinaria fabricandi conficiantur cum maxima diligentia, censuit mandari Ordinariis locorum, ut ultra testes inductos a Postulatoribus, teneantur ipsi quoque inquirere, ac examinare alios testes bene instructos super vita et moribus Servi Dei : et, si aliquid reperierint in contrarium, quod ipsis videatur relevans, supersedeant in ulteriori inquisitione, donec Sacra Con-

gregatio ab eis certiorata per litteras, mandet quid agendum sit.

Secundo. Hujusmodi diligentias servari vult etiam in processibus auctoritate Apostolica faciendis a Judicibus delegatis, quibus per litteras particulares Sacrae Congregationis enixe commendari debeat: et idem faciat Promotor Fidei, in litteris scribendis Sub-promotoribus.

Tertio. Et pro majori cautela praescribi debeat in Litteris Remissorialibus, quod non solum Interrogatoria retineantur semper clausa, et sigillata cum sigillis eorumdem Judicum, non aperienda nisi in actu examinis, et claudenda in fine, sed ulterius depositiones ipsae, antequam processus sit absolutus, in fine cujuslibet Sessionis claudi, et signari debeant cum sigillis Judicum, nec possint aperiri, nisi in praesentia ipsorum in principio cujuslibet examinis, et Sessionis, ac hujusmodi diligentiae fieri debeant etiam in processibus fabricandis in Curia. Iidem Judices, prout etiam Sub-promotores, et Notarii, tam in partibus, quam in Curia, ac testes, et in Curia etiam Protonotarius, debeant ante inchoationem processuum praestare juramentum de servando secreto religiose, sub poena excommunicationis ipso facto in casu contraventionis incurrendae, juxta formulam ejusdem juramenti imprimendam in fine Decretorum, et pro omnimoda observantia, trasmittendam Judicibus delegatis in ipsis Litteris Remissorialibus, et Sub-promotoribus in litteris Promotoris.

Quarto. Considerans quoque Sacra Congregatio, quod principale fundamentum in causis Beatificationum, et Canonizationum constitui debet in fideli interpretatione processuum extero idiomate confectorum, et

quod, licet ex laudabili observantia Interpres semper fuerit electus ab Eminentissimo Ponente, citato et audito Reverendo Patre Fidei Promotore, nihilominus super hoc Decreta generalia nihil disponunt; idcirco decrevit, quod in posterum in qualibet causa Interpres eligatur ab Eminentissimo Cardinali Ponente, citato et audito Reverendo Patre Fidei Promotore, et pro majori cautela, postquam interpretatio fuerit facta, revideatur ab aliquo viro probo, et perito, qui secrete ad hoc officium assumatur ab eodem Eminentissimo Ponente, et, si reperiatur aliquis error substantialis, Interpres severe puniatur arbitrio Sacrae Congregationis; per quem Eminentissimum deferri debeat tam Interterpreti, quam Revisori juramentum de fideliter sibi munus commissum adimplendo; quibus etiam eadem Sacra Congregatio assignavit mercedem pro suis laboribus, nempe carolenum unum pro quolibet folio reducto; ita ut facies sit linearum 24 et linea sillabarum 16.

(Nunc vero Interpretes et Revisores deputantur a Card. Ponente, sed ex facultate quae ipsi Decreto Summi Pontificis tribuitur. Interpretes etiam secreto deputantur.)

Quinto. Advertens etiam, quam necessaria sit diligens custodia processuum originalium, decrevit, quod ii, sicuti etiam interpretationes originales illorum qui sunt extero idiomate confecti, retineri debeant in Archivio Sacrae Congregationis in Vaticano, in loco clauso, et separato ab aliis scripturis, nec possint amoveri, nisi de ordine Eminentissimi Cardinalis Ponentis, vel ad instantiam R. P. Promotoris, ad effectum videndi, quatenus opus sit, et deinde reportandi; cujus Archivii duae sint claves, una penes Pro-

tonotarium Apostolicum, qui pro tempore intervenit Sacrae Congregationi, et altera penes Secretarium, et clavis loci in quo custodiuntur dicti processus, stet penes eumdem Protonotarium, alterius vero in quo retinentur aliae scripturae Sac. Congregationis, penes Secretarium.

Sexto. Idemque Protonotarius curam habeat revidendi Inventarium dictorum processuum, et quatenus non adesset, illud diligenter fieri mandet cum quatuor copiis, quarum una stet penes eumdem Protonotarium, altera penes Promotorem, altera penes Secretarium, et quarta in eodem Archivio; et in fine anni iidem Protonotarius, Promotor, et Secretarius revidere debeant dictum Inventarium, et conferre cum processibus, ad effectum recognoscendi an aliquid deficiat, et curandi ut reportetur, et Secretarius referat in prima sequenti Congregatione.

Septimo. Cum pluries dubitatum fuerit circa intelligentiam Decretorum quod non prius Sedes Apostolica moveri soleat, quam Reges, Principes, et aliae personae authenticae et honestae instanter supplicaverint Summo Pontifici, et tunc etiam non statim, sed expectare quod diu pulsetur, nam, si perdurabunt miracula, et supplicantium instantiae, tunc Summus Pontifex, si ei videbitur, committit causam Sacrae Congregationi; ideo, si ita Sanctissimo visum fuerit, censuit eadem Sac. Congregatio, Commissionem non esse signandam, nisi post elapsum tempus decem annorum a die praesentationis processus auctoritate ordinaria fabricati, et cum praecedenti rigorosa discussione ejusdem processus cum Scriptura, et Summario, et insuper habitis post decennium a die fabricationis illius novis litteris Episcoporum circa percrebrescen-

tiam famae sanctitatis, et miraculorum ac devotionis populi enixe pro Beatificatione et Canonizatione instantis: nisi tamen in aliqua causa, ex peculiaribus circumstantiis, Sac. Congregatio existimaverit, anticipari posse tempus in discussione processuum auctoritate ordinaria confectorum, et Sanctissimus hoc approbaverit.

Octavo. In causis Servorum Dei ante Decreta fel: rec: Urbani VIII introductis non signentur Commissiones reassumptionis, nisi prius per Sac. Congregationem examinatis processibus, tam auctoritate Ordinaria confectis, quam auctoritate Apostolica, quatenus adsint.

Nono. Cum in Decreto approbato a fel. rec. Urbano VIII die 12 Martii 1631, impresso in libello pag. etc. Sacra Congregatio cognoscens quod in hac re, utpote gravissima, rite, sancteque procedendum est, prohibuerit omnibus, et singulis personis Ecclesiasticis, tam Saecularibus, quam Regularibus, quantumvis speciali nota dignis, ne audeant per se, vel per alios capere informationes super sanctitate, aut miraculis alicujus, nec ullo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extrajudiciales testificationes, aut subscriptiones, sub poenis arbitrio ipsius Sac. Congregationis infligendis, illud confirmando jussit, quod hujusmodi extrajudiciales attestationes non solum exquiri, aut obtineri non valeant, sed rursus, quod hactenus obtentae, sive in futurum obtinendae, non faciant aliquem gradum probationis, nec inseri possint in processibus, tam Ordinaria, quam Apostolica auctoritate fabricandis.

Decimo. Sub-promotor Fidei a Reverendo Patre Promotore deputatus, cui onus incumbit primo loco

spoliandi, et examinandi processus (ex quibus pendet Beatificationum et Canonizationum substantia) ad effectum referendi eidem Promotori, debeat hujusmodi munus diligentissime, ac cum omni rigore adimplere, ac Summaria, quae solent a Procuratoribus fieri, antequam typis mandentur, conferat cum processibus, subsequuta attestatione, quod fuerunt per ipsum revisa, et in quolibet folio se subscribat: eamdemque diligentiam conferendi cum exemplari manuscripto iterum faciat, postquam fuerint impressa, cum iterata subscriptione in fine, quam subsequatur subscriptio, et sigillum Secretarii, nec ante praedictas subscriptiones possint tam Summaria, quam Informationes publicari sub gravissimis poenis tam quoad Postulatores, quam etiam quoad Impressorem arbitrio Sac. Congregationis, seu Eminentissimi Cardinalis Praefecti infligendis. Idemque Sub-promotor (quatenus ipse D. Promotor ex diligenti et accurata revisione processuum, quam facere solet, necessarium, vel opportunum duxerit) teneatur aliud Summarium obiectionale ad comprobationem oppositionum conficere, quod Sac. Congregatio plurimum expedire cognoscit ad hoc, ut veritas magis elucescat. Et pro quolibet processu ab eodem Sub-promotore examinando in quolibet dubio persolvatur ei stipendium decem Ducatorum auri praescriptum in decretis generalibus pag. etc. cum declaratione tamen, quod respectu procesuum auctoritate Apostolica in specie, qui pluries ad diversum effectum examinari debent, dictum stipendium debeatur pro tribus dubiis tantum, nempe prima vice, quando disputatur validitas, secunda vice quando disputatur de virtutibus, seu de martyrio, et causa martyrii, et tertia vice quando disputatur de miraculis; quamvis disputationes alicujus ex dictis

dubiis, pluries reiterari contingat, seu eadem dubia in diversas inspectiones pro faciliori resolutione dividantur. (Stipendii ratio immutata nunc est.)

Undecimo. Et, quia materiae gravitas, et dignitas exposcit, ut pertractetur, et dirigatur a viris notae probitatis, experientiae et peritiae, censuit Sacra Congregatio, quod ad conficiendum tam Informationes in facto, quam Summaria, in quibus potissime consistit causarum pondus, assumantur solum Procuratores Sacri Collegii Palatii Apostolici; tribuendo Postulatoribus libertatem eligendi ex dicto coetu, quem voluerint, dummodo quilibet ex eis non possit eodem tempore patrocinari plures causas quam quatuor, ad hoc ut eis facilius operam dare possint, sub poena inhabilitatis amplius scribendi in casu contraventionis; ut liceat Partibus in quocumque statu causae, rationabiliter tamen, et praevia licentia Eminentissimi Ponentis, mutare Procuratorem dummodo alius in ejus locum subrogandus, sit de eodem Collegio, et non habeat in totum plures causas quam quatuor.

Duodecimo. Advocati vero ad scribendum in Jure assumi debeant ad libitum Postulatorum, dummodo sint ex Collegio Sac. Concistorialis Aulae, vel ex duodecim aliis approbatis a Sac. Congregatione: ita tamen, ut quilibet eorum sex tantum causas patrocinari possit. (Nunc vero alii etiam sunt Procuratores a S. Congregatione adprobati, et tum ipsi tum Advocati pluribus quam quatuor aut sex patrocinantur Causis.)

Decimo tertio. Pro mercede autem praedictorum, ac etiam Notarii, Sac. Congregatio jussit servari Taxas ab ea diligenter revisas, quae ut omnibus innotescant, typis mandari debeant, et in fine decretorum inseri. (Hodie diversa est taxatio.)

Decimo quarto. Cum etiam observatum fuerit, saepe Postulatores dare scripturas Medicorum, vel Chirurgorum pro confirmatione miraculorum, et ex alia parte non fuerit solitum responderi per Peritos ejusdem professionis, ideo videtur necessarium ad hoc, ut respondeatur secundum artem, quod Eminentissimus Ponens deputet ex officio, secreto, ac praevio juramento alium Medicum, et Chirurgum celebriorem, qui respondeat pro veritate ad effectum videndi, an asserta miracula excedant vires naturae.

Die 15 *Octobris* 1678 *facta per me infrascriptum relatione Sanctissimo praefatorum Decretorum cum eorum integra lectura, Sanctitas Sua laudavit et approbavit, atque servari mandavit, et publicari.*

Jo. Baptista de Luca Auditor et Secretarius Memorialium

Locus ✠ Sigilli

Bernardus Casalius Sac. Rituum Congregationis Secretarius.

DECRETA GENERALIA

SA. ME. BENEDICTI XIV.

I.

De probationibus subsidiariis, et de numero Miraculorum ad Beatificationem et Canonizationem assequendam.

Cum in Congregatione Generali habita coram Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papa XIV. die vigesima prima Martii proxime praeteriti, occasione

agendi de virtutibus Venerabilis Servi Dei Francisci Caraccioli Congregationis Cleric. Reg. Min. Fundatoris, earumque sufficienti probatione, generatim etiam quaesitum, atque acriter disputatum fuerit, possent ne unquam aut deberent haberi satis probatae ad effectum de quo agitur, Virtutes alicujus sine ullis Testibus de visu; Sanctitas Sua, perlectis Consultorum, et auditis Reverendissimorum Cardinalium tunc suffragiis, reque postea secum, et cum aliis mature perpensa, et pertractata, ad ambages quascumque certa, et clara lege desuper tollendas, ita censuit distinguendum:

Ut in Causis Beatorum procedentibus per viam Cultus sive a Sede Apostolica indulti, sive per tempus immemorabile delati, non recedatur ab antiqua praxi admittendi Virtutum aut Martyrii probationem, quam vocant subsidiariam, conflatam ex Testibus quidem tantum de auditu quandoque a videntibus, quandoque non; sed variis tamen roboratam adminiculis, ad faciendam viro prudenti, ac de re gravi judicaturo auctoritatem et fidem idoneis, ad quae rite colligenda, et seligenda, sunt a Majoribus nostris Litterae et Processus compulsoriales ordinati: cum aequum sit et antiquitatis et Cultus haberi rationem; neque negari possit, quin magnum Sanctitatis argumentum sit, quod quis colatur propter Sanctitatem. Tametsi etiam in Beatis et antiquis, ubi Testes de visu habeantur, vel haberi possint, ex his et non ex solis Testibus de auditu, eorum Virtutes, aut Martyrium (quemadmodum et in variis hujusmodi Causis factum est) probari debent.

Ex quadam etiam aequitate, ne interdum scilicet contingat Causas, Dei, atque hominum judicio ceteroquin promoveri dignas, ex solo Testium de visu quandoque non culpabili defectu, jacere omnino, et

perpetuo derelictas; praesertim cum neque raro, claris de coelo signis, et prodigiis auditur Deus, hujusmodi defectu non attento, Amicum suum, ut superius ascendat, invitare: possit eadem subsidiaria probatio admitti et in Causis simplicium Dei Servorum, per viam non Cultus procedentibus; quando tamen non constiterit primos Auctoritate Ordinaria Processus fuisse dolo malo, aut culpabili negligentia tamdiu dilatos, donec Testes de visu nulli superessent; et quando etiam, comperto ejusmodi Testium defectu, Sacrae tamen Congregationis consilio signata Causae fuerit Commissio, et Litterae Remissoriales ad Processus auctoritate Apostolica faciendos expeditae, nulla cum spe Testium de visu in ipsis audiendorum.

Atque in his Causis deinde suffragium laturi, ubi ex dicta probatione subsidiaria omnibus simul rite, et recte pensatis, talis ac tanta (ipsorum judicio) exsurgat veri Martyrii, aut Virtutum heroicarum moralis, ut ajunt, certitudo, quae non impossibile quidem, sed imprudens (ipsorum pariter sententia) reddat judicium de opposito; ne qua ex diversitate respondendi oriatur deinde sententiarum ambiguitas, hac ferme formula respondeant: *Virtutes in gradu heroico, aut Martyrium ita probari, ut tuto procedi possit ad ulteriora:* nimirum ad discussionem Miraculorum, in casu et ad effectum de quo agitur.

Simul tamen, ne juris rigor in his Causis adhiberi nedum solitus, sed et necessarius, ullo pacto relaxetur; sed quod ex humano testimonio deerit, divino compensetur: Miracula primum quidem quacumque in Causa, sive Beatorum ad Canonizationem, sive Servorum Dei ad Beatificationem, nonnisi ex Testibus de visu quoad substantiam approbentur; nulla ratione

habita illorum, quae in Processu ex solis Testibus de auditu deposita, et quantiscumque documentis confirmata perlegantur; cum nova alia subinde miracula, Testibus de visu plene comprobata, possint quotidie, si Deus voluerit, supervenire.

Deinde vero cum in Causis Beatorum per viam Cultus immemorabilis, aut indulti procedentibus de stylo praesenti sit, ut approbato jam ex Testibus de auditu, ut supra dictum est, adminiculatis, Martyrio aut Virtutibus in gradu heroico, ex duobus deinde Miraculis ad solemnem eorum Canonizationem deveniatur: in posterum, non duo, ut hactenus, sed quatuor ad eorum Canonizationem probari debeant Miracula; et quidem, ut dictum est, ex Testibus de visu.

In Causis autem simplicium Servorum Dei procedentibus per viam non Cultus, servetur qui jam pridem invaluit, mos, ut probatis ex Testibus de visu Virtutibus, ex duobus deinde Miraculis ad Beatificationem procedatur. At ubi Virtutes, aut Martyrium ex Testibus de auditu, ut supra, fuerint probatae, non duo, ut hactenus, sed quatuor omnino ad Beatificationem, ac deinde duo alia post illam facta, ut moris est, ad eorum Canonizationem, ex Testibus pariter de visu, debeant approbari. Atque ita servandum Sanctitas Sua censuit, decrevit et mandavit hac die 23 Aprilis 1741.

Fr. Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Praef.

Loco ✠ Sigilli

Th. Patriarcha Hierosolimitanus

S. R. C. Secretarius.

II.

De probationibus per testes oculares et de auditu susceptis, ac de numero Miraculorum juxta eorum probationum diversitatem.

Cum ex relatione eorum, quae in Congregationibus Sac. Rituum, aut Antepraeparatoriis, aut Praeparatoriis proponuntur, et discutiuntur, facta Nobis pro sui muneris adimplemento tum a Congregationis Secretario, tum a Fidei Promotore, innotuerit, saepe excitatam fuisse inter ejusdem Congregationis Consultores controversiam, an in Causis Beatificationis, et Canonizationis Servorum Dei procedentibus per viam non Cultus, cum disputandum proponitur Dubium super Virtutibus aut Martyrio, Testes de auditu auditus, qui soli extant in Processu Apostolico, in linea probationis jungi possint cum Testibus de visu, qui extant in Processu Ordinario, contendentibus nonnullis, id tantum fieri posse si Testes de auditu, qui extant in Processu Apostolico, sint de auditu a videntibus, aliisque asserentibus, id ipsum fieri debere, etiamsi Testes non sint de auditu a videntibus, sed de auditu auditus, dummodo caetera alia non desint, quae requiruntur pro conjunctione Processus Ordinarii cum Processu Apostolico, et alia etiam concurrant a Congregatione Rituum statuta, ut rite, et recte admittantur Testes de auditu, de quibus omnibus in nostro opere *de Canonizatione Sanctorum Lib.* 2. *Cap.* 4. *et* 5.

Nos ad amputandum quamcumque controversiam decernimus primo, non posse in linea probationis conjungi Testes de auditu auditus in Processu Apostolico examinatos, cum Testibus de visu, qui extant in Pro-

cessu Ordinario, praedictamque conjunctionem in linea probationis competere tantum Testibus de auditu a videntibus, qui sint in Processu Apostolico examinati, dummodo caetera supra indicata non desint requisita, et ex conjunctione Testium de visu examinatis in Processu Ordinario cum Testibus auditu a videntibus, examinatis in Processu Apostolico, propositis Dubiis super Virtutibus, aut Martyrio responderi posse, *Constare de Virtutibus etc.* aut, *Constare de Martyrio*, et in progressu ad ulteriora pro obtinenda formali Beatificatione sufficere debere duo Miracula, quae ante Beatificationem patrata sint, et approbata, et pro obtinenda Canonizatione sufficere debere alia duo Miracula, post Beatificationem sequuta et approbata.

Decernimus secundo loco, quod, si in Processu Ordinario Testes extent de visu, et in Processu Apostolico non reperiantur nisi Testes de auditu auditus, Testes hi de auditu auditus, in Processu Apostolico excepti, vim et robur adminiculi habere valeant, modo quidem levis, modo gravis, prout eorum numerus, et qualitas exposcit, ita ut, exclusa a Postulatoribus quacumque fraudis, aut negligentiae suspicione, ex qua factum sit, ut soli Testes de auditu auditus in Processu Apostolico fuerint examinati, si, attentis numero, et qualitate Testium de visu in Processu Ordinario examinatorum, habitaque consideratione adminiculi non levis, desumpti ex Testibus de auditu auditus in Processu Apostolico examinatis, res ad eum statum redacta sit, ut faciat fidem, et auctoritatem viro prudenti de re gravi judicaturo, propositis Dubiis super Virtutibus, aut Martyrio, responderi possit, *ita constare de Virtutibus*, aut, *ita constare de Martyrio, ut procedi possit ad ulteriora, hoc est ad discussionem Miraculorum*, nec obtineri posse

Decretum Beatificationis, nisi tria Miracula praecesserint, quae fuerint approbata, neque demum Canonizationis Decreto locum esse debere, nisi duo alia post Beatificationem Miracula superveniant, quae pariter fuerint approbata.

Demum tertio loco decernimus, nihil per praesens Decretum a Nobis fuisse immutatum super Dubio Virtutum, aut Martyrii in Causis, quae procedunt per viam casus excepti, aut in quibus, etsi procedant per viam ordinariam non Cultus, soli Testes de auditu extant in Processu tum Ordinario, tum Apostolico; quoad eas enim exacte observari mandamus Decretum Generale a Nobis editum *die* 23 *Aprilis* 1741, et impressum in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum Lib.* 3. *Cap.* 3. *Num.* 25 *editionis Patavinae, et editionis Romanae*, quod etiam nunc confirmamus tum quoad numerum Miraculorum, tum etiam quoad caetera, quae in dicto Decreto continentur, et in quibus statuitur, Miracula semper esse comprobanda per Testes contestes de visu, sive agatur de Causis procedentibus per viam ordinariam de non Cultu, sive per viam extraordinariam de casu excepto, et sive res sit de Miraculis pro obtinenda Beatificatione, sive de aliis, quae proponuntur pro Canonizatione obtinenda. Et Secretario Congregationis Sacrorum Rituum mandamus, ut praesens Nostrum Decretum inter acta Congregationis referat, et typis edi curet, ut ad omnium notitiam perveniat. Datum hac die 17 Julii 1744.

D. F. Card. Tamburinus. Praef.

Loco ✠ Sigilli

M. Marefuscus S. R. C. Secr.

DECRETUM GENERALE

SA. ME. LEONIS XII

JUSSU EDITUM

De ordine servando in Causis quae procedunt per viam Casus excepti.

Ad tollendos ac eliminandos abusus qui irrepserant, in cultus exhibitione nonnullis Dei Servis, qui cum fama et opinione Sanctitatis decesserant, inconsulta Sede Apostolica, ac si essent Beatorum honoribus legitime decorati, sa: me: Urbanus Papa VIII Generalibus Decretis editis anno 1625, confirmatisque die 5 Julii 1634, providis latis legibus certum praescripsit ordinem in his agendis Causis in posterum omnino constanterque servandum. Per hanc tamen generalem sanctionem expresse declaravit « se nolle ullum praejudicium inferre iis (Servis Dei) qui aut per communem Ecclesiae consensum, aut per Patrum Virorumque Sanctorum scripta, ac tolerantia Sedis Apostolicae vel Ordinarii coluntur ». Quoniam vero husmodi ab universali lege exceptionum cognitio ad Sacrorum Rituum Congregationem servabatur, ex tunc obtinuit consuetudo, ut quoties eorumdem Servorum Dei qui aliquo ex modis supramemoratis in cultus possessione reperiri putabantur, Causam ad eamdem Congregationem deferri contingeret, primum in Ordinario Conventu de introductionis commissione signanda ageretur, qua favorabili Rescripto absoluta, in altero postmodum cogendo, de cultu, sive casu excepto instrueretur judicium. Hoc tandem juxta Postulatorum vota prolato, locum habebat altera instantia pro Officii et Missae concessione.

Ita refert et docet Benedictus XIV « De Servorum Dei Beatificatione Lib. IV. Part. II. Cap. IV. et seqq. » Atque haec fuit constans Sacrae Congregationis disciplina per bina fere saecula.

Sed quoniam saepe evenire solet, in iis etiam quae recte sapienterque constituta sunt, diuque incorrupte servata, ut temporis lapsu languescant, sensim immutentur et diversam formam suscipiant, inde opus ut obliteratus rigor, si non omni, aliqua saltem in parte ad observantiam revocetur, id quod accidit in praefatis Causis pertractandis, quae a Papae Urbani lege excipiuntur. In his quippe novus paulatim longe facilior et expeditior introductus est ordo sub ea specie, quod antiquus rigor retinendus sit dumtaxat, si sententia dicta de casu excepto, progredi mens sit ad formalem Canonizationem, non autem si, ut legitimus cultus adprobari petatur, nisi ad hoc tantum, ad petendum nempe Officium et Missam.

Quamobrem hanc veteris disciplinae relaxationem, non sine aliqua indulgentia et moderatione coercere exoptantes Emi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, serioque excogitantes decere, ut pro casuum diversitate, diversus sit modus, diversaque judicandi ratio, re mature diligenterque perpensa in ordinariis comitiis, sub infrascripta die habitis, unanimes fuerunt in Voto decernentes ne in posterum admittantur instantiae pro concessione Officii et Missae in honorem illorum Dei Servorum, qui sunt aliquo ex recensitis modis in possessione publici et Ecclesiastici cultus, nisi ordine sequenti servato:

Primum in Congregatione Ordinaria proponendum et discutiendum erit dubium « an constet de casu excepto a Decretis Sa: me: Urbani Papae VIII » audito

tamen in scriptis Promotore Fidei cui tradenda erunt originalia et legalia documenta, ut suas exaret animadversiones, quibus, si opus fuerit, poterunt Postulatores respondere. Si Patres Emi Sacrae Congregationi praepositi in affirmativam abeuntes sententiam dixerint constare de casu excepto, locus erit in subsequenti Congregatione novae instantiae super concessione Officii et Missae, audito pariter in scriptis Promotore Fidei, velut supra dictum est.

Quatenus vero in aliqua ex Causis in quibus approbatus auctusque cultus est accessione Officii et Missae, procedi optetur ad formalem Canonizationem, Acta strictim iteranda erunt, ac retinendus antiquus judicialis ordo qui in similibus inviolabiliter servatus fuit. Et ita decreverunt ac declarant, praecipientes mihi infrascripto Secretario ut Generale Decretum ederem, facto verbo cum SSmo. Die 16 Decembris 1826.

De quibus omnibus et singulis facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. relatione, Sanctitas Sua Sacrae ejusdem Congregationis sententiam approbavit et confirmavit, ipsumque generale Decretum praelo tradi, et evulgari mandavit. Die 20 superioris Mensis et Anni.

DECRETA

SA. ME. PII PAPAE IX.

I.

De Processibus conficiendis ad Casus excepti adprobationem impetrandam.

In Generalibus Decretis a S. M. Urbano PP. VIII. editis super moderatione cultus Dei famulis praestandi, omnino praecipitur ut sive causa procedat per viam non cultus, sive per viam casus excepti, particularis processus praeced re debeat una cum subsequenti pronuntiatione Ordinarii, seu Judicis ab Apostolica Sede delegati, vel super cultu non exhibito, vel super casu excepto. Quibus Decretis diu conformis extitit S. R. C. praxis, uti patet ex ejusdem Congregationis Actis. Quin etiam, prouti testatur S. M. Benedictus XIV in suo opere de Canonizatione Sanctorum Lib. II. Cap. 23. N. 10. inductum fuit ad normam eorumdem Decretorum ut per particularem processum nedum probaretur cultus initium, seu fundamentum casus excepti, verum etiam cultus ejusdem jugis continuatio, usque ad sententiam hac de re editam, sive ab Ordinario sive a Judice ab Apostolica Sede delegato. Subinde tamen, accedente expresso vel tacito S. Sedis consensu, judicialis illa ac legitima inquisitio intermitti coepit, et per extrajudiciales probationes deventum est ad declarationem casus excepti. Verum cum Emi Patres Sacris tuendis Ritibus Praepositi particularis processus confectionem valde conferre animadverterint accuratiori causarum examini, re mature perpensa auditoque S. Fidei Promotore hodiernis comitiis ad Vaticanum ha-

bitis Generalium Decretorum tenorem ac veterem S. Congregationis praxim districtius in posterum observari jusserunt. Proinde statuere ut deinceps ad approbationem cujuslibet ex casibus exceptis non deveniatur nisi praecesserit particularis processus tam super cultus initio, seu super fundamento casus excepti, quam super cultus continuatione, usque ad sententiam ab Ordinario, seu ab Judice ab Apostolica Sede delegato emanandam, qua declaretur casum de quo agitur comprehendi inter exceptos a memoratis Decretis S. M. Urbani PP. VIII. si SS. D. N. placuerit. Die 5 Decembris 1868.

Facta autem per me Secretarium SSmo Domino Nostro Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacrae Congregationis approbavit, ac confirmavit, typisque editum publicari praecepit. Die 10 ejusdem Mensis et Anni.

C. Episcopus Portuensis et S. Rufinae. Card. Patrizi
S. R. C. Praefectus.

Loco ✠ Signi
D. Bartolini S. R. C. Secretarius

II.

De diversis Officiis in Processibus ad ejusdem Servi Dei Causam pertinentibus non exercendis.

Sacra Rituum Congregatio expendens Processus sive Ordinaria sive Apostolica auctoritate pro Servorum Dei Beatificatione et Canonizatione extra Urbem confectos gravem quandoque irregularitatem adnotare debuit in eo sitam, quod personis certum officium in

processu instruendo gerentibus, postquam illo fungi coeperunt, venia data fuerit, perdurante adhuc sive Ordinaria sive etiam Apostolica ejusdem Causae inquisitione, officio primo dimisso, aliud diversae indolis assumendi et exercendi. Haec autem officiorum permutatio cum Juris regulis minime consona videatur, eadem Sacra Congregatio in Ordinariis huius diei Comitiis ad Vaticanum habitis ad praedictum removendum abusum et suspicionem quamlibet etiam levem in re tam gravis momenti prorsus eliminandam, *censuit prohibendum, si SSmo placuerit, ne deinceps in condendis quibusvis Processibus tam Ordinariis, quam Apostolicis, ad ejusdem Servi Dei Causam pertinentibus, eadem persona diversis officiis ne successive quidem, utcumque priori expleto et dimisso, fungi possit sub poena nullitatis.* Die 10 Decembris 1870.

Factaque de praemissis per me subscriptum Secretarium SSmo Domino Nostro Pio Papae IX. fideli relatione, Sanctitas Sua praefatam Sacrae Congregationis decisionem ratam habuit et confirmavit, eamque praesenti generali Decreto promulgari et ab omnibus servari mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 ejusdem Mensis et Anni.

C. Episcopus Ostien. et Velitern. Card. Patrizi
S. R. C. Praef.

Loco ✠ Signi

D. Bartolini S. R. C. Secretarius

FINIS

INDEX

EORUM QUAE IN HOC II VOLUMINE PERTRACTANTUR

MONITA GENERALIA

I. **De Postulatoribus** . . . . . pag. 1
II. **De Judicibus** . . . . . » 24
III. **De Promotore Fiscali et Sub-promotoribus** . . . . . » 34
IV. **De Notariis** . . . . . » 41
V. **De Nunciis** . . . . . » 49
VI. **De Testibus** . . . . . » 50
VII. **De Amanuensibus.** . . . . . » 55
VIII. **De Portitoribus** . . . . . » 56
IX. **De aliis in Processuum constructione advertendis.** . . . » 57

APPENDICES

I. Instructio pro conficiendo Processu Ordinario Informativo super Fama sanctitatis vitae, Virtutibus et Miraculis . . . . . pag. 61
Sessio I. pro deputatiane et juramento Judicum etc. . . . . . » 69

Sessio II. pro exhibitione Articulorum et inductione Testium . . . . . pag. 79
Sessio III. pro juramento Testium. . . . » 85
Sessio IV. pro examine Testium. . . . . » 89
Sessio V. item. . . . . . » 94
Sessio VI. item. . . . . . » 97
§ 1. *Inductio novorum Testium.* . . . . » 99
§ 2. *Inductio et examen Monialium.* . . . » 101
§ 3. *Inductio et examen Testium aegrotantium.* . . . . . » 103
§ 4. *Exhibitio novorum Articulorum.* . . . » Ib.
§ 5. *De Testibus extra dioecesim degentibus* . » 105
§ 6. *De substitutione Officialium Processus* . » 109
Sessio A. pro examine Testium ex officio . » 112
Sessio B. — item . . . . . » 114
Sessio C. — pro examine Contestium . . » 119
Sessio D. pro compulsatione documentorum, publicatione Processus, deputatione Amanuensis, Notarii Adjuncti etc. . . . » 124
Sessio E. pro collatione Transumpti cum Processu originali . . . . . » 129
Sessio F. pro absolutione collationis etc. . . » 133
Sessio G. pro subscriptione et obsignatione Transumpti, electione Portitoris etc . . » 138
Formula Instrumenti clausurae Transumpti. . . . . . » 144
Formula Litterarum Judicum et Promotoris Fiscalis ad S. R. C. . . . . . » 145
Additamentum, seu formula Actorum pro examine Testium extra dioecesim . . . » 151

II. Instructio pro conficiendo Processu Ordinario super Casu excepto . . . . . » 159
Sessio I. pro deputatione et juramento Judicis etc. . . . . . » 171

Sessio II. pro exhibitione Articulorum et inductione Testium. . . . . . pag. 175
Sessio III. IV. etc. pro juramento et examine Testium, petitione compulsationis documentorum, electione Peritorum ad ea recognoscenda . . . . . » 178
Sessio A. pro exhibitione et indicatione documentorum, juramento Peritorum etc. » 183
Sessio B. pro examine Peritorum . . . . » 187
Sessio C. — item, et pro electione Peritorum ad inspiciendum sepulcrum . . . . » 191
Sessio D. — pro visitatione sepulcri etc. . » 194
Sessio E. — pro compulsatione relationis Peritorum et publicatione Processus . . » 200
Sessio F. pro sententiae definitivae pronunciatione, et aliis agendis ad complementum Processus . . . . . « 202
Varianda si Processus construatur auctoritate Apostolica . . . . . » 208

Instructio pro conficiendo Processu super Non cultu » 218
Sessio A. pro visitatione sepulcri . . . . » 225
Sessio B. pro publicatione Processus etc. . » 232
Formula sententiae . . . . . » 234

III. Instructio pro conficiendo Processu Apostolico super Fama in genere . . . . . » 237
Sessio I. pro juramento Judicum etc. . . . » 243
Sessio II. pro inductione Testium, admissione Articulorum etc. . . . . . » 253
Sessio III. et seqq. pro reliquis agendis usque ad complementum Processus . . . . . » 257

IV. **Instructio pro conficiendo Processu Apostolico super Virtutibus et Miraculis in specie —**

PARS I. de Processu ne pereant probationes sive Inchoativo . . . . . pag. 259

Formula Actorum pro clausura Processus . » 261

PARS II. de Processu Continuativo » 265

Quae sint Postulatori apparanda pro recognitione sepulcri et corporis S. D. . 267 *in fin.*

Formula Actorum ad petendam visitationem sepulcri etc. . . . . . » 269

Sessio ... pro exhibitione Jurium, electione et juramento Peritorum ad recognitionem sepulcri et corporis S. D. . . . . » 270

Sessio .... pro recognitione sepulcri et corporis S. D. et reliquis agendis usque ad Processus complementum . . . . » 273

V. **Instructio pro conficiendo Processu Apostolico super Miraculis in specie** . . . . . » 279

Formula Actorum pro electione Peritorum qui Sanati valetudinem explorent . » 281 *in fin.*

Sessio ... pro juramento dictorum Peritorum » 283

Sessio ... pro examine dictorum Peritorum et reliquis agendis usque ad Processus complementum . . . . . » 285

VI **Instructio pro conficiendis Processibus in Causis Martyrum** . . . . . » 288

VII **Decreta Generalia**

Sanctissimae Inquisitionis sive sa. me. Urbani VIII de cultu publico Servis Dei non exhibendo . . . . . » 291 *et* 295

S. R. Congregationis, seu Litterae Encyclicae ad Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos de Processibus rite conficiendis » 304

Novissima ejusdem S. R. C. edita jussu Ven. Innocentii XI de Processibus aliisque » 307

Sa. me. Benedicti XIV

I. de probationibus subsidiariis et de numero Miraculorum ad Beatificationem et Canonizationem assequendam » 314

II. de probationibus per Testes oculares et de auditu susceptis, ac de numero Miraculorum juxta earum probationum diversitatem . . . . . » 318

Edita jussu sa. me. Leonis XII de ordine servando in Causis quae procedunt per viam Casus excepti . . . . . » 321

Edita jussu sa. m. Pii IX

I. de Processibus conficiendis ad Casus excepti adprobationem impetrandam » 324

II. de diversis Officiis in Processibus qui aa ejusdem Dei Servi Causam pertinent non exercendis . . . . . » 325

Nihil Obstat
Augustinus Adv. Caprara
S. R. C. Assessor

—

IMPRIMATUR
Fr. V. M. Gatti O. P. S. P. Ap. Mag.

—

IMPRIMATUR
Jul. Lenti Archiep. Sidae. Vicesgerens.

4997